



NICOLAI

CIAMPITTII

OPERA

IN UNUM COLLECTA ET RECOGNITA

A CAJETANO BARBATI

CUJUS

DE VITA ET SCRIPTIS AUCTORIS

ACCEDIT

COMMENTARIUM



EDITIO ALTERA

LOCUPLETIOR ATQUE EXPOLITIOR

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM A. MANUTII

MDCCCXLIX

Nec perperam egisse videbar, cum, hujuscemodi onere suscepto, hanc legem mihi sanciebam. Siquidem nemo inficias ire poterit, nisi qui in luce meridiana sponte caecutiat, Te in regendo quem supremus Pastor animarum gregem tuae curae commisit, non spiritalibus modo rebus nimium quantum consulere, fidemque orthodoxam ab audaci quidlibet scribendi, aut effutiendi licentia vindicare; sed primas etiam Tibi jure deferendas, quod omnes animi nervos in id intendis, quo mentes, animique juvenum, qui ductu auspicioque tuo in spem Ecclesiae succrescunt, tamquam in irriguo horto eductae viviradices, quotidie in melius progrediantur. Et vero, ut silentio praetereantur praeclara opera, quorum pleraque ad umbilicum a Te perducta conspiciuntur; nonnulla vero jam magna ex parte profligata (quibus vel summatim recensendis, atque pro eo ac par est litteris commendandis, unum, aut alterum volumen satis non esse opinor), sine, quaeso, Princeps Eminentissime, pauca dumtaxat commemorem, quae, caeteris posthabitis, oculorum aciem perstringunt. Videre enim est Ecclesias per Te a fundamentis excitatas; Man-

sionarios reditibus auctos; novum Canonicorum collegium de integro constabilitum, in quod Seminarii praeceptores cooptati suorum praemia referrent laborum; puellis parentibus orbatis hospitium tuendis comparatum. Quibus sane vel leviter perpensis, ecquis non continuo colligendum arbitretur, Te sapientia praeditum prope singulari non tuis bonis potius delectari, quam alienis; ac de eorum, qui adversa fortuna conflictantur, malis laborare? Verum hisce omissis, caeterisque non inferioris notae operibus munificentiae Tuae, neminem fugit, quo splendoris, atque amplitudinis Campanum Seminarium esse perductum, et quantam litteris, scientiisque ad summum studiosae juventutis emolumentum, per Te factam esse accessionem. Ad firmandam enim inter praeceptores perinde ac inter discipulos aemulationem, illis otium, atque honestum finem laborum Tibi mens, et ratio pollicerі divinitus suasit, ut in instituenda juventute, quoad in ipsis esset, operam conferrent suam: hisce vero, amplissimis propositis praemiis, quo studiorum curriculum magnis conficerent itineribus, calcar ac stimulos addidisti. Quid vero dicam,

quam bene de omnigena re litteraria meritus sis, et quantum locupletata per Te fuerit Seminarii alumnorum institutio? Tu Canonici juris studium instaurasti, Tu physica machinamenta, loculis apte dispositis, minime impensis parcens ultro citroque comparanda curasti, ut Seminarium tuum reapse quidem apud omnes musarum domicilium merito audiret. Noli, quaeso, P. E., ab opere suscepto, usque dum perficias, defatigari. Quamquam vero gravissima intercesserunt impedimenta, quo minus tuum propositum urgeres, tamen qua polles animi fortitudine, atque innocentia, veluti firmissimo munitus clypeo pectus, omnia superasti, et ad majora capessenda alacrius contendisti. Perge per Deum immortalem, ut facis, nomenque tuum commenda immortalitati. Nulla re homines caelestibus accedere propius videntur, quam rebus sapienter gestis, quibus ab auspicatissimo Archiepiscopatus tui exordio animum intendisti. Verum decus in virtute positum est, quae magis magisque illustratur praeclaris in Ecclesiam, et studiosam juventutem meritis. Quod summum certe consecutus es ratione suadente, ac du-

ce prudentia; atque eo clarius, perenniusque adeptus es, quo illorum turba est major, qui etsi limis oculis intuentur, non possunt tamen, quin egregia munificentiae tuae, animique magnitudinis documenta admirentur. Ad tantum igitur virum, qui ad Christi gregem beandum suapte natura comparatus videtur, non mea me fallebat opinio, cum confidenter accedebam hunc librum inscribens; quem ne insano quidem labori indulgens, quo locupletior, emendatiorque prodiret in lucem, typis committebam. Qua mente vero tantum laborem susciperem, neminem arbitror praeterire. Siquidem Nicolai Ciampittii opuscula viri litteratissimi, Tuique, Princeps Eminentissime, dum vitam mortalem agebat, amantissimi, et pernecessarii, auro contra non cara sunt, nec exiguae adolescentioribus utilitatis, qui ecclesiasticis addicti disciplinis ibidem tertio quoque versu praestantissimas dicendi rationes deprehendunt, quibus nova inventa, ac recentiori nota res signatas non fucato quidem, sed naturali quodam Augustaei saeculi nitore possint mirum in modum significare; atque ab iis omnino abhorreant, quoad ejus

fieri poterit, vocibus, quae pessimo publico severiores disciplinas misere occuparunt: quasi vero nobilissimae artes non aliis quam per barbariem invectis vocabulis tractari possent. Quae cum ita se habeant, futurum confido, ut pergratum Tibi sit hoc levidense munusculum, quod, si quid est, quod certe est, non est meum: idipsum me Tibi addictissimum, obsequentissimumque exhibebit. Vale, Vir munificentissime: Teque totius Campanae Ecclesiae felicitati, in quam paternae, apostolicaeque tuae curae, tamquam e perennibus scatebris, quotidie a Te irrigui fontes dimanant, incolumem quam diutissime serva.

Datum Neapoli ex aedibus Urbani Seminarii.

DE

NICOLAI CIAMPITTII

VITA ET SCRIPTIS

CAJETANI BARBATI

COMMENTARIUS

Mirabitur fortasse quispiam, quare factum sit, ut duodecimo prope anno, quam e vivis ereptus est publico litterarum malo Nicolaus Ciampittius, nunc nescio quis demum, qui neque docentem audivit, neque eo familiariter usus est, et vel maxime aetate sua virum clarissimum nomine tantum, et re paucula in lucem edita oculis fortuito oblata cognoscens, illius vitam, et gesta enucleanda susceperit? Verum illud imprimis monitum lectorem volumus, ita hominum genus suapte natura esse comparatum, ut eos saepe, quos numquam vidimus, benevolentia complectamur, et, quoad ejus facere possumus, summis in caelum laudibus efferamus. Homines scilicet insigni virtute praestantes, dum vitam mortales agunt, usu plerum-

que venit, ut aut oblivione obruti informi situ latitare conspiciantur; aut adversa fortuna conflictati cachinnis excipiantur; aut lethali invidiae dente lacessiti, at animi sui modestia veluti pallio obvoluti, ex hominum societate exterminentur. Mors vero istiusmodi hominum acerba nomen posteritati commendans efficit, ut nullus sit bonorum desiderio modus. Quod amor utique civium facit, non vis, aut adsentatio, nullamque habet invidiam, et majorem in posterum verae virtutis fructum parere gloriam videtur. Id certe causae est, cur cernentes subinde obstupescimus nonnullos tamquam e cineribus excitatos, quorum vita obscura fuit, et mors indeplorata. At Nicolai Ciampittii vitam, et gesta scribenti alia prorsus occurrit ratio, modus alius, quae profecto immortali memoria viro decus, gloriam, atque admirationem, ultra quam satis est, comparabunt: siquidem et in vita honoribus fuit, et dignitatibus pro merito amplificatus, et mortalitate interceptum, musarum decus, suadaeque medullam secum interiisse conclamavimus; nec defuerunt eximii litterarum cultores, qui soluta, ligataque oratione supremo illum laudationis officio extulerunt. Ita accidit, ut pergrati animi significationibus vita functum prosequerentur, quem semper in oculis vivum, atque in ore habuerunt; quique pro viribus bene de re litteraria mereri studuerit, praedicatione, litteris, monumentisque, perinde quasi immortalitatem adeptus, cumularetur. Nobis vero in lucem edituris auro contra non caras ab eo concinnatas lucubrationes, ut eruditissimum quemque in sui admirationem rapiant, optimum factu

visum nobis est, si de vita, et scriptis illius commentario volumini operum praeposito, mores, atque ingenium viri describendo oculis subjiceretur, quo testatior esset hominis memoria, et posset quis facile dignoscere, quam apprime congruerent scriptis vita, et res ab eo gestae, qui ad virtutis, sapientiaeque normam totum sese effingere satégit. Cujus in vita describenda quamquam nihil mirandum, nihil extra ordinem excurrens prodatur, praeclara tamen praesto erunt rerum momenta, quae tanti viri desiderium augebunt, et serae commendabunt posteritati. Ac ne quis inusta nobis censoris nota vehementius objurget, tali manum operi admovisse, aut captandi favoris causa, qui nullus admodum potest esse a mortuis, aut nominis per quam ignobilis in tam egregii scriptoris operibus inscribendi, illuc mentis aciem paulisper convertat, nullo nos adhibito verborum lenocinio, sed historiae vestigiis carptim insistendo, hanc lucubratiunculam, qualiscunque ea demum erit, amicorum consilio susceptam celerrime confecisse.

Nicolaus Ciampittius Dominici filius Neapolitanus xvi Kal. octobris anno salutis cIↃIↃCCXLIX natus est. Praestanti ingenio puer, magnoque optimarum artium choragio instructus talem se se ab adolescentia praestitit, qualem devexa jam aetate mirum se in modum probavit. Cujus virtuti, morumque integritati, si rebus gestis homines metiri velimus, nulla certe par erit commendatio. Cumque a morum ratione suam actiones sortiantur naturam, primo quivis obtutu dignoscere potuisset, quanta animi mode-

stia, ac ingenii suavitas in eo ad unguem facto insideret, cujus in se oculos converteret. Proximum igitur collegio Societatis Jesu ad Virginis Deiparae de monte Carmelo in foro magno decennem adhuc eo deduxit pater, ubi rei litterariae curriculum alacrius susciperet, iis sane ducibus, ac praeceptoribus adolescentulorum institutioni praeeuntibus, quorum operâ ad disciplinam sui sanctissimi instituti caste, integreque navata, et pietate cum doctrina simul apte connexa, nec ingenia torpent, atque aemulatio quam quae maxime excitatur. Humanioribus veluti suapte natura comparatus disciplinis primo ad illas aditu Patrem Bryclerium, tum patrem Vives, utrumque litteratissimum audivit; quorum alterius certe egregia supersunt monumenta posteritati utilia: demum Patrem del Giudice, qui non artium modo praeceptis, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, sed praecipue etiam ad pietatis, prout ipse ajebat Nicolaus, studiis imbuendos adolescentium animos incumbebat.

Jamque ad Jesuitarum normam tertium ac decimum annum provectus instituebatur, caeterum spectatis moribus, egregiaque spe adolescens. Quare ut aliud ex alio fit, omnibus, quae apud illos sunt dignitates praeclaro admodum consilio invectae ad excitandos nempe in animis adolescentium igniculos, et ingenia promovenda admotis veluti calcaribus, promerendis operam dedit. Quam vero in hujusmodi deferendis honoribus Societatis Jesu Patres, quamque in petendis rationem ineant adolescentes, paucis addere ipsa res videtur postulare. Solent enim illi binos in

singulos annos creare imperatores, qui reapse ludi litterarii principes, et signiferi habentur, et vocantur, Romanus alter, alter Carthaginiensis. Eminentiori loco sedent, quos juxta imperatoriae dignitatis insigne statuitur illarum gentium tropaeum, caeterisque ornamentis summi honoris, atque imperii decorantur. Hujusmodi vero dignitates in litterario certamine deferre placuit iis, qui praeclara admodum ingenii, ac pietatis specimina ediderunt, quaeque etsi puerile quiddam sapere videntur, ac levidense munusculum sunt, attamen tanta animi contentione appetuntur, ut omnes curas et cogitationes impendant iis assequendis adolescentuli, neque patiantur, ut eo gradu, in quo virtus semel locavit, dignior quis, ac sollertior dejiciat. Quo nihil certe praestabilius fingi, aut excogitari potest ad aemulationem constabiliendam, adolescentiumque animos ad optima quaeque audenda impellendos.

Talem sese gerebat Nicolaus, cum praeceptor sui amantissimus, quo duce, et suasore in studio pietatis, ac litterarum altius, quam aetas ferre sinebat, radices defixerat, alio arcessitus est; qui antequam discederet, auctor ei fuit, ut Societati Jesu nomen daret, quo cura saeculi postbabita iis, in quibus satis profecisse, videbatur, pietati, ac litteris, in claustrorum umbram receptus melius posset, securiusve inservire. A quo suscepto, quippe cerea indole, ac morum facilitate, adolescentis animum quam celerrime subeundo parentes avocarunt; ipsum brevi futurum sperantes, si qua animi contentione litterarium ingressus erat stadium, conficeret, et domus ornamentum,

et patriae. Neque vero quam de puero spem conceptam habebant, fefellit opinio. Pater enim, perspecta illius voluntate ecclesiastico muneri sese mancipandi, nulla interjecta mora, intra Urbani Seminarii aedes ex sententia abdidit.

Atque utinam verba mihi suppeterent, quibus plane significarem, quantum ea tempestate Urbanum Seminarium moribus, ac litteris floreret. Recens adhuc nullo unquam tempore interitura memoria Caroli, et Januarii Majellorum fratrum, et gravissimum Alexii Simmachi Mazochii nomen, qui sacras scripturas, et hebraicam linguam seminarii alumnis interpretabatur, adeo condecoraverant, ut quemadmodum Athenas olim liberalissimis studiis eruditissimisque viris affluentes ultro, citroque immensa addiscendi cupiditate, illuc adolescentes frequentissimi convenirent. Jam vero ubi Ciampittius noster non usitata contubernalium frequentia stipatum sese undique circumspexit, quorum unum opus erat in litteras incumbere, et nova vitae ratio ad evangelii normam suscepta, quae statis horis ad certa quemque munia capessenda revocat, incredibile dictu est, quanto animi ardore in classicorum se studium abdiderit graecorum, ac latinorum, et quantum se vel imprimis probarit, ut omnes facile possent jam tum non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere.

Quem vero praestantissimum animi habitum ille gerebat a pueritia, ipsa res obsequi, sibique quodammodo indulgere visa est. Namque ei divinitus obtigit audire Salvatorem Aulam, virum certe, quem nemo satis neque

oratione praedicare, neque scripto effingere queat, et Horatium Jacobum Martorellium, qui grajae, et Ignatium Calcium hebraicae linguae in neapolitano gymnasio professores, quorum alter puerilem veluti morum integritatem cum singulari in litteris, scientiisque sagacitate aptissime conjunxit, alter vero tam plane fuit pietatis studio deditus, ut vitae probitate, atque animi modestia inter aequales magnopere floreret. Adeo certum, exploratumque est, non fucatam inibi doctrinam, ut falso nonnulli, ne dicam stulte autumarunt, tum temporis addisci, sed quae arctissimo cum pietate vinculo copulata pulcherrimos foret tempori fructus paritura. Quare nemini mirandum profecto videbitur, si tantam illi existimationem, ac famae celebritatem apud omnes exciverint morum sanctitate, et doctrina, ut Seminarium Urbanum equi trojani nomine vulgo donaretur, unde invictissimi graecorum duces prodierint, qui Ilium funditus exciderant. Istiusmodi auditor praeceptorum adeo plenis haustibus humaniores combibit disciplinas, ut non solum aequalibus suis longe anteponeretur, sed cum majoribus natu compararetur. Cujus rei illud exemplo sit, quod cum positum in more fuerit, ut quotannis aliquid ab adolescentioribus ad ingenii institutionem in adspectum, lucemque proferretur, complura ille nitidissimo dedit deducta filo qua ligato, qua soluto sermone graece, latineque conscripta; atque imprimis illa, quae in memoriam revocetur, dignissima esse potest, quam in obitu Alexii Simmachi Mazochii, quem universae litteraturae miraculum jam tum Europa saluta-

bat, ac venerabatur, orationem habuit, et Nicolao Ignarrae viro litteratissimo inscripsit. Atque utinam peracris illa ingenii primordia in nostrum perennassent aevum! quantum instar in illis deprehenderent nostri adolescentes et exquisitae in dicendo elegantiae, et eximiae venustatis. Lectitando enim, scrutando, pervestigandoque haberent, unde suas ad libellam componerent lucubrationes, quoad ipsis per aetatem licuisset.

His animum infectus disciplinis, quae ad potiora attrectanda facilius iter consternunt, procul dubio quivis conjiciet, quantum in severioribus arripiendis proficeret; in re praesertim philosophica, Salvatore Ruggerio tradente, qui non sterilem illam, et scholae tricis involutam, tamquam inter orci cancros, quod ferunt, irretitam μεθωδον consectabatur, unde vix, aut ne vix quidem filo ariadnaeo licebit expediri, in quam sane non mediocris plerique ingenii, nescio quo fato misero, funestoque compulsi impingere solent. Uti hominem praeclara admodum edita probant volumina longe lateque illis discrepantia, quae publico malo disciplinas severiores misere occuparunt. Quasi vero nobilissimae artes non aliis, quam per barbariem invectis vocabulis, exoticis sententiis, atque ipsa novitate difficultatibus referta μεθωδο tractari impune possent.

Ac ne forte, re minus expensa, quam ratio ipsa postulat, animum quis inducat, specioso dumtaxat humaniorum artium, et leviusculo philosophiae apparatu se exornasse Nicolaum, illud pro certo habendum est, non uti posthac, ita quoque ea fuisse tempestate Urbani Semina-

rii institutionem. Illius enim gubernaculo adsidebat consilio plenus, atque acerrimi judicii vir Josephus Simiolius, qui, si unum Carolum Majellum vere Seminarii instauratorem excipias, nulli decessorum comparandus videtur. Tanto igitur coram moderatore studiorum quavis ferme hebdomade, nonnullo apposite seu philosophico, seu dogmatico, seu alio quovis selecto argumento, amplaqua librorum supellectili suppeditata, quibus Seminarii bibliotheca adfluebat, singuli in orbem disserebant. Qua in palaestra adeo juventus animo exardescebat, ut eruditissimum quemque in sui admirationem raperet; atque, uti calcar eis acrius admoveretur, ipse moderator, dedita opera, praestantiores in unaquaque facultate arcessebat.

Et quoniam porticus haec ipsa, ubi illi inambulabant, quodammodo nos commovet, age jam qualis, quantusque noster ille Stoicus se gereret, intuemur. Heic enim cernere erat juvenculum Nicolaum post lucubrationem omnibus latinis, graecis, hebraicisque leporibus, atque exquisitis sententiis plane scatentem, quam recitasset, in arenam descendere, ac stando veluti intentionis vim depellere; neque andabatarum more depugnare, sed quo pollebat majore impetu cuniculos transversis cuniculis excipere, atque irritos adversariorum conatus reddere, nec prius ab incoepto desistere, quam lacessentes ipsos tamquam non ficto certamine profligasset, propugnataque veritate, victor abiisset. Hujusmodi vero disputationes eam habuerunt vim, ut, quamdiu haberi consueverunt, nimium quantum juventuti profuerint, egregiosque viros Ecclesiae, foro, gymna-

siis tulerint, quorum adhuc restat memoria desideratissima. Tanta locupletatus gaza jam sacerdos factus sese domum recipiebat.

Heic nolumus silentio praeterire, homines persaepe praestanti ingenio praeditos, et liberalibus disciplinis adprime informatos, ubi per tempus licuerit e ludo, atque ephebis excedere, otium, ac tranquillitatem nactos tantum effecisse, quantum nunquam sub praeceptoribus vel solertissimis sibi arrogassent. Quae cum ita se habere videantur, ecquis dicendo consequi poterit quos fructus uberrimos ex iis, quae animo mature inseverat, domesticos abditus intra parietes tulerit, ut citius, quam putabatur longe, lateque ejus fama increbuerit, omnesque, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, statim cognitione, ac familiaritate dignum existimarint? Qua celebritate famae in dies gliscentis, cum esset jam praesentibus juxta ac absentibus notus, illa identidem litterarum specimina exhibebat, quae, veluti jucunda acroamata, de se conceptam superabant opinionem.

Interim Josephus Simiolius, cujus antea perhonorificam injecimus mentionem, cum diu, multumque cogitasset, quibus sane rationibus efficeret, ut Urbanum Seminarium eo amplitudinis, atque existimationis progrederetur, ut primoribus praestaret (fato enim pessimo publico litterarum concesserant Calcius, Martorellius, Mazochius, quorum interitu dignitatem certe suam diminutam res litteraria indoluit) haud diu moratus est illos evocare jam sacerdotio inauguratos, quorum nomina Seminarii parie-

tes adhuc personare gestiebant. Quare non dubitavit emunctae naris vir vel imprimis oculos conjicere in Nicolaum. Et si quid erit, quod Ciampittii nomen amplificare magis, ac magis videtur, illud, profecto erit, quod in tanta litteratorum frequentia virorum, quibus affatim aurea illa aetas scatebat, caeterisque omnibus ejusdem Seminarii facile praestabant alumni, quorum fere omnium unus et idem exitus erat, Simiolius ad Ciampittium adire, domum ventitare occoepit, et communicato inter se consilio, qua dicendi copia pollebat, ei suasit, illuc propediem redire, ubi doctrinae, clarique nominis initia, et fundamenta posuerat: si ita ageret, satis omnium exspectationi facturum. Ac ne qua negotium mora interciperet, idem Simiolius illum conveniens, curruque impositum tandem voti compos secum reduxit.

Ea igitur illuc mente regressus, ut per recens adscitos praeceptores pristinum nitorem recuperaret, novumque indueret decus Urbanum Seminarium, omni opum vi cum primis contendere visus est, ut adolescentes suae curae concrediti ad humanitatis studia informarentur, atque ille litterarum amor eorum animis insereretur, quo quis incensus non fastidio vincitur, non labore debilitatur, nec difficultate deterretur. Valebant potissimum exempla tum majorum ad aemulationem excitandam, tum imprimis recentiorum, qui, veluti collatis omnino viribus, quisque pro se adnitebatur muneris sui partes exequi, quamque de se exciverant conferentes capita verbis, et scriptis vincere, exspectationem. Quod si majorum exempla magno usui

sunt ad praeclara audenda, praesertim in iis, quicunque bona indole, peracrique ingenio praediti sunt, quid porro de illis, quibus domestica illustrium rerum monumenta ob oculos quotidie versantur?

Dum totus in litteris abditus, ac juvenum institutioni intentus prae se talem ferebat Ciampittius, ecce Salvator Aula, qui tradendae eloquentiae per ipsos vi et xxx annos propemodum administrandam inierat provinciam summoque omnium ordinum applausu ornaverat, capitali morbo correptus est. Cujus vi morbi ingravescente, caeteris moerore confectis, ipse Seminarii moderator, Aulam adire non dubitavit, eumque efflagitare, « si tantae curae Seminarii decus, atque incolumitas sibi esset, quantam toto inibi decursae vitae spatio susceperat, plane aperiret, ecquis potissimum sui muneris partes posset rite suffectus obire ». Cui ille nihil haesitans tamquam e composito respondisse fertur « neminem se praeter unum Nicolaum Ciampittium magis oneri ferendo parem agnoscere; adeoque nullam inferre moram, quin post suum decessum tradendae eloquentiae ipsi munus demandaret ». Quo uno exemplo pronum erit colligere, quantam in existimationem jam tum ille pervenerit, cum tamen vix trigesimum, et alterum annum attigisset.

Quod si malum quidem est, ac periculosae plenum aleae opus iis succedere, qui bene re gesta multa laude florentes de provincia decesserunt, major illi debetur laus, quod ab ipso Aula viro, quantum in se fuit, de studiosa juventute, deque omni re litteraria meritissimo selectus, et unus

inventus, qui ei rite sufficeretur, tantique muneris partes ex sententia obiret. Obivit tamen: immo etiam effecit, ut qui Salvatoris Aulae occasu perculsi, ac luctu pene exsternati jacuerant, ad novam spem erigerentur. Enimvero vix credere par est, quantum laboris, vel in ipso rei vestibulo, Nicolaus exhauserit! Siquidem doctoris virtus est in rebus praecipiendis expeditum iter, et complanatum praebere adolescentibus; omni re, ac loco praesto esse, et face praelucere, seque comitem, ac ducem dare; studiis praeesse, sedulamque operam navare; ad summam gravitate verborum, sollertia, praeceptis, exemploque obnixe contendere, ut illi, qua majore possint alacritate, susceptum curriculum decurrant, et si quid usquam opportunius, sanctiusve excogitari possit, in id incumbere, quo tradendae ratio disciplinae melior evadat, ac fructuosior; is certe fuit Nicolaus Ciampittius, per quem unum res steterit, quominus Aulae jactura diutius comploraretur, vulnerique accepto cicatrix obduceretur.

Quae sane docendi ratio tantam ipsi brevi concivit admirationem, ut persaepe illius gymnasium ab iis frequentaretur, qui hominis capti eruditione, aut Romanas antiquitates promum condum extricantem, aut eloquentiae tradentem praecepta, aut Livium interpretantem audire cupiebant. Adeo summa erat concinnitas, ac singularis venustas, qua ex latino in etruscum vertebat sermonem, quodque caput est, difficillima quaeque, quae passim, ac tertio quoque apud illum loco occurrunt.

Atque heic facinus in nosmet consciscere arbitrare-

mur, si ne primoribus quidem, ut ajunt, labellis Nicolai semperlenitas degustaretur cum gravitate arcto connexa vinculo, ut in eo parentem amantissimum, simul et doctorem gravissimum discipuli et observarent, et diligerent. Non ut plerique faciunt, qui lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinant. Neque vero talem sese gerere quis arbitratur, quippe qui in re tradenda tyro, aut auctoritatis parum ei inesset, aut opinionis, cui semper hac in re plurimum tributum est. Namque illa scribendi ratio, quae cum prorsa, tum versa oratione postea effecit, ut neminem elegantiorem nostra cum illo aetas conferret, jam tum aequis passibus huic comitata est, cum primum tradendam susceperit eloquentiam, ubi magis, quam alibi, ansa praebetur scribendi. Cujus rei testes gravissimi adhiberi possent, pro merito affirmantes, majus roboris, exquisitaeque fuisse elegantiae carminibus, atque orationibus ea, quam quae, senescente aetate, ab ipso confectae exstant.

Nec quae in tradendis disciplinis indivulsa comes ei adhaesit felicitas, illum in regendis adolescentium moribus reliquit. Cum enim Salvator Aula rethorem simul, et prorectorem Seminarii ageret, utrumque munus Ciampittio impositum fuit a Seraphino Philangerio Neapolitanae Ecclesiae Archiepiscopo praestanti prudentia viro, munificentiaque incomparabili. Quo in munere obeundo quanta integritate, ac vigilantia spectatum se dederit, ne plura, quae sunt pene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi. Nunquam enim ab ingresso curriculo

digrediens, rem opera fovit, et consilio gessit; tantumque valuit, ut nemo unus esset, a quo decessor, qui tam bene de Seminarii incolumitate meritus erat, desideraretur. Quos vero temporis illius recordatio excitabit, quisque pro se inficias haud iturum autumabit, Ciampittium in re ad libellam perducenda jure, ac merito cum primis fuisse comparandum. Quod si hujusmodi rem haud penitus cernentibus perexigui momenti esse videatur, illud scitu dignum existimamus, eo rem spectare, ut tota Seminarii moles, quantacumque sit, in ipsum recumbat, ac totum postulet hominem. Sane nemo adolescentium commoditatibus sine maximo suimet incommodo poterit inservire.

Cum tanta laude Ciampittii nomen apud omnes adoleverit, quantam alii pedetentim, atque ut magis dicam unciatim sibi adsciscunt, Josephus Capycius Zurolus vir sanctissimus Neapolitanus Antistes experta, probataque viri doctrina, et prudentia, laboribusque juventutis bono in spem Ecclesiae subolescentis haud impigre exantlatis, raro admodum antehac exemplo illorum numero adlegit, quorum interest statis temporibus ad examen juvenes ordinandos, et peccatorum excepturos confessionem revocare, atque examussim perpendere, quantum in sacris quisque profecerit disciplinis: eoque sanctius id munus existimatur, quo, sicuti ministrorum scientia Religio exhilaretur, ita nihil eorum inscientia accipiat detrimenti. Quae sane provincia non committenda nisi iis censetur, qui spectata fide, ac meritis non mediocriter se probatos exhi-

buerunt. Atque haec bonorum documenta non ea dumtaxat litterarum expolitione ornatum ostendunt (quod vitio vertitur iis, qui alumnorum praesunt institutioni; at falso quidem : jamdiu enim explosa ista sententia est), verum iis etiam, quae ecclesiasticum virum mirifice condecorant disciplinae.

Et si alia argumenta desint, illud instar omnium erit, quod instaurata per ipsum Archiepiscopum, de quo paullo ante dixi, Josephum Capycium Zurolum academia apud patres oratorianos Divi Philippi Nerii, Nicolaus Ciampittius cunctis inter eos suffragiis, qui disserentes scriptis, ac sententiis adversus quaelibet scribendi, atque effutiendi licentiam sacrosanctam Christi religionem vindicarent, cooptatus est. Cujus ad rem recitatae lucubrationes exemplum, ac specimen nostri aevi adolescentioribus praeberent, iis potissimum, qui ecclesiae nomen dederunt, quam plane, quam ornate, quam apte, congruenterque diceret, quae enucleanda, aut refellenda susciperet, quibusque purioribus, ac penitioribus vir litteratissimus scatebris hauriret, nisi aut temporum injuria rapuisset, aut insita animo modestia omnino delesset.

Sed jam illa tempora recensenda occurrunt, cum e privata Seminarii cathedra in publicam ascendit, atque in regio studiorum gymnasio studiosos dicendi instituendos est aggressus. Senecta jam erat aetate Januarius Joannis Baptistae Vici filius, quorum utriusque nomen aeternum illic duraturum laudatore non indiget, quippe ab iis affatim profecta laus est, qui in laude vixerunt, cum qui ei sufficc-

retur, perstudiose exquirebatur. Jamdiu Ciampittianum nomen in ore omnium ferebatur, eique uni, praeter eum nemini, buccis crepantibus illud munus deferebatur. Haud diu res Albertum Capobiancum Regii Sacelli, et Gymnasii Praefectum latuit, qui ad se arcessitum, nulla mora interjecta, eloquentiae tradendae professorem suffectum, datis perhonorificis litteris, renunciavit, et Ferdinandus Rex sapientissimus id ratum habuit, atque decreto sancivit. At non ex ordine professor, nisi octavo post anno, confectis jam stipendiis emerito Januario Vico litteris et vita functo, inauguratus est.

Quod quam omnibus carum, exspectatumque acciderit, nihil est, quod pluribus disseramus. Secundis enim ominibus iter ingressus, quanta solertia, atque ingenti studio ille demandati muneris exequi partes satageret, ex iis, quae cursim arripiemus, conjicere fas erit. Tanta enim sermonis elegantia, et gravitas, tanta oris suavitas in eo enitebat cum exquisita eruditione arctissimo constricta vinculo, ut primas hac in re facile referret. Densum humeris eloquentiae studentum vulgus quotidie incenso addiscendi amore confluebat; ipsi professores, exterique, qui gymnasii invisendi causa illuc commeabant ad nomen, atque existimationem illius amplificandam magis, ac magis conducere videbantur. Quod si ad professoris rite munus obeundum non ea suppetit simplex dumtaxat disciplinarum, quae traduntur, cognitio, verumtamen ut res bene, et ex sententia succedat, illa doctrinarum supellectili praeditus sit, oportet, quae lauta sit, ac multiplex, prae-

clara e re nata depromat, vulgaria silentio praeterire sinat, et aliquando altius, pro eo ac rei postulat ratio, repetat, nihil ad fastum, omnia potius dilucide, apte et copiose eloquatur, talem inspicere prorsus erat, cum maturus, ac senex cathedram ascendit.

Ac ne latum quidem, ut ajunt, unguem ab hujusmodi docendi norma quis vel parumper divertisse arbitretur, illud monitum lectorem volumus, quod auditorum commodis vehementer inhians, quo melius, quantum per se fieri posset, consultum iret, quatuor ipse oratoriarum institutionum libros latine conscripsit, et ad usum, quem penes est jus, et arbitrium dicendi, accommodavit. Quod ut ordine, et recte praestaret, in praelectiones redegit, ac digessit, addita, quae haud scio an in aliis praeclari licet nominis scriptorum libris desideraretur, elocutione.

Qua vero mente istiusmodi libros exarandos curaverit, planiusne, magisque expeditum in re tradenda iter praeberet auditoribus, si de scripto dictaret, an ut typis potius commissos in lucem ederet, an utrumque, incompertum omnino est vel iis, qui familiariter eo usi sunt: at alteri potius, qui rem propius attingunt, inclinat animus, ut arbitremur, evulgandi causa tantum suscepisse laborem. Secus enim qui fieri potuisset, ut oratorias praelectiones tam concinne, latineque scriberet, eaque exornaret elegantia, atque expolitione, ut reliquis ejusdem scriptoris facile antistarent lucubrationibus? Num quia latialem prae hetrusco magis callebat sermonem, quo in genere scribendi complura perbelle concinnasse novimus,

an sui potius monumentum posteritati traditum voluisse existimemus? Quae cum ita se habeant, illa sedet animo sententia, eo prorsus consilio oratorias institutiones scribendas suscepisse, ut typis evulgaret, sibique optime consuleret in posteritatem.

Quanta vero assiduitate id munus prosequutus sit, totam rem sic paucis habeto. Enimvero cum qui in ejus locum substitueretur, senioque gravem relevaret, ultro a gymnasii praefecto deferretur, nunquam tamen fieri potuit, quominus aut hiemis magnitudine, aut aestus fervore, et quod praecipuum quidem est, devexa aetate, et firma parum valetudine, illuc se conferret, cathedramque ascenderet. Hae non vulgares animi dotes (rarum hercle genus in senectute), et perspecta hominis doctrina cum singulari modestia secum ipsae conspirantes gymnasii moderatoris ei munus vindicarunt. Cujus officii partes quam graviter, sapienterque gesserit, laudatione potius, quam commentario dignam existimamus.

Neque illud missum facimus, quod cum Comes Josephus Zurolus ab interioribus regni consiliis anno salutis cıɔıɔcccxiii ad juventutis institutionem, et ad disciplinam a primaeva in scholis dilapsam ubique restituendam, saepenumero cogitasset optima quaeque ab aurei saeculi decerpta scriptoribus, ac mendis prorsus expertia in lucem edere decrevisset, rem totam Ciampittio committere haud diu moratus est. Quod ingens sane opus aequo animo susceptum, opinione citius perductum foret, atque utinam felicem ad exitum tandem aliquando pervenisset! nihil

haberet neapolitana civitas, quod vel praeclarissimis librorum editione inviderct. Jamque tria elementorum universae disciplinae in usum scholarum regni neapolitani volumina, sapienter appositis animadversionibus ditata, notisque per quam nitidis in vulgus prodire typis coeperant, cum quo fato nescio, interceptum est.

Interim quae per Carolum III Borbonium constituta Academia, quam vere antiquitatum κειμήλιον appellamus, neglecta ac penitus prostrata jacebat, anno salutis cIɔIɔcccvII Historiae, atque Antiquitatis nomine insignita pulchrior e situ emergere visa est. Cujus in instauratione nihil antiquius habuit, qui virorum doctissimorum habere delectum jussus est Josephus Capycius Zurolus Archiepiscopus Tarentinus, Academiae Praeses, quam ut optimos quosque praesertim ex iis, qui urbani Seminarii exstabant reliquiae, allegeret; quorum in numero Nicolaus fuit imprimis cooptatus. Quam sane Academiam, absit invidia verbo, et viris litteratissimis, qui nomen ipsi dederunt, et lucubrationibus in lucem editis cum primis conferre audemus. Quod si brevitas commentario praescripta latius excedere sineret fines, haec foret oblata disserendi occasio de viris praestantissimis, ac vere europaeis, qui eam nomine, ac scriptis illustrarunt; deque iis, qui adhuc supersunt, quorum illud unum maxime interesse videtur e recondita antiquitate graecas, romanasque gazas revocare ad vitam, quae consepultae adhuc essent, nisi cura, ac studio istiusmodi hominum, tamquam e cineribus excitatae, revirescerent. Sed ad historicos rei litterariae nea-

politanae isthaec legendi cupidos, qui peramplam rerum segetem ad perpetuum patriae decus, et ornamentum, suggerunt, libenter amandamus; nunc quod magis instat, atque ad rem nostram potius facit, agamus.

Iisdem fere diebus Canonicus Metropolitanae Ecclesiae inauguratus est; nec multo post a Bernardo Turrio Episcopo Litterensi, qui Aloysii Ruffi Cardinalis vices gerens ecclesiasticam rem Neapoli procurabat, Seminarii moderator in illa turbulentissimarum rerum tempestate renuntiatus. Ita omnes brevi in unum congesti honores, quibus eum virtus omni prorsus remota ambitione cumulavit. Quam vero difficilis procuratio sit juventutis bono, atque incolumitati praeesse, ejus potissimum, quae in Ecclesiae, ac Societatis spem adolescit, remque ad exitum perducere exoptatum, neminem unum, qui a limine, ut ajunt, salutavit, praeterire arbitramur. At vero adeo non ipsa rei difficultas, aut temporum improbitas, aut ingravescens senio aetas ab ingresso curriculo deterruit, quominus praeter hominum exspectationem brevi perfecerit, ut quae dilapsa jam defluxerant novis legibus devinciret, perculsa, ac veluti prostrata excitaret, deque omni re ad bene sperandum signum aliquod tolleret. Ipse enim non laboribus, non vigiliis, non sumptibus parcens, persaepe privata pecunia, sicubi res, ac necessitas flagitabat, suppeditata, effusissimis incubuit studiis, ut Seminarium Urbanum, cui doctrinam, nomen, et si fas est dicere, ad honores, et dignitates pro merito sibi collatas, acceptum aditum referebat, macie, ac squalore deterso, litteris ac mo-

ribus eniteret. Quam qui maxime de juvenum institutione sollicitus quotidianis intererat exercitationibus, progressiones explorabat, diligentiam acuebat, verbis, ac praemiis, aemulatione constabilita, disciplinam provehere satagebat. Ac ne latum quidem unguem me quis a veritate divertere arbitretur, aut rei amplificandae causa isthaec commemorare, penes auctores, qui, Nicolao Seminarii moderatore, inibi fuerunt, quorum non pauci adhuc supersunt, fides erit. Et quoniam eo devenimus, ubi majora rerum momenta occurrunt, age porro ad rem propius accedamus.

Erant ea tempestate Seminaria (ita enim temporum videbatur ratio postulare) prope suo jure Urbis, ac Dioecaesis simul conjuncta; una eademque institutio, iidem praeceptores; quodque alteri deerat, alterum subibat. Humanioribus unicuique disciplinis opera suis in aedibus horis matutinis impendebatur; severioribus in archiepiscopali gymnasio; vespertinis autem hebraeas, et graecas litteras in urbano tantum Seminario juventus edocebatur; neque gallicus (prout tempus ferebat) sermo despiciebatur. Cujusmodi scilicet studiis Nicolaus non moderatoris more, ac modo, sed juxta ac si a studiis esset, invisebat, perlustrabat, concertationibus intererat: uni sibi incommodus, caeterum, qua majore posset animi contentione, adolescentium commodis intendens, perdius, ac pernox, perinde quasi nihil aliud superesset agendum, advigilabat: et tamen compluribus distinebatur curis, quarum ingenti sub mole fortissimus quisque, atque integra aetate ingemisceret.

Interim e reconditis Herculanei effossionibus complures inter graecе exaratas, illud papyrorum prosiliit genus, quod perelegantem certe latinum scriptorem, atque interpretem prope suo jure vindicabat; heroicis enim carminibus latine concinnatum erat. Statim ac prodire in medium conspexerunt, omnes laetitia praegestientes novam aliquam latinis rebus aetatis augustaeae accessionem facturos sperabant, et quidem si nonnihil Variani carminis Virgiliano non imparis afferret, uti rumor late diffusus omnium mentes occupavit. Quae cum ita se haberent, principis latinorum nostri aevi scriptorum res erat, quo melius, digniusque tanti vatis dignitati, atque communi consuleretur exspectationi. Quare haud diu dubitatum est hujusmodi interpretationis partes Ciampittio demandare; neque ille manum operi admovere, licet jam aetate, ac viribus senesceret, dubitavit. Et felici rem ausu haud cunctanter aggressus, citius quam putabatur, ad calcem perduxit; nisi adfirmare malimus, rem aliter prope, atque hominum ferebat opinio, cecidisse. Enimvero fragmenta tantum exstabant capite, ac membris mutilata, disjecti membra poetae, quae cum ad vivum secuisset, tantum abfuit, ut quid certi eliceret, ut hariolando potius nescio quid de bello ab Octaviano in Marcum Antonium perpetrato tractari hoc poemate potuit conjicere; Cajum vero Rabirium condendi carminis fuisse auctorem, poetam scilicet illum, cujus mentionem Ovidius, et Quintilianus, et Vellejus non sine laude injecerunt; sed talem, ut cum Virgilio, Varioque de principatu in epico carmine haudquaquam posset contendere.

In quam sane adductus opinionem, etsi non expressam vi, sed summo labore elucubratam, ad trutinam vero sapienter, exacteque revocatam, et testibus locupletissimis firmatam videtur, nihilo tamen secius haud res tanti erat, ut adserere non dubitaret, complura perbelle, atque exquisite ab hujuscemodi conjectoribus proferri in medium posse, at non semper rem acu tangere datum esse. Attamen vix in lucem Ciampittiana papyrus reddita est, typisque consignata, quam, uti in altero herculanensium volumine videre est, scite admodum, sapienterque etiam praefatus fuit, quum arrectis omnium mentibus, summis in caelum laudibus viri litteratissimi extulerunt, et patriae rei scriptores litteris, et praedicatione dignum interpretem existimarunt. Ipse Petrus Neapolis Signorellius peracris ingenii vir in eo, quem de ingeniorum culturae vicissitudinibus in utraque Sicilia inscripsit librum, haud satis habuit gravissimum ea de re proferre judicium, verum etiam aeternum tam praeclari laboris praeconium tradere aequum censuit posteritati.

Cum hac celebritate famae magis in dies magisque hominis inclaresceret nomen, cujus de laudibus omnium erat consentiens opinio, regali utriusque Siciliae ordini imprimis eques adscriptus est. Quem iis honorem Rex providentissimus Franciscus I delatum voluit, qui aliqua in arte, aut scientia, aut alia de re bene gesta merentes ita se probarent, quibus voluntatis, munificentiaeque suae praerogativam daret. Ex quibus illud quoque par, aequumque colligere videtur, cum semper laudabilis vitae cursum

Nicolaum Ciampittium tenuisse, ut et in negotiis sine periculo, et in otio cum dignitate esset.

Jamque illuc devenerat, ut gravissimis distineretur negotiis, quae ne spiritum quidem ducere aliquando sinerent; sicuti in more positum in nostra est civitate, ubi, caeteris posthabitis, munera in eos congeruntur, qui eminere inter omnes utcunque erit, conspiciuntur; nihilominus ubi aliquid otii nactus esse videbatur, illud ad scribendum potissimum conferebat. Et quamplurima adhuc integra aetate, et ad summam senectutem exaravit, quae simul collecta (licet non pauca pessimo publico litterarum prorsus interierint) ingens unum, aut alterum volumen efficiunt. Quibus de rebus nullam proferre sententiam audeamus; quid vero eruditi senserint, non abs re conjicere huc officii partes esse ducimus. Ea propter quas ad Carolum M. Rosinium publicae institutionis Moderatorem litteras misit Marchio Carolus de Rosa paucis sic habeto. « Magnam meretur laudem Neapolitanae Ecclesiae Canonicus, atque in Regia Studiorum universitate eloquentiae professor Nicolaus Ciampittius, quod subsecivi aliquid temporis suis gravioribus negotiis subtrahens, huic perquam eleganti in B. V. Mariae laudem elegiae conscribendae impenderit, quam nunc typis committere desiderat. Imo sane optandum est, ut Cl. auctor alia ejusdem generis scripta concinnare in posterum pergat, doctissimi Caroli Majelli exemplum persequens, qui nullam fere praeterire diem sinebat, quin aliquo graeco, aut latino, aut italico epigrammate Deiparam sibi demereretur. Hanc itaque ele-

giam dignissimam, quae typis edatur, existimo. Vale. Et vere: nullum enim patiebatur esse diem, quin aut scriptis aliquid committeret, aut meditaretur; saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Itaque non paucas scripsit orationes, quibus nihil politius, nihil perfectius fingi potest. Ex iis vero plerasque lucubravit dum in urbano seminario tradebat eloquentiam, caeteras in regio gymnasio habuit. Et quoniam tabellis obsignatis agamus, quippe quae omnes jam in vulgus, curantibus nobis, prodierunt, ecquis primo veluti obtutu non videat, eam plane dicendi rationem occurrere, quae ex rerum cognitione effloresceit, et quodammodo redundat? Adeo quae tractanda instituit erudite, ornate, copioseque dicit, ut legentis desiderio facere satis omnino videantur. In quantam vero, hisce habitis orationibus, existimationem pervenerit vel ex hoc uno perspici potest, quod Franciscus Rossius in eodem gymnasio antecessor, cujus caeteroqui virtus cognita est, et spectatissima, cum de eodem oleo aliquid scribendum ei esset demandatum, illud frequenter usurpabat « se numquam, vivo Ciampittio, orationes scribendas suscepturum, cujus ad suavitatem, nitoremque adspirare vix cuipiam dari ».

Commentariis quoque describendis de amicorum consilio operam dedit, et quidem in eo rerum genere, quibus latine significandis signata praesenti nota vocabula procudere omnino debuisset; nihilominus rem fausto omine aggressus est, et difficillima quaeque enucleanda ea sufficere verba valuerunt, quae nisi a cinctutis Cethegis exaudita, certe ab aurei saeculi scriptoribus adhibita fuerunt.

Et si ad rei fidem faciendam alia argumenta desint, unus Carolus Rosinius mihi erit instar omnium millium, quem forte legentem de vita, et gestis Brunonis Amanthaeae commentarium recens ab eo evulgatum quum quidam forte deprehendisset, ipse uti subacti vir judicii erat, haud potuit, quin admiratione quadam correptus exclamaret «Nicolaum Ciampittium Tullii linguam ad minima quaeque, et quod caput est, recens adscita feliciter adhibuisse».

Inscriptiones porro cujuscunque generis proditae nobis sunt, quarum singulas, (detur venia dicendi) si Quintilius ipse ad trutinam revocaret, haud dubitanter adfirmaret, omnes ad unam eo verborum nitore, eaque concinnitate exaratas, ut Augustaeae aetatis plane attigisse viderentur expolitionem.

Exstant quoque ejusdem auctoris litterae, quarum specimen tantum ad nos pervenisse condolemus, quasque modo ad familiares, modo ad viros principes missas, nonnumquam suo, saepe aliorum nomine scripsit. Ex quibus, ut de aliis conticescam, illas commemoratu dignas arbitramur, quae ad Leonem XII P. M. Canonicorum Ecclesiae neapolitanae nomine missae, inque romanas ephemeridas relatae, majorem noto scriptori gloriam pepererunt.

De carminibus demum, in quae mente, ac voluntate se aliquando conjiciebat nihil est, quod plura scribamus. Ingens enim nobis incessit formido, ne quae praeconio majora sunt, verbis extenuentur. Heic tamen praetereundae non sunt duae, quae extant litterae a Vito Maria

Juvenatio missae ad Josephum Castaldium XXII virum supremae curiae neapolitanae, quarum alterae per nos latine redditae haec fere habent. « Quod elegos ad me a Ciampittio in obitum fratris scriptos, atque evulgatos mittis, non possum, mi Josephe, quin ingentes tibi gratias agam. Illos enim iterum, ac saepius perlegi, semperque recenti perfundor voluptate. Latine quidem, poetice, tenuique deductos filo plane perspexi. Ad summum omnibus sunt numeris absoluti, neque illis omnino impares, qui nimium quantum auctorem probant. Mea profecto sententia sunt nescio quid medium Catullum inter, et Propertium. Datum Romae III. Non Apr. CIↃIↃCCCIV ». Alterae vero ad eum dem datae, cum ei perferendos hic elegos in funere matris a semetipso exaratos curasset, haec prope habent, et fortasse laudabiliora, quas legendi cupidos ad ipsius Castaldii commentarium, de quo mox redibit sermo, amandamus, ne alienis mercibus reculam nostram locupletasse videamur. Huc quoque accedunt Florentinae ephemerides, vulgo apes dictae, quae veluti poesis simul, et latinitatis specimen hoc ipsum carmen ediderunt. Pleraque etiam pro re nata etrusco sermone conscripsit, quae cum fere omnia interierint, duabus excerptis pro suggestu in cathedrali Ecclesia habitis, orationibus, nihil est quod heic pluribus immoremur.

Neque heic silentio praetereamus, quem de ponderibus, mensuris, et nummis veterum graecorum tractatum lucubravit, in quo illam scriptor prae se paucis fert graecanicam eruditionem, haud summis quidem labellis degusta-

tam, sed e penitioribus haustam scatebris, quae uti primoribus aevi sequioris scriptoribus latinis pro merito accenset, ita quoque perhonorificum ei locum inter graecarum rerum scriptores vindicare videtur.

Jamque tertium, et octogesimum attigerat annum, cum mense quintili ineunte morbo correptus est, cui a polypo pisce inditum nomen, qui levis initio videbatur, nec difficile opus ad stirpes ipsas evellendas, si anatomes ferro caruncula narium ossi inhaerens amputaretur (quae adeo interdum excrescit, ut spiritum ducere impediat, aegrumque strangulet). Atque utinam factum id esset, ut saniorum ferebat opinio! amici, quorum lecto decumbens frequenti corona cingebatur, incolumen paucos intra dies ad pristina reversum munia admirantes obstupuissent. At morbi vi paullatim ingravescente, ecclesiae sacramentis rite munitus, solidaeque pietatis, cui semper tenacissime adhaeserat, praeclara admodum exibens specimina, effusas inter suorum, et maxime amicorum lacrymas x Kal. Sept. cIↄIↄcccxxxII invidia major decessit e vita. Elatus indictis exequiis ad Divae Restitutae sepultus est.

Ut vero ab tanti viri jactura litteratis hominibus, amicisque lacrymas abstergere datum fuit, nihil potius habuere, quam litteris, ac monumentis praeclare de litteraria re meritum condecorare. Atque imprimis Marchio Carolus de Rosa, missis usque ad ultimam Italiam litteris ad amicos poetas, ut symbolam quisque conferret suam, carmina collegit quam plurima potuit, quibus praeposito a se conscripto elogio typis mandavit. Neque eo contentus ipsius vitam

brevi concinnavit, et ei, quem de scriptoribus neapolitanis scripsit librum, et evulgavit, attexendam censuit ad perpetuam hominis memoriam. Emygdius autem Cappellius praeceptoris sui obitum elegis sane elegantissimis per Caesarem Dalbonum hetrusce redditis deflevit. Cajetanus Royerius hetrusco, alterum vero latiali sermone ipse Caesar Dalbonus elogium conscripserunt. Demum Julius Caponius lyricum carmen inscripsit, atque in regiae societatis Borbonicae conventu habitum vulgavit. Quae typis commissa posteritati testantur, plerosque scilicet Nicolai Ciampittii memoriam multimoda sategisse laudatione prosequi, at nullum tristi tam cari capitis modum desiderio futurum. Hosce inter Ciampittianae virtutis laudatores prope suo jure primas Josepho Castaldio deferendas existimamus, quippe hominis amicissimus illa prorsus de ejus vita, et scriptis evulganda suscepit, quae non tradita ab aliis fuerant, sed quae ipse viderat, diuturnaque acceperat consuetudine; et testem quoque praecipui amoris, gratique animi significationem, lapidem posuit, quem cernere est in templo Divae Restitutae.

At quae Nicolai Ciampittii virtutibus pro merito honestandis par esse poterit oratio, aut moeroris sensibus in hominum mentibus sedandis laudatio suffragari? Ecquis enim poterit dicendo consequi illius in egenos effusissimam liberalitatem, caritatem in suos, in amicos constantiam, quibus nulli unquam defuit, aliquando sibi, adeo ut aliis vixisse, non sibi videretur. Cujus rei testem proferre in medium est Vincentium Rinaldium scriptorem no-

strae aetatis praestantissimum, qui quum viribus, ac senio enectus aegrotaret, nec, unde medicos, et salutis adjumenta compararet sibi, haberet, non ea tantum, quae illi essent opus, dum adhuc viveret, sed vita functo, quum nihil, quo honestius efferretur, reliquisset, de suo large suppeditavit. Cumque in tantam pervenisset existimationem, ut in ore omnium ferretur, impense tamen sapiente sene, bonòque dignam coluit modestiam, qua nihil in communi vita jucundius habetur. Quocirca etsi singulis fere diebus insignia quaeque concinnaret, nihilo tamen secius perpauca, et quidem ab amicis extorta evulgavit. Quam vero de se demisse sentiret, quamque magni prae sua alienam faceret doctrinam, ac praestanti ingenio viros, vel ex hoc uno cuivis procul dubio conjicere fas est, quod, cum de Donato Lilio, qui ejus auditor fuit, tantoque insigni doctore inflatis sese buccis jactabat, sermo uti persaepe fiebat, forte incidisset: « quam vellem, exclamasse senem ferunt, si mihi puerorum more, nunc quum maxime, virum egregium, et ad miraculum ferme eruditum sortito audire obtigisset ».

Praeter antheac enucleata operae pretium erit graphicis quibusdam veluti lineamentis, exemplari proposito, imaginem adumbrare, quam ad veritatis normam pro eo quantum in nobis est, conformemus. Enimvero ad severitatem licet compositus, caeteroqui comis, et urbanus, nihil futile, aut ridiculum, nihil unquam proferre in vulgus visus aliquando est, aut committere, quod mox aut facti poeniteret, aut mutare laboraret. Honoribus

amplificatus, ac dignitatibus, sui semper similis, par infimis fuit; cujus accessu nemo non profecto gravior evaderet, ac litteratior; et sapiens senex delectabatur. Plerosque exemplo suo, ac praeceptis bona indole praeditos ad praeclara audenda excitavit, a quibus et maxime colebatur, et diligebatur, quorum complures adhuc supersunt, apud quos vigens exstat viri memoria nullo unquam tempore interitura. Religioni denique, cujus in sinu a teneris eductus unguiculis ad extremum usque adeo tenaciter adhaesit, ingenuaque complexus est caritate, ut piaculum profecto existimaret, aliquem praeterire diem, quin aliquid verbo, aut scriptis, re, aut sententiis expromeret, quo majora in eam benevolentiae argumenta exhiberet. Haec fere sunt, quae de Nicolai Ciampittii vita, et gestis, quantum per nos licuit, confecta evulgantur: quo in labore suscipiendo illud menti occurrebat, si nihil aliud inde perciperemus emolumenti, exemplum certe hominis virtute, ac doctrina praestantissimi nos hominum oculis subjicere, in quem nostri adolescentes studiose intuentes haberent, cujus insisterent vestigiis, et civitati nostrae, quae haud certe iniuria tanto se jactat alumno, decus, et gloriam in posteritatem redundare.

ORATIONES

ORATIO I.

IN

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN AEDIBUS GYMNASII NEAPOLITANI

AN. CIƆIƆCCXCVIII.



Cum plurima fuerint (Praesul amplissime, doctissimi Antecessores, Senatores sapientissimi, Auditores ornatissimi) a majoribus nostris egregie sapienterque constituta; tum nihil mea quidem sententia praeclarius, atque ad rationes vestras accommodatius excogitatum fuit, optimi adolescentes, quam ut quotannis in solemni studiorum instauratione ex hoc loco ad industriam vestram acuendam, animosque inflammandos, oratio haberetur. Intellexerunt enim prudentissimi illi viri, animoque providerunt, juventutem litterarium stadium ingredientem, nisi stimulo velut admoto excitetur, non solum in decurrendo spatio remissam et segnem fore; verum etiam quavis oborta difficultate deterritam a suscepto cursu destituram. Qua quidem ex re quanta adolescentibus labes, quantum civitati detrimentum, quantum litteris ipsis dedecus conflетur, est dictu difficillimum. Nam juventus e doctrinarum complexu divulsa omnium vitiorum coeno foedari; civitas bona spe, quam ex erecta alumnorum suorum indole praece-

perat, frustrari; disciplinae denique nullo quasi numero habitae, despectaeque sine cultoribus jacere passim viderentur. Quamobrem mihi, ut e sapientissimo hoc more institutoque majorum vos utilitatem maximam caperetis, diu multumque cogitanti, ea demum oblata est ratio, quam cum ad patriae splendorem, et litterarum incrementum non mediocriter pertinere; tum vero ad honorem commodumque vestrum quamplurimum conferre, existimavi. Plane enim confido me omnium animos maxime incitaturum, si sollertiae vestrae praemium prae reliquis omnibus amplissimum propositum esse perdoceam. Jam quid in hoc mortalis vitae decursu jucundius esse, aut utilius aut praestantius; quid denique optandum magis, aut expetendum videri queat, quam sub clementissimorum Principum nostrorum imperio, optimo frui statu civitatis? Atqui tantum bonum tam excellens, tamque magnificum, vel efficere vel consequi non alia vos ratione poteritis, nisi studiorum agitatione adolescentiam traducatis. Explorata quippe res est, doctorumque hominum suffragio comprobata, litterarum studiis niti, et quibusdam quasi gradibus assurgere attollique secundas civitatum res, atque fortunas. Verum ab ea felicitate immane quantum aberrabitis, adolescentes, si segnitiem et temeritatem, quae duo incautae cum primis aetati fraudi noxaeque esse solent, ad doctrinas perdiscendas afferatis. Litterae incuriose temereque excultae nihil ex se bonae frugis gignunt, neque ad ingenium, neque ad animum efformandum; atque adeo noxiae magis hominum generi sunt, quam fructuosae. Neque mihi illorum sententia improbatur, qui eam foeditatum colluviem, quae ad posteritatis memoriam insignis in hoc foecundissimum culparum saeculum effusa est, ex hominum, qui perfunctoriam litteris operam dederunt, temeritate partem maximam defluxisse contendunt. Itaque

alia ratio, alia vobis via est ineunda, quae ad proposita praemia sine ullo errore deducat. Equidem spondeo et recipio, fore vos optimo ut civitatis statu perfruamini, primum si summa alacritas, deinde si certum quoddam consilium ad disciplinarum culturam a vobis adhibeatur. Quam duplicem orationis meae partem, dum breviter pro rei dignitate explicare satagam, oro quaesoque vos, Adolescentes optimi, diligenter attenteque audiatis.

Nemo sane est, quin persentiscat ita quemque natura conformatum esse, ut si qua praeclarae cujusdam eximiaeque rei species occurrat, mentique obversetur, confestim animus commoveri, et in rem illam incendi videatur. Quare acriori quodam desiderio exstimulatus agitur impelliturque semper, nec ullo potest loco conquiescere, donec quod tantopere concupivit, aliquando tandem adipiscatur. Atque haec est, Adolescentes, illa animi affectio, quem amorem vocitamus, qui a sapientissimo rerum Conditore homini est insitus, ut ad optima quaeque aggredienda efferretur. Ac sane si rationi paruerit, eamque ducem sequi non recusaverit, incredibile omnino est, quot mortalibus universis bona sit allaturus. Jam autem ex ejusmodi amore, tanquam e stirpe sua, erumpit alacritas illa, quam ad excolendas litteras pernecessariam esse confirmavi. Ipsa enim fit, animus ut disciplinarum amore incensus, in earumdem curriculo nec fastidio vincatur, nec labore debilitetur, nec difficultate deterreatur.

Dissimulandum certe non est, AA., ut virtutis, ita sapientiae domicilium in editi montis supercilio locatum aditu praerupto, arduoque adscensu. Quare principio plures experiundi sunt ei labores et subeundi, molestiaeque plures exhauriendae, qui montem illum adrepere, et in amplissimae sedis penetrale, pedem inferre velit. Neque porro, si conatu nisuque perparvo sapientia staret, omnes

omnium saeculorum homines tantum ipsi honoris, pretii tantum arrogassent. Qui vero tanta vis poterit, tantumque robur comparari, ni singularis in litteras amor exarserit, animoque pepererit ingentem alacritatem?

Quod non tam difficile factu est, quam plerique fortasse vestrum opinantur. Etenim si diligenter animadvertere velitis, quales et quantae sint opes, copiaeque quam praeclarae, quam honestae e cultu disciplinarum in omnes redundaturae, honos, existimatio, virorum principum gratia, celebritas immortalitasque nominis; adhaec secundis in rebus ornamentum et dignitas; in adversis perfugium et solatium; hominum denique salus, incolumitas, felicitas; haec, inquam, omnia si per summam diligentiam consideraveritis, quantus tum disciplinarum amor excitabitur? quanta exinde alacritas coorietur? Heic sane juventus summa aviditate doctrinas arripiet, incredibili ardore persequetur, impetuque in dies vividiori ad metam non curret illa quidem, sed convolabit.

Nemini vero pertimescendum erit, ne exsaturata aviditas, ne restinctus ardor, ne compressus impetus elanguescat, juvenesque in medio litterarum, et laudum cursu restitent, planeque deficiant. Nam quid poterit explere illam aviditatem? Num utilium praestantiumque rerum copia ex disciplinis conquisita? At eaedem illae res non mediocri cura vestigatae, et plurima animi voluptate cognitae, novum semper ac vehementius acuunt vestigandi cognoscendique desiderium. An labor impetum retardabit? At excelsae indolis adolescentem, atque ad magna et praeclara natum labor erigit, difficultas stimulat, discrimen inflammat. An denique voluptatum illecebrae ardorem restinguent? At animus, post exhaustos labores, ubi sapientiae se undique explicantis formam, amplitudinemque propius intuetur, tanta jucunditate, et suavitate perfunditur, ut omnes cor-

poris voluptates despiciat, omnes illecebras aspernetur. Fateor equidem, humanissima et liberalissima delectatione me cumulari, cum adolescentem litterarum amore captum, atque inflammatum, animo mecum ipse contemplor. Videor enim mihi illum videre bene ante lucem e lectulo desilientem, fusis ad Deum ex more precibus, pluteo assidere; libros, quibus circumfunditur, legere animo perattento; lecta uno defixum obtutu meditari; meditata in adversaria accuratissime referre. O spectaculum non modo sapientium, sed etiam sapientiae oculis jucundissimum! Infremunt, infremunt quidem cupiditates, acerrimaque oppugnatione a gratissima studiorum commendatione abstrahere moliuntur. At ille, tanquam immota mari cautes ventorum vim fluctuumque allisum, sic impotentium cupiditatum impetus pugnasque contemnit.

Atque si majora forent orationi nostrae spatia praefinita, huc plurimos ex omni memoria clarissimos juvenes afferrem, qui ne qua suis mora studiis interponeretur, labores plane incredibiles, contentionesque susceperunt, vitamque vixerunt arctam atque attentam, quo obsepta ad doctrinas via panderetur. Sed qui possum gravissimum illud juvenilis alacritatis, constantiaeque exemplum, Demosthenem inquam, silentio praeterire? Qui tantopere eloquentiam adamavit, tantaque persecutus est strenuitate, ut et artis difficultates, et naturae impedimenta pervicerit. At quae et quanta, AA., illa exstiterunt!

Dicendi timiditas, linguae haesitantia, laterum infirmitas, spiritus angustia, actionis deformitas; omnia, omnia inaudita contentione profligata ab illo fuerunt, atque superata. Quid vero quod ut binos, aut ternos etiam menses ipsos uni eloquentiae vacare sine ulla interpellatione liceret, in cubiculum imis aedibus ad id exstructum sese abdebat capite semiraso, ne honestatis ratio pedem efferre

domo, et in publicum prodire sineret, etiamsi animus diuturna exercitatione defatigatus juberet? Ita quem ad summam laudem aditum obstruxisse natura videbatur, amor aperuit, alacritas patefecit.

Utinam eadem flamma vos corriperet, AA.! Utinam idem ardor animos pervaderet! Quanta imperio suo Rex optimus e studiis vestris decora, quanta sibi emolumenta civitas oboritura laetaretur! Raperetur enim, raperetur quisque studio elatus, nullaque itineris salebra retardatus, non extimas solum doctrinarum, ut ita dicam, oras inviseret, sed abditos quoque sinus adiret, intimosque recessus penetraret. Qua quidem ex peregrinatione ingentibus collectis opibus domum redux, ad quamcumque reipublicae partem vocaretur, ornatus cum primis instructusque accederet, et delata sibi munia sapientissime perfungeretur. Quam felix, quam beatus tum foret status civitatis! quantum publicae florerent, privataeque rationes!

Nam illud velim dies noctesque cogitetis, AA., ex vestro olim numero atque ordine, sapientissimum Regem esse delecturum, quos sacrarum curarum sibi adsciscat administros et adjutores. Vobis profecto, cum res aetasque vestra poposcerit, Ecclesiarum, provinciarumque rationes, vobis populorum otium, salutemque erit Ille commendaturus; vobis denique totam rempublicam domi, foris, militiaeque crediturus. Quae sane munera tam gravia, tot undique tantisque cincta periculis, cum erunt vobis Regis clementia demandata; qua ratione inire, gerere, perfungi poteritis, si litterarum studia adolescentia non dicam fuerit aversata, sed leniter attigerit, leviterque degustarit? Nulla, vel admodum exigua doctrinarum ope comparata, sub gravissima rerum sarcina primum ingemere, tum urgente ipso pondere concidere, cum exitio civitatis ac peste videremini.

Si recte attenderitis, AA., nulla est, quam reipublicae gerendae ars difficilior, quae, nisi plurimae ipsam artes, doctrinaeque adminiculentur atque suffulciant, nusquam erigere sese, nusquam consistere potest. Rimandi enim sunt reconditi animorum sensus, errores evellendi, fovenda virtus, frangenda audacia, pudor custodiendus, coercenda improbitas, excutiendae latebrae, ubi se scelera occuluere, obstruendae, unde sunt iterum in hominum perniciem eruptura, tuenda denique omnium bona, vita, existimatio. Quantae haec sollertiae autumatis esse, quantaeque sapientiae? Quis haec aut animo capere, aut viribus sustinere poterit, nisi a puero se, disciplinis fere omnibus alacriter arreptis, ad tantarum rerum molem comparaverit? Atque ab hac certe caussa fuit, cur philosophorum princeps ille Plato, homines ad rempublicam capessendam designatos, non ante manum civitatis gubernaculo admovere edixit, quam complures jam annos in optimarum artium studia ita se ingurgitassent, ut lectissima doctrinarum fruge pleni prae reliquis, divina quadam sapientia pollere viderentur. Quid autem ex omni antiquitate testes excitem legumlatores sapientissimos? Omnium quippe sermone celebratum est, nihil eos habuisse antiquius, quam juventutem in disciplinarum palaestra summa diligentia exerceri, quo ad obeundas civilium muniorum vices jam inde a prima aetate conformaretur.

Quod si homines ita ab adolescentia instituti, tantisque doctrinarum praesidiis instructi, ad urbanas, provincialesque procurationes admoverentur, ecquis esset oratione explicaturus, quantis copiis civitates augerentur, quantis commodis abundarent, quanta demum felicitate efflorescerent? Nonne is foret optimus, faustissimusque status civitatis? O auspicatissimam amantissimi Regis, populique obsequentissimi conditionem! Tum equidem non homines,

sed ipsam ferme sapientiam civitatibus praesidere fidenter affirmarem. Illa juris, judiciorum, legumque sanctitatem; illa commerciorum fidem et opulentiam; illa populorum incolumitatem atque otium; illa Regum dignitatem, majestatemque tutaretur.

Jam autem intellexistis, AA., quanta civitatibus bonorum seges e studiosae juventutis alacritate pariatur. Verum ut ea ingens ac fere immensa sit, tamen, ut vere dicam, ad perfectam absolutamque populorum felicitatem satis esse nequit, nisi eodem certum quoddam discendarum litterarum consilium adjiciatur. Atque quodnam erit ejusmodi consilium? Attendite, AA., paucis enim quae mens, et sententia mea sit, expediam. Omnino omnium disciplinarum nulla est, quae non cum ingenium rerum cognitione informare possit, tum animum virtute exornare. In ipso enim doctrinarum sinu egregia quaedam virtutum semina delitescunt, quae fructus efferent uberrimos, modo non instrenui cultoris labor accedat, et industria, quibus illa primum exclusa, paullatim deinde adulta perveniant ad maturitatem. Quare si adolescentibus illud animo consilium defixum erit, uno eodemque ut tempore e litterarum penu et perutiles notiones, et eximias virtutes expromant; tum quidem affirmare quisque sine ulla dubitatione poterit, ipsos ad patriae decus, ac populorum beatitatem erudiri. Doctrina enim et virtus unico velut satu animis adolescentium credita simul radices aget, simul annorum processu laetissime fruticabit, simul aetate corroborata in optimam segetem fundetur, mortalibus universis maxime commodaturam.

Sed ut rem ipsam oculis cernatis, AA., fingite animo juvenem pulcherrima naturae studia maxima sedulitate peragentem. Is cum hanc rerum universitatem oculis ac mente contuetur, cum ejus partes, terram, ac florum,

herbarum, arborum, frugum varietatem, copiam, utilitatem; montium altitudines, planitiemque camporum; fontium amniumque perennitates; ac tot genera bestiarum; cum maris pulchritudinem, belluasque et numero et genere prope infinitas, partim submersas, partim innantes, partim saxis nativis testis adhaerentes; cum caeli immensitatem, siderumque multitudinem, distantiam, naturam, magnitudinem, ortus, obitus, cursusque praefinitos; cum haec, atque innumera aliis alia mirabiliora contemplatur, nonne Deum ipsum in singulis naturae operibus sibi occursantem sentiet, illudque animo assidue ingerentem, atque auribus quasi inclamitantem, sese cuncta procreasse, cuncta tueri, cuncta numine, ac majestate sua moderari? Illum igitur non agnoscat? non revereatur? non omni caeremoniarum ritu, et religione sibi pie, casteque colendum arbitretur? Postquam autem perspexerit, summum ipsum Deum rebus omnibus summa providentia praesidentem vicariam cum Regibus potestatem communicasse, eosque hominibus regundis praefecisse, quo non obsequiorum genere vivas hasce, spirantesque supremi Numinis imagines prosequatur? quam in ipsos fidem prae se non ferat? qua voluntate eorum imperiis, nutibusque non pareat?

Quod si magnificentissimo tantarum rerum spectaculo commotus adolescens, ad illum, qui eas procreavit, atque ad id, quo easdem noscimus et intelligimus, cogitatione ipsa efferatur, ac Deum, ejusque potentiam, justitiam, providentiam, caeterasque dotes incomparabiles, quantum quidem consequi mente poterit, meditetur; tum animorum nostrorum simplicitatem, excellentiam, vim singularem, celeritatem incredibilem, admirabilemque sagacitatem perscrutetur, quis dubitabit, quin his percognitis, integre sancteque universas officii sui partes sit obiturus is,

qui sibi persuaserit, non brevi huic fluxae vitae curriculo sese nasci, sed ad immortalem alteram reservari, ubi ipse Deus recte, secusque factorum rationem reposcet, et praemia cuique poenasque, perinde ac meritus est, sempiterna dispertietur?

Par autem virtutis splendor affundetur adolescenti, qui se ad naturae, gentium, civitatumque jura converterit, unde officiorum, quae homines hominibus consociatos obstringat, vicissitudo proficiscatur, exploraturus. Vix quidem ea studia subtilius expendenda suscipiet, cum illum ipsum, qui hominem condidit, qui divino animorum munere auxit, qui, qua nihil est praestabilius, ratione instruxit, summum ac praepotentem Deum consignata animis boni malique notitia, ac praestituto non in opinione, sed ipsa in re honesti turpisque discrimine, homini jura naturae apprime consentanea dictantem .... dictantem autem dico? imprimentem animo, inurentemque, suis quasi oculis perspiciet. Indidem vero gentes sna scita haurire, indidem rerum publicarum moderatores sua jussa decerpere, populosque in urbes inita societate collectos vinciri inter se legum sanctione, et adversum injurias communiri deprehendet. Qua juris origine patefacta, quis erit honestatis amor? quae turpitudinis exsecratio? qui justitiae cultus? quae legum reverentia? neque intentatus suppliciorum metus a scelere concipiendo avocabit, neque proposita utilitatis magnitudo ad manus in officio continendas alliciet, sed ipsa honesti, rectique vis, et pulchritudo ut huic caelesti descriptioni, mentique divinae audiens praestoque semper sit, cohortabitur.

At perquam molesta vobis foret oratio mea, si ceteras disciplinas perlustrare pergerem, et quae inde virtutes elicerentur, singillatim enucleare. Quamobrem illud cogitate perdiligenter, AA., si litterae alacriter excultae

tantum homini, quantum superiori oratione perpendimus, afferre queant, et dignitatis et sollertiae et dexteritatis, ut publicorum muniorum pars nulla sit tam gravis ac difficilis, quam non is expediat, ad exitumque perducat, quid expectandum porro erit, cum ipsae disciplinae tantam virtutis admirationem animo conciverint? tantum amorem instillaverint? tantam praestantiam invexerint? Doctrina profecto cum virtute dulcissimo vinculo apta, et colligata permirum sane, quanta sit populis commoda conciliatura, quantamque rerum omnium faustitatem adductura. Ac mihi videtur altera laboriosam praeclarorum facinorum viam commonstrare, altera ad ingrediendum iter naviterque conficiundum, non modo invictum robur suggerere, sed etiam ducem sese comitemque praebere. Altera plagas civitati hominum perversitate inflictas detegere, altera praesentissima adbibita medicina consanare. Altera gratia flecti, servire cupiditati, vitiorum corruptela in praeceps ferri quam turpe sit, quam homine indignum aperire; altera ad gratiam contemnendam, ad refraenandas cupiditates, ad scelera comprimenda animum quotidiana exercitatione assuescere. Utraque demum, collatis quasi opibus conspirare, conjunctisque viribus conniti, atque elaborare ad mortales omni felicitatis genere cumulandos.

Equidem Solonis sapientiam tum multis in locis admirari soleo, tum praecipue, quod Areopagum summum Athenis consilium esse voluit. Qui ubi maximarum caussarum disceptatio, juventutis institutio, morum censura permissa ipsi fuit, summae rerum praesidere videbatur. At quos in id consilium viros deligendos lege cavit? Ipsa lumina civitatis, quibus summo magistratu defunctis, tum in augnstum illum consessum reserabatur aditus, cum ad egregiam in rebus agendis dexteritatem, atque doctrinam singularis quaedam virtus adjuncta esse examine diligen-

tissimo comprobaretur. Itaque compluries, quamdiu stetit incolumis, labantem Atheniensium rem stitit, in extremum periculum adductam ab interitu restituit, et ad pristinam majorum gloriam, decusque revocavit.

O praeclara atque admirabilis doctrinae virtutisque cognatio! precibus, votisque omnibus expetenda! qualis et quanta inest in te vis et potestas ad beandos populos, ad regna constabilienda, ad pariendum optimum florentissimumque statum civitatis! Quae quidem felicitas, quanti aestimari debet, AA.? quo studio, quo labore, qua contentione comparanda? At jam cognovistis, ea perfrui non posse, nisi disciplinas summa alacritate arripiatis, atque ex ipsis eximias virtutes optimo consilio exsculpatis.

Agite igitur, optimae spei AA., et studiorum vestrorum curriculum alacriter inite, atque ea mente decurrite, ut et doctrina et virtute animus penitus inficiatur. Nec committite, nominis ut Neapolitani gloria, quam majores pepere, vestra incuria dilabatur, ne optimus hic, quo singulari Dei benignitate fruimur, civitatis status, tanta Regis sapientissimi vigilantia, consilio, virtute firmatus, negligentia vestra detrimenti aliquid capiat, ne denique otio, quaeque inde gliscere solent, criminibus patriam amantissimam dedecore et calamitate mactetis. Quae quidem si vocem emittere, et vobiscum sermocinari posset, ita mihi vos allocutura videretur. Ego vos sinu excepi, optimi AA., ego ad laudem alui, ego ad studia produxi. Vos mihi pacis ornamenta, vos belli subsidia debetis; cavete, ne spem quam in vobis defixi, atque locavi, exitus ludificetur. Quae ad litteras praesidia, quae ad virtutes incitamenta comparaverim, videtis. Ferdinandus Augustus laudum mearum parens, stator, amplificator, Majorum suorum munificentiam aemulatus, inter molestissimas regnorum curas nihil sibi potiori studio habet, quam ut litteras, litte-

ratosque viros honoribus, praemiisque cohonestet. Praesul Academiae praefectus non doctrina minus, quam virtute amplissimus, gravi multiplicium negotiorum fasce nihil admodum retardatur, quominus institutioni vestrae advigilet, in rem praesentem veniat identidem, progressus vestros exploret. Antecessores doctissimi, quos auctae ipsorum ingenio, studioque illustratae disciplinae celebrarunt, nihil industriae, sollertiae, labori, reliquum faciunt, quo vos ad doctrinarum penetralia brevi facilique via deducant. Clarissimi Senatores, quorum vigilantia, auctoritate, sapientia Neapolitana res viget, ad eadem, quae tanta cum laude impressere, vestigia legenda suo vos exemplo excitant quotidie. Anne majora ad studia percolenda vos praesidia quaeritis? anne acriora ad virtutes exprimendas incitamenta exspectatis? Providete, AA. optimi, providete, ne quando, cum omnia abunde a me praebita sint, vobis ipsi defuisse videamini.

ORATIO II.

PRO

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN AEDIBUS GYMNASII NEAPOLITANI

AN. CIƆIƆCCCXIII.

Diu mihi, multumque cogitandum minime fuit, Auditores ornatissimi, quodnam hodiernae orationi, quae in amplissimo tot, tantorumque virorum conventu habenda est, argumentum adtexendum foret, quod satis exspectationi vestrae facere, temporisque rationi respondere videretur. Quoties enim cumque hujus loci, ubi considetis, quotiescumque hujus diei, qui nomini neapolitano faustissimus illuxit, mihi venit in mentem, toties ob oculos obversatur triumphus ille clarissimus, atque haud scio, an iis, quos olim Roma gentium victrix, admirata est, longe clarior, quem hoc eodem die, anno proximo superiore, litterae, scientiaeque deportaruut. Quem sane triumphum noruntuniversi Joachimo Napoleoni P. F. A. acceptum unice esse referendum. Rex enim sapientissimus inter innumeras, quibus quotidie distinetur, gravissimasque belli pacisque curas, nihil unquam praevertendum existimavit disciplinarum omnium incremento, atque hominum doctrina praestantium dignitati. Hinc profecto factum est, ut major, quam antehac, litteris honor accesse-

rit, ac majora constiterint praemia litteratis. Quare quum more, institutoque majorum haec oratio excitandae ad scientiarum studia juventuti universa debeat accommodari; vix hoc ad me dicendi munus delatum fuit, quum ipsa Principis invictissimi prolixa et perpetua in optimas artes voluntas, ipsa effusa in earumdem cultores beneficentia sese mihi obtulit, ac veluti vim quamdam adhibuit, id ut argumenti adriperem, vobisque, optimae spei adolescentes, (jam enim ad vos mea convertenda oratio est) comprobarem, cum spem praemiorum acerrimum ad scientias impensissime excolendas incitamentum esse; tum illam ipsam nunquam hominibus nostris, quam hoc tempore, tam incenso tanti Regis studio, affulsisse laetiorem. Qua quidem re explicata, dubitandum mihi non est, quin per vos ipsi novum industriae vestrae curriculum et impigerrime ineatis, et summa alacritate decurratis. Adestè igitur animis, adolescentes, neque mihi de tam admirabili Regis laude, de praeclarissima patriae gloria, de maxima utilitate vestra dicenti exigui temporis usuram denegetis.

Exploratum, adolescentes, habent universi, parvulos quosdam igniculos animis hominum, nisi qui stipites sine sensu ullo, gustuque rerum optimarum nati sint, a natura congenitos fuisse. Consopiti illi quidem, et veluti cineri suppositi delitescunt: sed si qua ratione excutiantur, ipsi exardescent, flammasque ingentes excitabunt, quibus animi extemplo incensi, incredibile dictu est, quanta vi, quantaque celeritate ad praeclara omnia obeunda rapi, ferrique videantur.

Quid tandem, quaeret fortasse quispiam, quid tandem illud erit, quo ex seminibus, quae natura nobis insevit, tanquam silice aliqua, confricando, percutiendoque illae admirabiles scintillulae extundi queant? Non equidem ne-

gaverim, adolescentes, homines esse excellenti quadam indole, atque eximia praeditos, qui nulla re alia, nisi gloria, ducuntur. Atque quum gloriae stimulus eo sit acrior, quo cujusque ingenium erectius est atque praestantius; hinc tanto illos impetu videmus incitari, nulla ut voluptas ab inita via, nullus labor, nullum discrimen avocare possit, aut susceptum cursum retardare, donec fama nominis sui dissitas terrarum oras peragraverit, sibique comparaverit immortalitatem. Gloria igitur in hoc tam egregio hominum genere insitos naturae igniculos fodit atque exsuscitat, unde vis illa existit effectrix tot rerum pulcherrimarum.

Verum quotusquisque, Adolescentes, hac prope divina indole gignitur, atque in lucem ingreditur? Vix uni omnium, alterique de tam praeclaro naturae munere gratulari poterimus. Reliquos, nisi laborum vigiliarumque fructus aliquis ostendatur, somniculosos per otium admurmurare inaudiemus: *Nisi utile est, quod facimus,* quod inquiebat ille, *stulta est gloria.* Mihi certe quid vos animum studiis adjungere, quid huc frequentes quotidie ad Professores adire perpulerit, roganti, si ex animi sententia respondere volueritis, adolescentes, non dubito plerosque omnes utilitate, quam ex industria vestra in vos redundaturam confiditis, vos id facere confirmaturos. Qua de re palam est, praemiorum spem vim incredibilem habere ad agitandos igniculos flammasque illas eliciendas, quibus non modo universum disciplinarum spatium incitato gradu sine ulla offensione excurritur, sed etiam sapientiae culmen, licet abruptum sit salebrisque undique obseptum, conscenditur, atque superatur.

Atque ab hac quidem caussa fuit, adolescentes, cur iis tempestatibus, quum viri principes exstitere, quorum non vulgaris enituit in litteras voluntas, ac in litteratos munificentia, e vestigio fervere ingenia coeperint, hominesque

veluti e diuturno somno expergefacti ad disciplinas, quae nullo habitae numero obsolevisse videbantur, excolendas incredibili contentione incubuerint. Ex quo animorum in idem connitentium tanquam affrictu, attrituque splendidissima quaedam, dispulsa caligine, lux bonis artibus affusa est, quae non solum hominibus earum regionum, ubi oborta primo est, sed omnibus locorum, atque aetatum omnium affulsit fausta planeque salutaris.

Quanquam autem nihil hac re certius sit, atque exploratius, tamen, ni grave fuerit praeteritarum aetatum memoriam tantisper animo repetere, licebit, adolescentes, uberrimam et ingeniorum et doctrinarum segetem, quae magnorum Principum liberalitate semper floruit, oculis prope vestris intueri. Quid? Nonne Graecia universarum artium et scientiarum parens, atque altrix; quid? nonne Roma illa gentium domina ea maxime tempestate, quum Pericles, quum Alexander, quum Augustus rerum potirentur, disciplinarum omnium laude affluere, atque hominum praestantium copia abundare videbatur? adeo quidem, ut Periclis, ut Alexandri, ut Augusti saeculum omnium aetatum, gentiumque cultarum memoria celebratum nostra adhuc praedicatione cohonestetur.

Nolim equidem in eam vos opinionem delabi, adolescentes, ut, quemadmodum, quae de Periclis, Alexandri, Augustique saeculis modo commemoravimus, tanto ab aetate nostra intervallo sunt dissita; ita etiam a moribus ea nostris et consuetudine abhorrere existimetis. Immane quantum ejusmodi distaret a veritate sententia. Namque homines natura ipsa ita sunt comparati, ut undecumque utilitatis honorisque spes oboriatur, illuc omnibus animi nervis contendere, adnitique videantur. Quae quidem ratio conformatioque naturae nulla nec locorum, nec temporum varietate immutari, aut deleri potest.

Atque ut id ipsa re intelligatis, tantisper hinc animo avolemus, et Italiam, Galliamque mente perlustremus; illudque tempus memoria repetamus, quum Medicaei Principes Florentiae, Romae Leo X., Ludovicus XIV. Lutetiae Parisiorum tot tantisque egregiae voluntatis significationibus litteras prope intermortuas e squalore, situque ad vitam, nitoremque revocabant. Quot, quam praestantes viros, quam in omni doctrinarum genere eximios civitates illae admirabundae conspexerunt! Quodnam porro decus, quod ornamentum ex perpetuo improboque tot hominum in unum, idemque conspirantium conatu accessit disciplinis? Quis splendor, quae lux Europae universae oblata est?

Heic autem, si quaeram a vobis, adolescentes, quid homines otio, desidiaque diffluentes ad tot labores exhauriendos impulerit, nonne unam praemiorum spem ante oculos positam illos excitasse, atque acuisse respondebitis? Ita enimvero. Atque quemadmodum, ut in fabulis proditum est, serpentium dentibus in terram conjectis, continuo milites armis instructi ad praelium pullularunt; sic praemiis per viros principes propositis, statim homines ad studia persequenda facto veluti agmine cooriuntur.

Verum quid est, quod ex hac urbe peregrinari, exterasque gentes invisere debeamus, quum satis exemplorum sit domi? Adrisit, adrisit majoribus etiam nostris amica litteris ac litteratis hominibus fortuna, quae quidem tanta fuit, nihil ut reliquis nationibus invidere possemus. Magnanimus ille Alphonsus Aragonius domi bellique clarissimus, quum hisce pulcherrimis totius Italiae regionibus imperitaret, mirifico quodam doctrinarum amore, ac studio flagrabat. Quidquid hominum, qui ingenio pollerent, scientiaque praestarent, vel domi cognitos, vel foris accitos colloquio, mensa, hospitio dignabatur. Nullum fuit

munus, quod iis non ultro deferret; nullus honoris gradus, in quo non summa voluntate collocaret. Explicari paucis non potest, quantum singulari hac regis benignitate Neapolitanorum animi exarserint, quantaque felicitate ad politiores omne genus disciplinas arripiendas convolarint. Ac forte fortuna Alphonso praeclarissime de patria merenti Antonius Beccatellius, et Jovianus Pontanus, qui quantique viri! praesto fuerunt, ejusque voluntati mirificum plane in modum obsecundarunt. Academia enim condita, quasi quaedam optimarum artium omnium instituta per eos fuit officina, ubi delecti ex universa civitate viri erecta indole atque excelsa ad eximia quaeque illis auctoribus ac ducibus exercerentur. Qui tum fuit in hac urbe latinarum, graecarumque litterarum cultus? quae poesis praestantia? qui splendor eloquentiae? quae Philosophiae dignitas? quae doctrinarum omnium amplitudo? ut hic Neapoli, quemadmodum de Athenis dictum olim fuit, celeberrimus nobilissimarum artium mercatus indictus esse videretur. Indidem autem confertissima hominum doctissimorum, quos infinitum prope esset singulos enumerare, cohors prodiit, qui aeternis ingenii monumentis sese, patriamque celebraverunt. Iidemque primi omnium immortales venerandae antiquitatis scriptores aemulati ad eorum ipsorum gloriam proxime accesserunt; reliquisque Italiae eruditis viris ad bene de omni re scribendum quasi signum aliquod sustulerunt. Qua profecto ratione perfectum est, ut Medicaeorum, Leonis et Ludovici saeculo nos Neapolitani praefidenter Alphonsi saeculum objicere possemus.

Atque his argumentis solis luce clarioribus eo vos adducti videmini, adolescentes, ut persuasum habeatis praemiorum spem ingenitos animo igniculos exsuscitare, quibus homines ad praeclara audenda impellantur. Jam vero

si aetates, quas modo commemoravimus, cum hac nostra comparaveritis, nullam certe reperietis et litteris et litteratis fuisse laetiorem. JOACHIMUS enim NAPOLEO, quum ad Magni illius NAPOLEONIS triumphatoris gentium universarum effigiem sese finxisset, vix imperium regionis beatissimae nactus fuit, quum in eo cogitationes curasque defixit, ut Neapolitani et domi litterarum laude, et militiae armorum virtute florentissimi haberentur. Ac si res, si locus, si tempus militarem JOACHIMI gloriam tot bellis, tot praeliis, tam vario hostium genere, et formidoloso NAPOLEONIS maximi Imperatoris ductu auspicioque partam delibare pateretur, immensus sane, in quo posset oratio nostra exsultare, campus panderetur. Saepe Italia, Aegyptus, Hispania, Germania peragranda esset, atque in tam dissitis terrarum partibus admiranda forent clarissima fortitudinis impressa vestigia, et suspicienda defixa tropaea virtutis singularis. Quae vero tanta dicendi ubertas, quae tam divina ingenii vis erit, quae rerum ab JOACHIMO in hoc adversus Moschos maximo teterrimoque bello gestarum magnitudinem incredibilem, non dicam bono in lumine collocare, sed primoribus veluti lineamentis deformare poterit, atque adumbrare? Quo in bello, quum a NAPOLEONE Imperatore copiarum parti praefectus fuisset, nulla pugna fuit (ac sexcentae prope fuere) quam non iuierit primus, ex qua non profligatis, caesis, captis hostibus discesserit postremus. Qui autem erat in praelio vultus? qui oculorum Martem spirantium ardor? qui impetus animi? quae in impetu constantia? quae providentia? Fuitne unquam aut objecta locorum iniquitas, aut oppositus hostium numerus, aut oblata periculorum facies, quae vel animi strenuitatem, vel victoriae celeritatem retardaret? O inauditam incredibilemque virtutem! quae ducibus peritissimis admirationi, ferocissimis hostibus terrori fuit,

quam ipse Napoleo Imperatorum quot sunt, quotque fuerunt maximus privatim publiceque singulari praeconio collaudavit. Ac porro in Gallias proficiscens, tot clarissimis ducibus convocatis, eumdem ipsum Joachimum universis copiis hibernaturis summa cum potestate praefecit.

Sed quo me bellicam Regis amantissimi virtutem memoria dulcissime usurpantem inusitata quaedam abripuit vis orationis? Non sunt tantae laudes, non sunt strictim cursimque persequendae, sed justa oratione ab oratore eloquentissimo praedicandae. Quare unde divertimus, regrediamur. Atque, ut quanto amplificandarum scientiarum studio teneatur Joachimus intelligatis, Adolescentes, agite quid ille brevi temporis lapsu perfecerit, percurramus. Ad Ephebea, quae a Josepho Napoleone Rege sapientissimo constituta jam erant, nova adjicienda mandavit; ac duo cum primis, in quorum altero juventus ad multiplicem rei bellicae usum atque scientiam; in altero ad salutarem tuendae, reficiendaeque valetudinis artem summa diligentia informaretur. Quum vero neque omnibus, neque cuivis e populo ad Ephebea patere aditum Rex intelligeret, singulis urbis regionibus perinde atque singulis provinciarum oppidis, Magistros adtributos voluit, unde pueri prima possent elementa addiscere, et roborata deinceps aetate ad reliquam eruditionem comparari. Illud porro quanti aestimandum putatis, ex omnibus regni provinciis adolescentulos vividiori ingenio, optimaeque spei conquirere, qui huc unum in contubernium collecti, atque interiori litteratura cum latiali, tum graecanica diu perpoliti, ceteroque doctrinarum choragio ornati per Ephebea, quum aetas ratioque poposcerit, dispertirentur, vicissim adolescentulos docturi? quid vero quod Bibliothecas, ne quid ad explendam studiosorum hominum aviditatem defore videretur, coemptis undique voluminibus am-

plificaverit? quid quod novam, sibique cognominem sumptu non mediocri comparatam paucis abhinc mensibus dedicaverit, nec solum magna codicum vi, sed etiam ingenti patriarum antiquitatum gaza instruxerit? Luculentissima, adolescentes, luculentissima haec sunt animi in litteras vere regii argumenta.

At nescio quo me pacto Regium hoc Gymnasium revocare, ad seseque injecta veluti manu pertrahere videtur atque admonere, ne rerum dicendarum copia, tacitus ingentia benefacta praeteream, quae sibi praestitit Joachimus. Certe quidem Rex providentissimus, quum ex hac celeberrima Academia, tanquam ex perenni quadam scatebra, uberes sapientiae rivos ad extremos usque ditionis suae fines deduci persentisceret, nullam sibi rem antiquiorem duxit, aut majori curae habuit, quam ut antiqua scientiarum parens, quae nullo non tempore peperit, aluitque insignes omni laude viros, rebus esset omnibus ornatissima; nihilque ad ejus dignitatem, auctoritatemque desideraretur. Quamobrem quidquid ad bonarum litterarum rationem pertineret, absolutissime exigendum curavit; indidemque vos jussit, adolescentes, adsciscere cum ornamenta, tum vero etiam subsidia scientiarum. Quibus profecto subsidiis si destitutae sint illae, non solum hirtae, horridaeque, sed etiam exsectis veluti nervis in lucem, conspectumque hominum necesse est prodeant debilitatae.

Neque remissior, aut minus intenta Regis cura fuit in Philosophiam, Mathesim, Medicinam, Jurisprudentiam, in rem Theologicam universam. Quae nobilissimae facultates illustri per ipsum loco positae veterem splendorem, dignitatemque recuperarunt.

Quid denique de Physicis praedicem? Vos, vos testes appello, adolescentes. Ut hoc tam varium, tam jucundum, atque magnificum naturae spectaculum caelo, terra, mari-

que oculis omnium, mentique propositum contemplari, pervestigare, atque pernoscere liceret; quae rerum omnium ad id appositarum supellex, qui instrumentorum apparatus maximo labore atque impensa vel domi coemtus, vel foris arcessitus! Ac ne reliquae nationes ulla re Neapolitanos anteire viderentur, in colle urbi imminente, peropportuno loco speculam a fundamentis aedificandam edixit, unde prospectu omni ex parte explicato ac libero, stellarum siderumque ortus, obitus, intervalla, cursusque cognosceretur. Hae tam eximiae res atque immortales incredibilem Regis adversus omne doctrinarum genus liberalitatem serae posteritati sunt testaturae; quae equidem non dubito, quin quaesitura diu sit, qui fieri potuerit, ut inter victrices belligeri Martis laurus tot Minervae paciferae fruticaverint oleae, laetissimaeque floruerint.

Heic profecto arbitror, adolescentes, disciplinas, si loqui possent, humanumque sermonem usurpare, ipsas nunquam apud nos Principem Joachimo aut studiosiorem sui, aut liberaliorem habuisse uno ore praedicaturas. Jam autem a me exspectatis hoc loco, ut persequar pluribus quae sit praemiorum ratio a tanto Rege instituta, quibus homines prosequatur politiorum artium omnium laude commendatos? Notior ea res atque testatior est, quam ut longiorem orationem desideret. Circumspicite, quaeso vos, adolescentes, circumspicite hanc florentissimam clarissimorum hominum frequentiam: in hos Professores, in hos Magistratus qua ingenii magnitudine, qua doctrinae praestantia, in hos qui in supremum Regis consilium delecti sunt, in hos reipublicae gerendae administros qua sapientia, qua dignitate praeditos viros, atque ornatos mentem defigite. Utrum gratia eblanditis potentium virorum suffragationibus collecta, an opulentia erudito luxu per-

stringens oculos popularium, an nobilitas fumosis majorum imaginibus freta ad tantum amplitudinis gradum ejusmodi homines perduxit? Non enimvero, non ita res est. Hosce omnes ab teneris unguiculis litterarum amore implicitos, quum ad honoris laudisque praemia summa alacritate ferrentur, nunquam a suscepto studiorum cursu neque labor deterruit, neque ludorum celebritas avocavit, neque voluptatis illecebra abstraxit. Hanc perpetuam acerrimamque animi contentionem ingens eruditionis fama, nominisque gloria consecuta est; quae in dies increbrescens, et ad Regis aures perlata ipsius animum perpulit, ut iis honoribus, quibus affectos videtis, praemiisque cumularet. Nunquam enim ille secum agi praeclarius existimat, quam quum homines nanciscatur, ubi beneficentiae suae pignus aliquod possit optime collocari.

Atque mihi jam videor, adolescentes, rebus ferme necessariis patefecisse, nullum esse stimulum ad excolendas doctrinas acriorem spe praemiorum; nullum anteactis aetatibus exstitisse Joachimo Principe erga litteras, litteratosque homines munificentiorem.

Itaque finem orationi meae faciam. Quid vobis faciendum putatis, adolescentes? lentene, remisse, ac per intervalla doctrinarum spatia inire, an maximo animi ardore summaque strenuitate decurrere statuetis? fierine poterit, ut in tanta litterarum luce, tantoque splendore obscuram, atque abjectam vitam, quam honore et laude affluentem traducere malitis? nonne satis vos excitavit Patria, quae est optimo cuique carissima, tot majorum exemplis, quorum gloriam vos tueri, atque amplificare debetis? nonne excitavit Rex sapientissimus tam insignibus, eximiisque munificentiae suae argumentis? Quid? non excitabit vos ipsa Regina omnibus animi ingeniique dotibus florentissima, quae, Bibliotheca et Museo sibi magni-

fice adornatis, Musas exemplo rarissimo regiis in aedibus excepit, hominesque eruditos singularibus benevolentiae significationibus complectitur? Agite igitur, Adolescentes, si statis, scientiarum studium ingredimini; si ingressi estis, currite; si curritis, advolate, quo patria, quo Principes, quo gloria, utilitasque vestra adhortantur.



ORATIO III.

IN

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN AEDIBUS GYMNASII NEAPOLITANI

AN. CIƆIƆCCCXXV.

Majorum nostrorum sapientiam, AA. Orn., nunquam satis potui pro rei dignitate admirari, quorum consilio fuit ab ipsis amplissimi hujus Gymnasii fere incunabilis institutum, ut quotannis quum doctrinarum studia adolescentes auspicarentur, e superiori loco oratio haberetur. Verebantur enim prudentissimi homines, ne per aestivas illi ferias, vel domesticis illecebris, vel diurni pensi desuetudine, dum affectas annuo labore reficerent corporis vires, animi robur relaxarent, ardoremque remitterent. Quod si forte accidisset, languidius illi, quam res tanta postularet, novum studiorum curriculum aggrederentur, sine ulla, aut cum parva admodum utilitate. Etenim adolescentulorum indoles ita natura prope informata est, ut, quum quidpiam alacriter susceperint, studioseque sint per aliquod temporis spatium persequuti; si qua res interea objecta sit, quae contentum illum cursum retardaret, aut interciperet, ab inito statim itinere deflectere, atque aliorsum sese convertere videantur. Itaque majores optimum factu arbitrati sunt, discipulorum animos justa oratione excita-

re, et ad percurrendum stadium sub ipsum introitum inflammare. Atque ad id ipsum maxime pertinere existimarunt, si vos hoc in loco frequentes adessetis, AA., ut ipso splendore et dignitate vestra, et Oratori auctoritatem conciliaretis, et orationi fidem faceretis. Itaque hoc more, institutoque perfectum est, ut disciplinae, scientiaeque universae in hoc regno florentissimo et vigerent, et in dies amplificarentur. Verum quod olim ad eam rem cum primis appositum videbatur; vehementer timeo, ne aut oratoris eloquentia, aut amplitudo vestra sit hoc tempore consecutura. Inolevit enim nova quaedam ex transmontanis huc regionibus invecta instituendae adolescentiae ratio, quae timide primum serpere, tum animosius se attollere, demum audacter quoquoversus discurrere, latissimeque pervagari coepit. Exstitere siquidem non ita multis abhinc annis certi homines, qui perblanda peregrinae novitatis specie commoti ac decepti polliceri ausi sunt, sese, quisquiliis (graecas scilicet, latinasque litteras hoc nomine appellare consueverunt), quisquiliis, inquam, recisis atque abjectis, ad summum scientiarum fastigium compendiaria quadam, facillimaque via adolescentulos perductum ire. Utinam promissis constitisset fides! Nos hominibus tam egregie de disciplinis meritis maximas ageremus gratias, majoresque haberemus, ex animoque hujus saeculi felicitati gratularemur. Verum quo loci doctrinae sint apud nos adductae, omnes vident; quo mox prolapsurae sint, boni reformidant, nisi praesentis opis aliquid unde unde afferatur. Qua de caussa, ut huic vulneri in dies recrudescenti aliquam, quantulumcumque in me situm est, adhibeam medicinam; statui hodierno die patefacere, nihil magni atque praeclari exspectandum esse, nisi monstrata a majoribus via juventus ad scientias comparetur. Ad vos autem ab ipso exordio, optimae spei Adolescentes, con-

vertam orationem meam: vestra enim res agitur, vestrique gratia hic a me susceptus labor est. Quos heic videtis adsidere viri amplissimi, quidquid dicturus ero, a pueritia magno cum emolumento didicerunt, eademque via ad hanc dignitatem convolarunt. Vos igitur oro obsecroque, ut verba mea benigne attenteque audiatis; ita enim futurum confido, ut vel propositum urgeatis diligentius, vel ad bonam mentem redeatis.

Plurima sunt a doctissimis totius antiquitatis viris excogitata subtiliter, et magnifice disputata, scriptoque tradita posteritati, quae si quis colligere, et apud se seponere studeret, nae is magnum operae pretium faceret. Haberet enim non pauca veluti ad manum documenta, quibus ad tam varios humanarum rerum casus recte moderandos uti posset. Illud vero prae reliquis maxime in hominum vita fructuosum judicavi, quod non unus, aut alter, sed universi fere uno animo senserint, unoque ore praedicarint, incredibilem scilicet in utramque partem esse naturae vim et potestatem; adeo quidem, ut nihil suscipere mortales debere praeciperent, nisi prius natura consuleretur, et quid posceret, quid recusaret omnino perspiceretur. Quod si naturae essemus audientes, eamque velut optimam ducem sequeremur, casura omnia ad voluntatem, et ad exitus optatissimos perventura. Secus vero, inanem fore laborem omnem, inanem spem potiundi, quod optabamus. Neque defuere, qui huc illam fabulam referendam crediderint, qua gigantes stulta virium suarum confidentia impium Jovi bellum intulisse poetae commenti sunt: quum aliud nihil, quam istiusmodi homines effingere, et describere voluerint, qui adversarentur naturae, et quasi in ipsam arma irrito conatu molirentur. Quam quidem veritatem si argumentis illustrare heic velim, quum tanta splendeat luce, omniumque ocu-

los incurrat, vereor equidem, ne quis me coarguat, et caliginem offudisse potius criminetur, quam laudet majori in lumine collocasse. Quis enim nostrum saepissime non animadverterit, homines parum consideratos, qui adversus repugnantem naturam contendere voluerint, illuc se temere projecisse, unde nec cura semper vigil, nec labor nunquam interruptus emergendi copiam fecerit, non dicam cum laude, sed sine maxima vituperatione? Quod si nuperi isti praeceptores addubitare adhuc viderentur, et aliquo quasi scrupulo injecto torqueri; ad homines illos rusticanos quidem, sed prudentes et providos amandarem, qui se agro colendo addixere. Quanta ipsi diligentia caeli ingenium, tellurisque indolem dispiciunt? Quanta sollertia, num ager arationi, an plantationi sit aptior, perscrutantur? Num vitibus, an oleis conserendis accommodatior sit, ac felicior, pervestigant? Ubi haec diu multumque consideraverint; tum denique videas alacres culturae se dedere, operique strenuos manum admovere; ne si secus egerint, sero, quum omnia spem fefellerint, diuturni improbique laboris poeniteat, meritasque luant poenas temeritatis suae. Quod igitur in agro colendo faciunt homines indocti, nos in adolescentium institutione negligemus? naturam non consulemus? quo studiorum genere aetas illa alenda sit, non perscrutabimur? Ante igitur adolescentulorum natura penitus est introspicienda; ante ex ea quid illi aetati consentaneum sit, addiscendum, quam docendi rationem ineamus, ut magni viri nunquam non docuere, et res ipsa declaravit.

At enim homines nostri neque sapientum auctoritate commoveri se, neque exemplis deterreri patiuntur, quominus susceptam docendi viam persequantur, quum longe, eorum sententia, sit brevior et plena utilitatis. Neque porro ornamenta ista bonarum litterarum ita neces-

saria videri debent ad scientias arripiendas, ut tempus rebus multo melioribus impendendum ibi effundatur; postremo naturae ipsius auspicio ductuque eam rem gerere se profitentur. Etenim cerea, ajunt, et maxime sequax est puerorum natura; quamcumque in partem velis, ad nutum flectes; quocumque ducas, sine offensione ulla sequetur. Quid hujusmodi hominibus facies, quos clamare jactabundos audis, neque auctoritatem apud se, neque exempla quidquam valere? Ecqua erit in rebus humanis commodior, tutiorque ratio vel fugiendi erroris, vel assequendae veritatis, quam clarorum virorum multa exemplorum vi comprobata auctoritas? Verum age, videamus, num, qui animum obfirmarint repugnare auctoritati, obsequi velint, et manus dare rationi. Ceream et sequacem ajunt, esse adolescentulorum naturam. Ita prorsus. Atque eodem addant per me licet vividum ingenium, tenacem memoriam, indolem erectam, incredibilem quidquid oculis oblatum est, aut auribus adlapsum cognoscendi aviditatem. Quam eximiae sunt hae dotes, quam praeclarae! Neque alia de caussa eas sapientissimus rerum universarum Opifex et Moderator inserere voluit adolescentulis, quam ut aetas illa ad discendum facta esse videretur. Sed vicissim isti nova hac sapientia ornati homines mihi edisserant rogo, quo judicio iidem praediti sint? Nonne manco, debili, infirmo? usque eo sane, ut iis difficillimum sit praeterita cum praesentibus, praesentia inter se comparare: difficillimum sit quid quamque rem sequatur, quid cuique repugnet, statuere ac definire. Quonam igitur pacto eos, ut spopondere, adducere poterunt ad culmen scientiarum, quas omnes intelligunt firmum, limatum, subactumque judicium efflagitare? Heic autem mens mihi cogitatione fingere videtur istos doctores pluteo adsidentes, magna gravitate, longaque argumentatione mo-

do abstrusas rerum caussas pertractare, modo admirandos quosdam earumdem effectus enucleare, modo adversas inter se iisdem de rebus praestantium philosophorum sententias vel componere, vel exsibilare; adolescentulos vero, quasi in incognitam regionem fortuna aliqua delatos, quum vix coeperint ingredi, restitare, haerere, nihil denique eorum quae audierint, intelligere. Aliquis, credo, ipsorum rogatu Deus, ut olim in tragoediis, e machina aderit, qui nodum secet, rerumque undique implicitarum exitum expediat. Etsi perraro in hujusmodi salebras, ne ludibrium populo deberent, veteres poetae sese conjiciebant; hi singulis id, an diebus, an horis? facturi erunt. Egregia vero disciplina, unde tam praeclaros tam brevi tempore progressus exspectare debemus! Vos vero, AA., quid stultius, quid impudentius, quid ab instituenda adolescentia cogitare poteritis alienius? Maxima, sine ulla dubitatione, maxima fuit antiquorum hominum prudentia, qui in summo altissimi montis supercilio sapientiae sedem positam esse praedicarunt, aditu perdifficili, praeruptoque adscensu, ut palam omnibus fieret, neminem sine magno virium praesidio inter saxa rupesque perreptare posse, et ad montis verticem evadere.

Neque porro altera eorumdem hominum vox minus ridicula, et minus insipiens videri debet; nihil scilicet adjumenti bonarum litterarum studia ad capessendas reliquas doctrinas afferre. Quid melius ab iis exspectandum erat? Quippe hominum superborum est, qui sapientes haberi volunt, quidquid ignorant contemnere, nulloque numero habere. Sed doceri tandem se sinant, atque aliquando intelligant, his artibus ingenium ali, sensim firmari judicium, viribus animum in dies augeri, scitissimeque ad omnia comparari. His denique artibus (nescio quo animo, quod dicam accepturi sint; sed dicere veritas ipsa

cogit) scientiae ipsae splendorem omnem debent, et dignitatem suam. Hoc ornatu carentes, si prodire in publicum velint, tanquam mulierculae pannosae, sordibus illuvieque plenae, atque ab omnibus despectae domum se confestim recipiant, et sub parietum umbra delitescant, necesse est. Sin autem praeditae sunt, quemadmodum feminae primariae sese dabunt in hominum conspectum honestissimo habitu, vestituque pulcherrimo: nec quisquam erit, quin eas benigne, multoque cum honore excipiat, colat, veneretur.

Nolim autem istorum quempiam suspicari, me orationis meae argumento velificantem, rem, non perinde ac merita est, verbis amplificare. Non ita est, AA. Atque ut eam a me suspicionem amoliar, quos testes appellem, cognoscite. Nihil olim sanctissimi doctissimique Ecclesiae Patres aegrius tulerunt, quam Juliani edictum, quo christianis universis docendo liberales artes, discendoque interdictum fuit. Impius ille imperator christianorum transfuga, quum ad Ethnicorum partes defecisset, animoque agitaret Christi Religionem ex imperio, atque orbe terrarum exterminare, funditusque delere; ad consilium ita conceleratum perficiendum, nullam sibi fore munitiorem viam arbitratus est, quam si procul a politioribus litteris ablegata christiana juventus ad barbariem sensim sine sensu delaberetur. Tantam Religionis perniciem exhorruere divini illi homines, nihilque sibi reliqui fecerunt, quo minus adolescentuli ab antiqua studiorum ratione absterreri paterentur. Imprimisque Basilius ille non sanctitate magis, quam doctrina magnus, gravissima oratione, totoque eloquentiae suae robore juventutem cohortari officii sui partes esse duxit, ut quidvis periculi potius adire, quidvis acerbitatis exsorbere inducerent animum, quam veteri patrum instituto, ne tantisper quidem,

abalienari. Intelligebant, intelligebant homines illi sapientissimi, maximam ejusmodi studiis vim, virtutemque contineri, qua certe, qui diligenter instructi ornatique essent, sacras etiam doctrinas et felicius discerent, et praeclarius aetate provecta pertractarent: nec solum majus rei christianae decus adjungerent, sed etiam virilius eam tuerentur, hostesque gloriosius profligarent. Quid? hujusmodi testes infirmare? hujusmodi judices ejurare audebunt? levitatis arguere? inscitiae notam inurere? ferreum os, projectam audaciam, confidentiam intolerabilem prae se ferent, si tale quid cogitarint.

Nescio vero, quo se vertat ista praeposterorum magistrorum natio, quove confugiat, suam ut stultitiam tegat, quum in mentem veniet temporis illius acerbissimi, quo confertissima barbarorum examina e remotis gelidi septentrionis oris avolantia Italiae incubuere, et Romanorum imperio ferro flammaque vastato, reliquas provincias insederunt. Ea sane tempestate litterae, scientiaeque non obmutuere, non, sed extinctae omnino, miserrimeque sepultae sunt. Post autem bene longam intercapedinem in Italia singulari quodam, ac divino munere renatae bonae artes, et Italorum opera in alias regiones illatae, vix coeptae sunt excoli, quum reliquas omnes disciplinas ab interitu ad vitam, et sanitatem revocarunt. Quae Theologicis rebus majestas? quod philosophicis, physicis, et mathematicis decus? quae sacrae, civilique jurisprudentiae dignitas? qui medicinae splendor accessit? Universis denique doctrinis per humaniores litteras detersus est squalor, sordes elutae, inducta quaedam facies honestissima. Ecquis erit posthac, qui dubitabit, quin litterarum studium, quasi novum caelo sidus exortum, omnia collustrarit, omnia luce sua exornarit, ad maturitatem omnia, perfectionemque adduxerit? Facessant igitur, fa-

cessant isti novae viae monstratores, qui politiores doctrinas tam bona tantaque fruge plenas tanquam inutiles traducunt: desinantque nobis obstrepere, quod prae ipsorum insolentia majores nostros tantopere admiremur.

Hi profecto fuerunt vere sapientes, qui superiorum sapientum auctoritatem sibi putarunt minime negligendam. Quid autem illorum auctoritatem defugerent, quum ex brutis quoque animantibus prudentiam, sicubi ex usu foret, addiscere non dedignabantur? observabant (ne plura commemorem), observabant aves non aliunde, nisi a natura edoctas pullos recens natos nido continere eo usque donec plumas, pennasque mitterent, iisdemque ore escas ferre. Viribus autem paullatim accedentibus e nido educere, sensim aeri assuescere, proximas ad arbores inter ramos lusitantes comitari. Demum, ubi satis firmitatis adepti viderentur, tum vero aperto liberoque caelo dimittere ad altissimos volatus. Possetne, si voce uteretur, clarius eloqui natura? possetne validius, quid postularet, aut renueret, edicere? Nequaquam implumes adhuc adolescentes, ac sine pennis, ne cera quidem aptis, eniti in Caelum, atque avolare possunt, ni miserrimum Icari casum experiri velint.

Non solum igitur praestantium virorum sententiis excitati, sed etiam naturae oraculo Majores condocefacti teneras adolescentulorum mentes teneris, ut ita dicam, studiis informandas esse cognoverunt, usque dum corpore animoque corroborato ad majora proveherent. Itaque optimo quidem consilio legendis poetis, qui primi mortalium exstitere praeceptores, operam illos dare voluerunt, ut poesis suavitate illecti plurimas veritates fabulis obvolutas avide haurirent, ingenuisque pectoribus reconderent, veluti delecta quaedam semina suo post tempore non mediocrem fructum editura. Quis nostrum, AA., si

strepitu negotiorum silente, forte fortuna ultimae adolescentiae in mentem redierit, non dulcissimo animi sensu afficitur, quum oculis obversatur, qua tum laetitia tot rebus cognitis exultaremus? quantum aviditas illa ulterius progrediendi incenderetur? quantum exsuscitatis igniculis animo abditis ingenium acueretur?

Alumnus interea noster jam robustiorem se factum persentiscens, diutiusque intra domesticos parietes coerceri indignatus foras prodire gestit, campoque liberiore exspatiari. Prudens studiorum moderator, seu comitem, seu ducem se profitebitur non invitus, eique Graeciae, Latiique urbes magna cum voluptate peragranti ad latus adhaerebit. Romae autem atque Athenis, quae omnis sapientiae, eruditionisque fuere sedes, si non domicilium defigere alumnum suum, diversorium certe jubebit parare, quo commodius, quaecumque visu digna sunt, usurpare oculis possit, animoque contemplari. Ac primum ad templa deducet, quorum et amplitudo, et ornatus, et magnificentia, incredibile dictu est, quantum juvenilem mentem permoveant, atque erigant. Tum dierum festorum celebritates, publicorum ludorum apparatum perlustrabit ingenti prorsus sensu voluptatis. In forum deinde descendet, atque ecce porticus, basilicaeque occurrent: quae magnitudo! quae species! qui columnarum ordo e lectissimo marmore! quae Deorum, hominumque clarissimorum imagines! quae rerum domi, bellique gestarum monumenta ad honestandam eorumdem memoriam! Ad haec in comitium ubi veniet, ferendorum ad sciscendas leges, creandosque magistratus suffragiorum mos, eorumque descriptio, et sua cuique munia dispertita multa sedulitate consideranda sese offerent. Neque sibi licere autumabit, legendorum militum rationem, militiae disciplinam, arma, exercitationes, pugnas, praemia vir-

tuti, poenas ignaviae constitutas praeterire. Nihil fieri potest, AA., hac peregrinatione ad oblectamentum jucundius, ad utilitatem uberius, ad ingenii, judiciique robur fructuosius.

Etsi vero adolescens noster tanta rerum optimarum copia locupletatus domum redit, tamen non satis desiderio suo fecisse arbitratur. Ac tanquam avidus mercator plurimam licet pretiosissimamque mercem comparaverit; tantum tamen abest, ut ditescendi sitis restincta, ut etiam vehementius incensa ad novas merces conquirendas videatur; non aliter hic adolescens ad ditiorem, splendidioremque supellectilem adipiscendam nobilissimo quodam animi impetu rapitur, atque inflammatur. Huic tam egregiae juvenis voluntati quominus obsecundet nihil est in magistro morae, atque ad historicos illius industriam, oratoresque convertet. Apud alteros urbium imperiosarum, magnorumque populorum origines tenues quidem atque exiles, sed multarum et illustrium virtutum documentis insignes, et nobilitatas deprehendet: quibus exinde gradibus patescere coeperint, atque propagari, donec ad summam potentiam, opesque conscenderint, animadvertet. Rursus vero virtutibus obsoletis, vitiisque indivulsis opulentiae pedisequis ubique gliscentibus, maxima imperia e gloriae culmine dejecta, solo prostrata, ac pene deleta intuebitur. Quibus autem honoris, amorisque significationibus excellentes viros prosequetur, quorum simulacra non eruditi artificis manu, sed praestantis scriptoris ingenio ad vivum expressa sese oculis obtulere? Heic mihi videor illum videre modo in re gerenda prudentiam, modo adversus potentes justitiam, modo modestiam in secundo, adversoque fortunae flatu admirantem, atque collaudantem. Idemque ille ob oculos mihi vultu ad severitatem composito versatur

infremens, et respectans improbos et perditos cives, quos neque Religio a scelere, neque pudor a flagitio, neque humanitas a crudelitate revocavit; sed impotens libido penitus in omnium foeditatum coenum demersit: eorumque vitam, si non praesenti supplicio excruciatam, at turpissimis infamiae notis inustam, ad posteritatis odium sempiternum propositam exsecrabitur.

Hoc labore gravi fortasse et longiusculo, sed prae utilitatis magnitudine brevi atque pergrato sedulus adolescens perfunctus in manum sumet oratores eadém contentione et sollertia evolvendos. Quum profecto in eorum se lectionem ingurgitaverit, nova quaedam rerum facies se aperiet, ejusque animo objicietur. Atque sicut magnum quoddam aedificium et sumptuosum summopere conlaudamus, quum partes omnes non solum ad habitantium usum et commoditatem, sed etiam ad ornatum et magnificentiam conspirare viderimus; sic ille orationem omnibus ad delectandum, ad docendum, ad movendum partibus instructam admiratur. Perscrutatur enim, et secum ipse meditatur, quod fuerit in rebus inveniendis acumen, quae in disponendis prudentia, quae in ornandis accuratio. Nihil, nihil unquam sibi accidere posse exclamabit hujusmodi oratione gratius auribus, animo utilius. Quid vero, quum viderit maximo robore sua confirmantem, aliena evertentem? Nonne videbitur fulmen aliquod disruptis nubibus erumpere, et quidquid obvium fuerit confringere, conterere, dissipare? Aut incendium matura in messe, copiosaque omnia depasci, omnia absumere, omnia devorare? Quid porro, quum audierit infinitam hominum multitudinem, ubi animos permovere ille coepit, clamores plaususque edere? quum intellexerit laetitia efferri? frangi metu? ad misericordiam et fletum converti? ad iracundiam odiumque in-

citari? Non loqui, non orare; sed tonare, fulgurare, omnia permiscere videbitur. O eloquentiam hominibus datam divinitus, quae publicas, privatasque res tueretur, innocentiae opem ferret, improbitati injiceret fraenos, errorem profligaret, patrocinium reciperet veritatis!

Ego quidem neminem reor exstiturum, qui dubitaturus adhuc sit hac tanta tot rerum cognitione admirabilem in modum amplificari ingenium, augeri memoriam, judicium limari, fierique ad omnes disciplinas hauriendas longe peridoneum. Atque si quis a se ipse dictus rei litterariae dictator heic adesset, ex eo quaererem, num hic adolescens, quem modo deformavi, graecorum, latinorumque opibus locupletatus, si in ejus disciplinam traderemus, an alius quispiam e grege suo, ab omni utili re imparatus et desertus, scientiarum curriculum iniret animosior? alacrior decurreret? promptior absolveret? palmam denique praeriperet, victorque omnium laude plausuque exciperetur? Circumiret animo, obsecrarem, cultissimas Europae regiones, atque, ubi viri quavis in scientia praestantissimi obviam fierent, rogaret, novamne, quam tantopere praedicant, an veterem, quam tantopere reprehendunt, viam sequuti ad eam nominis claritatem devenerint? Sed quid opus est tam longe ab domo peregrinari? Patria haec nostra beatissima, et inter Italicas urbes pulcherrima, testis esse poterit, quae tam multos omni aetate homines in omni doctrinarum genere praeclarissimos edidit, quos si velim nomine appellare, dies me, nox, latera deficerent. Ipsa, ipsa inquam, hos filios carissimos non aliter suo in sinu institutos excultosque fuisse testaretur, qui deinde eam sibi gloriam, quae nullo unquam sit tempore occasura, collegerunt. Nos igitur haec studia descremus? damnabimus? haec volumina Graecorum, et Romanorum sapientissimorum manu exa-

rata, quae temporis edacitas reverita est, oblivione sepeliemus? quibus barbariae furor pepercit, mari, aut flammis absumemus? Imo hoc extremo orationis loco vos pro meo jure cohortabor, optimi adolescentes, ut haec studia tota mente complectamini: haec volumina diu noctuque pervolutetis: ne denique de via a majoribus monstrata declinandum putetis, si quid magni atque praeclari conari olim, et efficere cogitatis. Haec una est, mihi credite, itineris ratio, quae non solum ad scientiarum, sed etiam ad honoris, laudisque culmen perducet. Atque utinam haec oratio mea, qualiscumque ea demum fuerit, vobis, qui illam viam estis ingressi, stimulos adjiciat, viresque sufficiat, quo acriori impetu ad extremum usque persequamini. Vos vero, quos aut veri inscitia, aut prava consuetudo diversos egit, obsecrabo atque obtestabor, ne juvenilis quidam, et vanus pudor deterreat, quominus idem iter suscipiatis. Serius fortasse, quam optaretis, sed longe majori cum utilitate ad propositam metam pervenietis. Illud animo defixum habetote; ex vobis olim deligendos esse, quibus magistratus, praefecturae, et reliquae publicarum rerum procurationes demandentur. Nolite per Deum immortalem, optimi amantissimique Regis nostri spem atque exspectationem frustrari et fallere; si quum Principis sapientissimi curae cogitationesque qua praesidiis comparandis, qua proponendis praemiis, in vestra institutione evigilaverunt, vos minus ad ea munia gerenda idoneos sit habiturus. Ad extremum ne Neapolitani nominis gloria, ne patriae decus, ne publicae res aliquid detrimenti aditura per vestram socordiam esse videantur, providete.



ORATIO IV.

IN

SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITA

IN AEDIBUS GYMNASII NEAPOLITANI

AN. CIↃIↃCCCXXIX.

Quartus jam annus est, Praesul amplissime, Professores doctissimi, AA. sapientissimi, quum ex hoc eodem ornatissimo ad dicendum loco verba facturus memini maxima qua potui contentione studiosam juventutem, quae, uti fit, audiendi gratia huc frequentissima convenit, cohortatum fuisse ne nova, nec multis ante annis invecta, tradendarum disciplinarum ratione deciperetur, ac de via deflecteret, quam majores patribus nostris monstraverunt, et qua iidem illi maxima apud nos, cultasque nationes celebritate floruerunt. Quod meum consilium hominibus nostrae civitatis clarissimis probatum fuisse, non sine quodam voluptatis sensu, intellexi. Nunc denuo orationem habiturus diu multumque cogitavi quidnam a me huc afferri oporteret, quod si non auribus vestris dignum foret, eidem certe juventuti, quae majorum monitis obsequuta patrum vestigiis insistere coepisset, perutile videretur. Itaque ut ad majus quiddam atque illustrius adniteretur, opportunissimum tandem visum est illud hodierno die argumentum persequi; eum scilicet, qui in studiorum

suorum curriculo gloriam sibi unice proposuerit, ad scientiae fastigium perventurum. Quum enim superioribus aetatibus complures summi, alius alia facultate, viri in hac civitate numerarentur, longeque inclarescerent; non item usu nunc venire gravis est hominum nostrorum expostulatio. Cujus quidem rei caussam si diligenter pervestigare libuerit, illa profecto fuisse reperietur, quod plerique omnes in decurrendo doctrinarum stadio aliud quidvis sibi statuant, habeantque animo defixum, quam gloriam. Itaque ne tam egregiam Neapolitani nominis laudem paullatim obscuratam occidere demum universam frustra olim doleamus, ejusmodi argumenti genus deligere, et pertractare minime abs re fore sum arbitratus. Vos interea obsecro, AA., ut si quae dicturus sum, a veritate minime abhorrere cognoveritis, consilii mei adjutores esse velitis atque auctores monendo, excitandoque juventutem. Vos vero, optimi adolescentes, precor; obtestorque, ut verba mea attente audiatis: quae si benigne exceperitis, si vestris animis penitus inhaeserint, me operae meae minime poenitebit, vos studiorum vestrorum eritis praemium insigne, ac praeclarum relaturi.

Antequam vero ad dicendum aggrediar, nihil ei rei praevertendum reor, quam ut quaenam sit gloria, qua de agendum erit, clare planeque explicem. Vereor enim ne qua mihi nota, quae ab homine ordinis aetatisque meae longe abesse debet, inuratur, quasi animis adolescentium satis per se calentibus hanc insuper facem prudens vel imprudens, et nescio an reliquis acriorem injectam velim, quo abrupto pudoris fraeno, impotentius efferantur. Sunt quidem homines levissimi, qui ex prosapiae vetustate, ex aedium splendore, villarum magnificentia, pecuniarum copia, multis vanisque honoris insignibus, gratia aut pretio persaepe quaesitis, quae vulgus

magnifacere, admirarique stultissime solet, conflari gloriam putent.

Num ex iis, quae alieno labore saepenumero parta sunt, quae fortunae temeritate dari, levitate adimi possunt, rem tantopere a viris sapientissimis collaudatam atque expetitam gigni existimabimus? Id fieri nequaquam, AA., potest. Quam igitur gloriam dico? illam nimirum, quae non fortunae potestati permissa, sed virtute nixa est: quae non adumbrata est et fluxa, sed vera ac solida: quae plurimorum effectrix est recte factorum, ex quibus, velut e felicissimis stirpibus, pullulat et propagatur. Hujus ipsius amorem si adolescentium pectoribus liceret inserere, magnum me operae pretium facturum arbitrarer, neque morosos homines, ne mihi succenserent, pertimescere deberem.

Jam difficilem hunc locum praetervectus securius ad ea, quae initio pollicitus sum, convertam orationem meam. Norunt quidem universi, homines ita natura factos esse atque informatos, ut si qua praeclara cujusdam rei species sibi objiciatur, statim commoveri se, atque ad illam, si fieri possit, adipiscendam impelli sentiant. Compertum etiam habemus, quo praestantior res illa sit, eo impulsum, ac motum majorem, vehementioremque fore; quo percellitur mens atque agitatur. Itaque verissima semper illa Platonis sententia, maximoque philosopho dignissima visa est, quum confirmare non dubitavit, incredibilem sapientiae pulchritudinem esse, quae si ab hominibus cerneretur, admirabiles amores excitaret sui. Atque illud heic advertatis rogo, AA., quum Plato homines universim nominarit; omnes complecti, neminem excerptum et secretum e numero eorum voluisse. Jam licet eadem sit animorum natura, par tamen non est omnium vis ac virtus: siquidem alios hebetes et obtusos, humique repen-

tes: alios alacres et vividos, et sublimia spectantes videmus. Quod si alteri ad objectam rei excellentis formam commoveri, impellique videntur; quid alteris fieri putamus? non commoveri, sed rapi; non impelli, sed urgeri, incendique dicendum erit.

Atque haec, AA., ita mihi videntur esse perspicua, nullus ut relinquatur dubitandi locus. Quid vero ex humanis rebus omnibus gloria illustrius, aut excellentius reperiemus? Licet enim illam virtutis nomine et honore censeri noluerimus; quis eam ipsius filiam agnoscere recusabit? Quum praesertim parentis suae cum pulchritudinem fronte vultuque expresserit, tum vero potestatem fere omnem in se transfuderit, ac tot res effecerit nulla non aetate memorabiles. Neque enim in humili demissoque animo, ut laeta arbor in agro uliginoso ac pestilenti, efferre se potest: magnum ingenium, excelsam indolem illa amat, quam ubi nacta fuerit, ipsique applicita sit, nihil se dignum occurret, in quo evigilare, conari, moliri desistat, dum quod voluit perfectum esse videatur.

Existat igitur adolescens ejusmodi animo atque indole, munere divino, praeditus, cui disciplinae spatium ineunti pulcherrima gloriae adfulserit species, tantumque splendorem contemplanti sese infuderit, mentemque complexa sit; quo amore, qua cupiditate illius potiundae non exardescet?

Millies, AA., audistis parvam saepe scintillam in aridam materiem, vel casu illapsam, vel de industria injectam, magnum excitasse incendium: cogitate, quid illo adolescente fiet, in cujus animum tam apposite ad concipiendum, fovendumque ignem comparatum non scintilla semimortua, sed ingens atque ardens taeda immissa sit. Adspicite, adspicite illum, AA., studiis incumbentem suis: numquid ex oculis, ex vultu eminere alacritatem non vi-

detis, et flammam mente conceptam, mirumque in modum gliscentem patefacere? Et dubitabimus talem juvenem ad scientiae culmen evasurum esse?

At fortasse haec, dixerit quispiam, erunt exordia studiorum: quis vero praestabit eumdem ardorem ad finem usque perduraturum juvenili praesertim aetate? Persaepe initio maxima strenuitate currentes quosdam vidimus, sensim vero debilitari, tandem e medio cursu transversum actos, exspectationemque, quam praeceperamus, fefellisse doluimus. Nulla, AA., nulla ratio est, cur id de adolescente nostro suspicemur. Quid enim exortam flammam ve' comprimere poterit, vel omnino extinguere? Num somnus libris invigilanti importunus obrepet? At gloria manu veluti sua expergefaciet. In mentem veniat Themistoclis rebus domi bellique gestis clarissimi. Miltiades ille tropaeis se ac laudibus e somno identidem excitari, neque ullam noctem quiete placideque dormire querebatur. An diuturnus neque intermissus labor franget? At gloria novas suggeret vires. C. Gallus eques Romanus senex studio dimetiendi caeli terraeque pene immori a Tullio commemoratur, quem saepenumero, ut ait ille, noctu aliquid describere ingressum lux, saepenumero nox oppressit, quum mane coepisset. An deterrebit rerum difficultas? imo tantum abest, ut fortem strenuumque juvenem deterreat, ut etiam ad quidvis audendum acuat. Neque Marcellum militari gloria elatum Syracusarum situs terra marique munitissimus, neque hostium pro patria pugnantium ardor, neque Archimedes imprimis bellicorum tormentorum, quae nec visa ad id temporis erant, nec audita, novus, et felicissimus machinator ab obsidenda celeberrima urbe, capiendaque absterruit. An denique alliciet voluptas? At qui aditus, aditum dico? quae rimula patere poterit voluptati, ubi vigent ac fervent studia artium bo-

narum? Ab sese, ut Hercules ille Prodicius, repellet, adspernabitur. Etenim cui voluptates animi ex rerum optimarum cognitione in diem suborientes sunt jucundissimae, exhorret, quae homini sunt, pecudique communes. Fortunate adolescens (liceat hoc loco tibi gratulari), fortunate adolescens, qui studiorum tuorum rationem gloriae auspiciis ductuque capessere pulcherrimum duxisti! Nulla te res ab ducis tuae latere avellet: ut coepisti perge, nec dubita, quin, quo contendis, aliquando pervenisse laetaberis.

Verum enim vero nescio quae vox insonuit, submissa illa quidem, sed non ita, ut ad aures meas adlapsa non sit: quid? divitiarum, atque honorum cupiditas, si ingeniosi juvenis animum subeat, idem, successuque eodem efficere nequeat, quod tu de gloria praedicas? Nihil igitur caussae est, cur ea sit juventuti unice proponenda. Fateor equidem, AA., colligendae pecuniae, adipiscendi magistratus cupiditatem esse vehementem, omnemque in partem homines versare, exercitosque habere. Sed pernego ad excolendas eodem successu doctrinas valere. Primum enim pecuniae cupiditas minuti sordidique animi signum est: ambitio vero hominem sibi unice prospicientem, cetera securum arguit. Quid igitur magni, quid praeclari ab ejusmodi hominibus, qui scientias, ut ita dicam, venales habent, exspectandum erit? Quaedam profecto virtutum semina, AA., in sinu scientiarum continentur, ex quo, nescio quo pacto, in animos studiosorum decidunt, ibique, dum diligentius excoluntur, herbescere videntur, adolescere, fructusque ferre uberrimos. Ecquis jurisprudentiae egregiam navarit operam, qui justitiae amore non incalescat? quum ejus stabiliendae caussa, fruendaeque latas esse leges, sine qua neque domus, neque urbes, neque ipsa hominum societas stare queat, cogno-

verit? Ecquis naturae rimandae se totum dedidit, qui hanc rerum universitatem contemplatus Dei potentiam ac sapientiam non admiretur? tantorumque operum artificem omnibus religionis officiis non colat? Neque aliam perspicietis, AA., rationem esse reliquarum doctrinarum. Qui vero animo divitiis aut honoribus inhiante disciplinas, unde nihil virtutis decerpserit, addiscendas sibi esse decrevit, quonam ille modo, ad earumdem verticem adrepet? Mendax spes erit, mendax exspectatio. Nam si quidquam obscurius se obtulerit, difficilius, implicatius, quod temporis laborisque moram postulabit; transiliet, ac praetergredietur. Non enim scientia, sed pecunia, sed honore augeri vult: non esse sapiens, sed videri cupit. Atque adeo, si tantum e studiis suis videbitur hausisse, quantum ambiendis magistratibus sit satis, quaerendisque divitiis; continuo supervacaneum, et prope stulti hominis putabit diutius mentis corporisque vires in studiis corrumpere et delassare. Neque huic hominum generi jure subirasci queas, unde enim discendi amor exortus est, eodem oportebit referatur; et postquam quod deperieras assequutus sis, conquiescas oportebit, eoque perfruaris.

Intellexistis, AA., quo tandem redeat tantopere collaudata honorum et pecuniarum cupiditas. Indidem vero colligere minime fuit difficile quanto ab ea intervallo amor gloriae, ad quam adolescentes adhortamur, discludatur. Infirma siquidem illa et manca, hic robore plenus est et constans: illa humilis et pene turpis, nobilis hic et honoratus: ad extremum qui illa ducuntur sibi unice, qui hoc excitantur, cum sibi, tum patriae, atque adeo omnium mortalium bono natos se esse arbitrantur.

Quum autem quoddam sit hominum genus, qui non rationibus, sed rebus ad fidem adhibendam se cogi praedicant; non gravarer ex omni antiquitate ejus veritatis

testes excitare, nisi tam multi essent, ut infinitum prope foret omnes recensere. Itaque uno, alteroque contentus ero, ex quibus de iis, quos tacitus praetereo, facere conjecturam poterunt. Atque Pythagoras cum primis prae oculis obversatur, quem collocato tot annos Crotone domicilio jure nostrum possumus appellare. Is quidem Samo relicta in AEgyptum contendit, urbesque florentissimas perlustravit, ut et dimetiendae terrae doctrinam, et gentis antiquissimae sapientiam perdoceretur, quam arcanis sacrisque litteris consignatam Sacerdotes summa religione, ne foras emanaret, custodiebant. Tum longiorem, difficilioremque viam ad Assyriam ingressus Babylonem venit, urbem imperio, opibusque clarissimam, sed caelestium rerum scientia multo illa aetate clariorem. Ibi solis, lunae, siderumque magnitudines, ortus, obitus, cursusque ex illorum sapientum ore habuit cognitos et exploratos. Quum autem in Graeciam revertisset, Lacedaemonem adiit, tum in Cretam transmisit, quo facilior sibi copia fieret instituta et leges, quarum fama pervagata longe lateque erat, non modo inspiciundi quanti per se forent, sed etiam quanti ad populorum mores valerent. Parum porro ad eruditionem suam Democrito visum est et AEgypti, et Asiae, et Assyriae urbes litterarum cultu nobilitatas invisere, nisi extremos ad usque Indos penetraret, quidquid cognitione dignum, scituque praeclarum nosceret, arrepturus, domumque deportaturus. Heic quaero, quid tales viros coegit tot ignota maria transmittere, tot inhospitas barbarorum regiones pedibus obire, nec tot ac tanta viae, maris, hominum pericula reformidare? Num cupiditas divitiarum? Nihil dictu stultius. Alter enim domum magnis paternae negotiationis quaestibus locupletem deseruit; alter patris dispertitam inter fratres haereditatem auctionatus est, quodque inde redegit, insumpsit

in peregrinationes suas. Num desiderium munerum publicorum? Suspicari nemo potest; illi siquidem vel invitatu, rogatuque civium nunquam ad gerendam rempublicam accesserunt. O incomparabilem igitur, o pene divinam gloriae vim, unde tanta virtus ingenerari hominibus, atque ali ad supremum vitae tempus potest!

Verum quae tandem ista sunt recte facta, quorum gloriae amorem fontem esse, et quibus existere ipsam gloriam, atque efflorescere diximus, si quis requirat; ex iis, inquam, quae ex acerrimo, neque interrupto disciplinarum studio proficiscuntur. Latissimus heic sane aperiretur campus, in quo exspatiari posset oratio: sed praecidam, AA., ne humanitate vestra abuti videar. Equidem non dubito, quin omnes mihi assentiantur; nullam fere esse scientiam, cujus partes omnes ita pertractatae sunt, nihil ut desideretur, nihil quod exposcat limatius perpoliri, diligentiusque ornari, nihil denique in quo longius progredi nequeat hominis industria, semitasque ingeniis novas aperire. Neque ideo majores culpandi sunt, justaque laude fraudandi: propterea quod non unius mortalis est, adeoque unius aetatis invenire, et perficere; neque ita perficere, ut longo post annorum lapsu nihil addi possit. Quisquis igitur in ea, cui tanta contentione incubuit, disciplina, si qua alicubi caligo offusa est, dispellat; si quid adhuc rude est, expoliat, incultum ornet; terminos denique, qui depacti videbantur, proferat; hunc certe optime, et de suis, et de hominum genere meritum esse jure praedicabimus. Quid? Socratem, qui primus omnium e caelo, ut ille ait, sapientiam evocavit, atque inter homines versari, neque de obscuris et occultis, sed de vitiis ac virtutibus disputare consuefecit; quid? Platonem, cui tum magistri, tum ingenii sui tot monumenta scripto prodere curae fuit; quid? Aristotelem, a quo omnia fere, quae ad communem uti-

litatem pertinerent, subtiliter explicata sunt; quid? tot alios et vetustae et recentis memoriae viros, qui in eadem se palaestra exercuerunt, nihilne de scientiis, omniumque mortalium commodis praeclare meruisse dicemus?

Neque haec sola sunt egregia merita eorum, qui ad summam sapientiam processerunt. Sinite, quaeso vos, AA., me tantisper ad Pythagoram, qui complurium instar erit, reverti. Quum ille Crotonem intulit pedem, civitatem otio diffluentem, luxu perditam, potentes invidia, mutuoque inter se odio dissidentes, cunctos vero, velut icto foedere, ad opprimendam plebem, et ipsam ad omne facinus projectam, conjuratos offendit. Nulla ibi legum reverentia, nullus religionis metus. Tam foedo rerum statu vir justissimus non potuit non permoveri, vicemque ejus populi non commiserari. Itaque aperto cunctarum disciplinarum ludo, quum ingens omnis aetatis, omnisque ordinis confflueret multitudo, cum rationum pondere, gravitate orationis; tum vero perpetuis frugalissimae vitae exemplis, universos non longo post tempore ex turpissima vitiorum colluvie ad justitiam, modestiam, honestatem, humanitatem revocavit. Neque heic in docendo summi philosophi constitit labor. Non enim plures ex equo trojano bellicosi ad inflammandum, diruendumque Ilium duces desiluere, quam ex ejus ludo viri doctissimi ad componendos mores, ad leges scribendas, ad constituendas optimo jure civitates exstitere. Quibus de caussis adeo Magnae Graeciae nomen increvit ac fama, ut Platonem ipsum Athenis artium omnium parente et altrice in Italiam adnavigare adegerit: ubi audito perstudiose Archyta Tarentino, ingentique licet rei familiaris difficultate premeretur, pretio coemptis Critolai libris, doctior domum remeavit. Haec nimirum sunt illa praeclara merita virorum ingenio praestantium non modo scientias nova luce ad-

spergere, novo ornatu excolere, novis auctibus ditare, novos fontes recludere; verum etiam feros hominum mores emollire, vitia radicitus exscindere, virtutes serere, mortalium denique omnium in commune consulere, ac prospicere felicitati. His bene egregieque factis paritur gloria, atque augetur victura ad ultimam posteritatem.

Heic nolim quisquam e nostris adolescentibus illam excusationem obtendat, ea nos tempestate editos, qua et veterum hominum, ac recentiorum studio, conatuque perpetuo doctrinae jam illuc adductae sunt, ut easdem amplificare velle, altiusque provehere vana sit cura, vana sit opera. Haec est diffidentis hominis, timidique excusatio: qua si majores uti voluissent, scientias fere omnes in cunis, ut ita dicam, vagire adhuc audiremus. Ac primum mihi velim, commonstretur ecquis humanum ingenium dimensus sit? ecquis tanquam radio geometra circumscripserit? Quod si illius vires per se ipsas ponderare nequimus, ex iis certe, quae tot saeculorum decursu perfecit, quid in posterum efficere possit, aestimemus. Cogitent deinde quot quantique sint naturae thesauri abditi illi quidem et penitus abstrusi, pleni vero rerum pretiosarum. Sed diu multumque pervestiges oportet, multum diuque perscruteris: et quo altius effoderis, eo majores opes in lucem emergere admiraberis. Quas ut collegeris, ac scite prudenterque adhibueris; tum ad locupletandas scientias, amplificandasque eris idoneus, tum gloriam, quae rerum humanarum nobilissima est, adsequeris. Audendum igitur, Adolescentes, audendum est: non diffidendo enim, ac timendo; sed experiundo, obnitendoque scientiae creverunt, nec dispari prorsus ratione longius in posterum, latiusque progressurae sunt.

Jam ad extremam operis mei partem, sed difficillimam ventum est, ut quasi quoddam fretum angustum, scopu-

lisque interjectis periculosum aditura mihi videatur oratio ; quod si benignitate vestra, AA., incolumis evaserit, magnum me fructum confido laboris mei reportaturum. Audio enim aliquot e nostris adolescentibus animi plenos atque ingenii, ad gloriam incitatos, sed ita, ut aliud aliquid eidem adjunctum vellent, inter se obmurmurantes, quid iste sibi vult? quo tandem ejus oratio collimat? illuc nimirum, postquam aetatis florem ac robur in litteris contriverimus, ut aridam angustamque vitam, ab omnique publica luce abhorrentem traducamus? Ergo omnis abjicienda lautioris patrimonii, locique honestioris cura erit? Utinam, AA., plerique optimis artibus instructi, modico censu, qui ad ea, quae simplex natura flagitat, satis esset, contenti sub domesticorum parietum umbra in dulcissima studiorum commentatione sibi vacarent ac musis! Carerent illi quidem opum honorumque splendore: carerent etiam acerbis invidiae, calumniaeque morsibus: carerent etiam subitis fortunae procellis et fluctibus, quibus quam multi, nec opinantes, depressi, obrutique sint, quaenam aetas testis esse non poterit? Quanquam ecquis animi tam contempti reperietur, qui parum amplam laboris mercedem gloriam putet? Recordamini quo apparatu, quanto hominum conventu Olympia celebrarentur. Graecia prope universa suis veluti sedibus excita Elidem ludos spectatum accurrere videbatur. Recordamini quoque quam arctam duramque vitae rationem instituerent, quot rebus abstinerent, quam laboriosis exercitationibus ad certamen Athletae compararentur. Quodnam vero praemium erat victoribus propositum? Corona ex lauro, palmaeque ramulus. Sed tanti ducebatur a clarissimis ludorum praesidibus, ad praeconis vocem, in conspectu totius Graeciae citari victorem, et lauro palmaque donari, ut secum praeclare actum homines existimarent, si longe

duriores exantlare labores debuissent. Romani porro nullum praestantius in praelio facinus a milite edi statuerunt, quam civem ab hoste jam jam transfodiendum incolumem, hoste occiso, servare. Nihilo tamen secius murales, vallares, navalesque coronae ex auro fuere, quibus interdum armillae, phalerae, aliaque munera accedebant; civicam vero coronam a servato milite coram imperatore, ceterisque ducibus, atque universo exercitu, inter commilitonum plausus, cantusque buccinarum, servatoris capiti impositam, quernam esse, quernam, inquam, sanxerunt oportere. O viros sapientissimos, qui nullam excellentissima virtute digniorem fore mercedem, quam gloriam censuerunt!

Sed isthaec missa faciamus: ad querimoniam vestram revertamur, adolescentes. Non is mihi animus, non ea mens fuit, ut, postea quam gloria ob mentis oculos proposita studia vestra strenue susciperentur, et gnaviter absolverentur, suaderem quidquid ex usu vestro foret, quidquid ad commodum vestrum pertineret, fugere, aversari, odio habere. Atque, ut plane intelligatis quantum a suspicione vestra absit sententia mea, idem ego confirmo ac spondeo, ubi iis meritis, quae commemoravi, parta per vos gloria e vulgo exemerit, et loco illo altissimo locarit; fieri vix aut ne vix quidem posse, quin ad immortalem nominis famam maximae sint utilitates accessurae, neque exoptatae a vobis, neque expetitae. Oblitine estis Alexandri illius Orientis domitoris? Cujus nulla illustrior laus est commendata litteris; quam quod in ipso armorum strepitu, quo aures obsurdescere, in ipso victoriarum splendore, quo oculi perstringi solent magnorum imperatorum, doctos homines, ne de facie quidem notos, sicubi illorum ad se fama perveniret, beneficiis eximiis cumularet. Ptolemaeus Alexandriae, praestantissimae illius bi-

bliothecae conditor, Attalus Pergami nunquam non homines doctrina insignes summo in pretio habuerunt. Quid de Augusto dicam, quid de ejus administro, cujus nomen cum omnibus litterarum fautoribus in posterum communicatum fuit? Nota haec vobis sunt, ac fortasse quam mihi notiora. Franciscus I rex non paucos ex Italia in Galliam viros eruditos magnis propositis praemiis accivit, qui, barbarie eliminata, Gallos instituerent, atque omnibus humanitatis studiis expolirent. Ludovici autem Magni eo liberalitas progressa est, ut non modo suos, sed etiam exteros, quos ingenii claritas celebraret, beneficiis maximis ultro prosequeretur. Facinus equidem admissurus mihi viderer, si Leonem X, Mediceosque Principes quasi oblitus silentio praeterirem, debitaque laude privarem. Quorum munificentia cum litterati insignite cohonestati, tum vero litterae ipsae squalore situque obsitae ad lucem splendidissimam revocatae fuere.

Cur autem externa quaerimus, quum exemplis domesticis abundemus? Fridericus quidem Imperator, Neapolitanorum, Siculorumque Rex, cujus erat domus plena hominum doctissimorum, hujus Gymnasii parens, maximam et insignem semper habuit rationem studiosorum juvenum, et Professorum. Quamobrem quidquid ex eo apud nos tempore illustre et praeclarum natum est, ipsi tanquam Neapolitanae rei litterariae conditori acceptum referri debet. Neque mediocris Andegavorum Regum Caroli utriusque, ac Roberti, cui duo illa Italicae litteraturae lumina carissima fuere, in disciplinas, earumque cultores amor et cura hoc loco praeteriri sine injuria poterit. Qua vero honoris significatione Alphonsum Aragonium, ejusque administros Antonium Panormitanum, et Jovianum Pontanum commemorem? Eorum opera doctrinae omnes tanti fuere a Rege aestimatae, tantoque

opere a civibus cultae, ut illa tempestate Neapolis ubique gentium celebraretur, et cum Athenis ipsis, tum quum maxime florebant, certare minime dubitaret. Sed quae Caroli III Ferdinandique I adversus litteras, et litteratos meritis par ab hominum eloquentissimo oratio poterit inveniri? Quorum memoria nulla temporum vicissitudine obsolescet; neque erit unquam, nisi nominis neapolitani interitu, occasura. Francisci denique sapientissimi amantissimique Regis nostri, cui religio est a tanti Avi, Parentisque vestigiis aberrare, qui sit animus, quae voluntas, quod studium, ne doctrinis dignitas, ne doctis honos imminuatur, ipsi per vos videtis: neque licet rem adeo perspectam pluribus explicare. Adspexistis, Adolescentes, non sine quadam, credo, jucunditate, delata praestantibus doctrina viris praemia, atque impertita: sed parva in tabula, primoribus lineamentis, strictim et confertim adumbrata adspexistis. Quae si per tempus licuisset suis coloribus, et singillatim expressa vestris oculis objicere, multo majorem laetitiae fuissent sensum excitatura.

Et dubitabitis adhuc viam vobis monstratam ingredi? dubitabitis persequi? dubitabitis ad extremum usque decurrere? Agite ergo, agite, optimi Adolescentes, qui ingentem animum, excelsam indolem, acre ingenium divinitus data vobis esse persentiscitis. Ne patiamini tot ac tanta munera aut errore, aut timiditate disperire: nolite committere, ut gloriae lux obscuretur, ut ejus amor defervescat: illa vos ducat, illa comitetur, donec Sapientiae templum subieritis. Ibi collocati, cum de patria, de hominum societate bene meriti eritis; tum commoda, tum honores esse amplissimos, Deo volente, consequuturos certum exploratumque habetote.

ORATIO V.

PRO

RECUPERATA VALETUDINE

FERDINANDI I.

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS

HABITA

IN AEDIBUS GYMNASII NEAPOLITANI

AN. CIƆIƆCCCXIX.

TANTA mihi apud vos, AA. Orn., auspicatissimo hoc natali Regis Parentisque nostri die verba habituro rerum dicendarum materies objicitur; tanta inusitatae laetitiae seges oboritur, ut ancipiti cogitatione haerere animus, neque unde ordienda oratio mea, neque ubi terminanda sit, exploratum satis habere videatur. Simul enim atque sol hic beatissimus illuxit, fieri nequaquam potuit, quin diei illius in mentem veniret, quo singulari plane, ac nescio an uno omnium maximo, supremi Numinis beneficio fuimus mense proximo superiore cumulati. Nam quum vis impotens morbi, tanquam belua immanis e latebra exsiliens FERDINANDUM esset ex improviso adorta, atque ad extremum pene vitae discrimen adduxisset; omnes omnis aetatis, omnium ordinum cives tristissimo illo nuntio perturbati, metuque tam gravis jacturae perculsi

nullum usquam in re tam trepida, nisi in divina clementia perfugium sibi positum esse autumarunt. Itaque enixis precibus, votisque nuncupatis Deum obsecrare obtestarique non destiterunt, ut ab se calamitatem illam capiti jam et cervicibus impendentem averteret ac propulsaret. Heic Pater misericordiarum, dives in omnes, qui invocant Illum, vota precesque audivit, Regemque amantissimum, compressa obtritaque morbi violentia, nobis incolumem restituit e mortis unguibus ereptum atque servatum. Equidem temporis illius recordari, nisi dulcissimo quodam animi sensu, non possum, AA., quum moerore in hilaritatem, formidine in diuturnae faustitatis spem conversa, omnis civium multitudo tectis effusa prae oculis, prae ore expressa ferens signa laetitiae sacras aedes obire pro Parente suo gratias Largitori bonorum omnium actura conspiceretur. At enim nolim, quisquam sibi persuadeat, satis jam officio nostro factum esse. Majus quiddam ac prope immensum, servata Regis valetudine, universo nomini Neapolitano a Deo impertitum est, cui una gratiarum actione responderi nullo modo potest. Quamobrem ne gravemini, AA., me qualis, quantusque Princeps sit Ferdinandus, levioribus quibusdam lineamentis adumbrare; ut inde facilius divinae in nos beneficentiae amplitudo aestimetur, et, licet maximae Deo sint actae gratiae, tamen multo majores in dies et referendas, et habendas esse intelligatur. Quod dum cursim expediam, confido, vos parvi mihi temporis usuram minime pro vestra humanitate denegaturos.

Inter omnia divinae providentiae munera, quae nationi cuipiam impertiri queant, nihil neque praeclarius, neque praestantius excogitari potest, quam bono Rege et sapiente gubernari. Hinc siquidem populorum salus, hinc prosperitas, hinc gloria existit; quum boni principis

sit cives esse quam florentissimos velle, prudentis autem reapse efficere. Quapropter, si praeterita ab ultimis usque temporibus memoria repetere velimus, perspiciemus profecto, postquam e dispersis dissipatisque familiis eodem, quo securius pacatiusque viverent, confluentibus coetus hominum, quae civitates appellatae sunt, frequentari coeperunt, et patescente deinceps societate gentes coaluere et nationes, nihil homines habuisse antiquius, quam eum sibi rectorem optare, qui bonitate et sapientia reliquis omnibus antecelleret. Secus enim neque domi, quod propositum erat, otium concordiamque sibi parere; neque foris vim vi repellere, imperiique dignitatem tueri potuissent.

Ac mihi quidem cum multis nominibus gens Neapolitana beatissima videri solet; tum vero maxime, quod divino factum sit consilio, ut reipublicae gubernaculo FERDINANDUS adsideret, in quo absolutum boni sapientisque Principis exemplum intueremur. Hcic autem, quaeso vos, AA., ne a me exspectetis, ut FERDINANDI res a principatus initio pro Neapolitanorum felicitate gestas hodierna oratione complectar: tum enim non oratio mihi, sed plurimorum esset voluminum historia pertexenda. Satis superque erit, quae post faustissimum ex Sicilia reditum ille praeclara facinora patraverit, dicendo perstringere; unde quantum Dei beneficium fuerit, qui tantum nobis Regem conservarit, abunde cognoscatur.

Vix Neapolim appulit Rex optimus, orisque sui nos serenitate beavit, quum nihil ei curae praevertendum existimavit, quam juris e nostra civitate consultissimos accire, eosque jubere, legum, quibus utebamur, codicem per summam diligentiam retexere, ac si quid abnorme, si quid implexum, si quid moribus alienum, si quid denique ad rationes nostras minime accommodatum videretur, ad

sese nulla interjecta mora, referre, iis ut malis, quae litigantium animos habere exercitos solent, quamprimum auctoritate sua mederetur. Quo quid melius, quid sapientius fieri potuit? Judicia quidem, ut nostis AA., imaginem praeseferunt belli illius, quo, antequam societates inirentur, non ex jure manu consertum, ut vetus ille poeta ajebat, sed mage ferro res cernebantur: unde translatae formulae actionesque non paucae olim fuere, rebusque judicandis dicatae. Quae sane bella, si non una, alterave pugna, ut olim a Romanis ducibus, confecta sint; sed varia praeliorum fortuna in longum dilata, si ex aliis alia gignantur, aeque victo exitio sunt, atque victori; ita judicia si diutina intercapedine protrahantur, si alia proseminentur ex aliis, et petitori, et reo, vel caussa stet, vel cadat, perniciem afferant, oportebit. Qua de re, nihil est optabilius, quam ut legum, judiciorumque ratio nec salebrosa, neque ardua; sed plana omnino sit, atque expedita.

Quod si in privatis id judiciis maxime optandum est; quanto idem magis expetendum in publicis? Non enim heic res et fortuna; sed existimatio, sed libertas, sed caput civium in discrimen venit. Quae igitur adhibenda cautio est, ne unde probi, modestique homines praesidium ad innocentiam tutandam debent arcessere; indidem ad amoliendas criminum poenas improbi conscelератique possint adjumenta conquirere? Atque hisce de caussis Lacedaemonum Rhetrae, Atheniensium Axones, Romanorum Tabulae tantopere priscis illis fuere tempestatibus commendatae. Neque minoribus affecti laudibus fuerunt Zaleucus, Charondas, ceterique illi excellentes viri, qui e summi philosophi disciplina profecti, quum doctrina Magnam Graeciam ornassent, praeclarissimam civibus operam, conditarum legum sapientia, navarunt. Nemo au-

tem dubitavit, eam legislatorum sollertiam non immerito collaudatam fuisse. Quemadmodum enim nihil est homini praestabilius, quam securus, et aequabilis vitae sine ulla offensione cursus; ita nihil miserius, quam perpetuo in metu periculoque versari, ne callidus, audaxque veterator avitis te bonis, aut honesto labore comparatis per legum ambages evertat, aut vita nulli obnoxia crimini pateat invidi perfidique civis malevolentiae. Quibus igitur laudibus, quibus amoris significationibus eum Principem prosequemur, qui, constituta juris aequitate, emendatis legibus, judiciis ordinatis, civium tranquillitati consuluit, innocentiae arcem communivit, improbitati cuniculos obstruxit, omnemque impune grassandi spem in posterum ademit? Immensa, Deus immortalis! immensa exstitit tua in nos beneficentia, qui tam bonum, providumque Regem e tam gravi valetudine eripuisti, sospitemque praestitisti!

Sed pergite porro, AA., et reliqua his neutiquam minora videamus. Jam de Regis adventu laetabamur, in sinuque gaudebamus; ad eamque voluptatem augendam pergrati e provinciis nuntii afferebantur; ita laetas e terrae gremio segetes efferri, ut ubertatem frugum portendere, annonaeque laxitatem spondere videretur. Sed aliter cessit res, atque credideramus. Etenim spem mentita seges est, agrique parva admodum usura, quod acceperant, cultoribus reddiderunt. Quare ingravescere annona, atque in dies excandefieri videbatur. Ad haec non modo in hanc urbem, sed etiam in reliquas regni provincias quasi ex composito confertum febrium agmen incubuit, plebemque egestate vexatam potissimum pervasit. Nec multo post tempore dira boum lues nuntiata est, quae si latius, ut usú venire solet, diffunderetur, jure timebamus, ne maximo et ad vitae usum et ad agrorum culturam adjumento careremus. Quid vero de illo teterrimo casu di-

cam, cujus rumore primum, deinde certo nuntio inhorruimus? Quum enim perlatum ad nos fuit, in oppido provinciae florentissimae neque ignobili, neque infrequenti coortam esse pestilentiam, stragemque edere miserorum oppidanorum; qui dolor animos omnium incessit? qui timor? quae trepidatio? Primum enim peracerba res erat ac luctuosa non solum visu, sed etiam auditu, tot homines tam parvo dierum spatio morbi vi corripi, et occidere: tum vero quisque reformidabat, ne ex oppido per pagos, urbesque finitimas serperet contagio, ne in alias provincias immigrarèt, ne tandem ad nos perveniret. Neque ea formido vana et puerilis haberi debet. Ingenitus enim cuique vitae amor, atque insita est cupiditas, quae monet, jubet, cogit denique illinc aufugere, ubi certum exploratumque imminet capiti periculum, omnemque expediendae salutis rationem si non honestam, at perutilem existimare. Quod si factum esset, quid futurum nobis, AA., fuisset? Quid acerbius potuisset, quid miserius, quid luctuosius accidere? Versatur mihi ante oculos urbis hujus, populi frequentia, aedificiorum descriptione, caelique ingenio totius Italiae nobilissimae jam extrema sibi pertimescentis effigies anxia, squalore et situ obsita. Versantur ante oculos viae, ambulationesque, hominum praetereuntium celebritate laetae antea et perjucundae, jam mutae atque desertae. Cernere mihi videor funeribus primum funestas domos; tum, pestilentia ferocius saeviente, senum, juvenumque cadaveribus stratas vias. Cernere videor parentes liberis, liberos parentibus, dum opitulari volunt, alios aliis superincidere eadem contagionis vi, eodemque temporis articulo spiritum efflare. Cernere.... sed per Deum ab isto tam horribili tetroque spectaculo animum avertamus. Attamen quum hanc calamitatum struem saepe cogitatione usurpaverim, nescio an quis-

quam me jure sit reprehensurus, si conjicere velim non sine aliquo Numinis consilio fuisse nobis importatam. Nam ita plerique omnes natura prope conformati sumus, ut secundis rebus, et ad voluntatem fluentibus hebescere videatur animus, et quasi consopiri; adversis vero acui, atque excitari, rerumque sollertius caussas anquirere, et eventa accuratius pensitare. Quo igitur clarius intelligeremus, in vita Ferdinandi niti salutem civitatis, Deus illam passus est cladium colluviem in hanc pulcherrimam Europae regionem incurrere. Quemadmodum enim gubernatoris dexteritatem magni ducimus, non, si caeli facie ad serenitatem composita, lenique zephyrorum flatu undas leviter crispantium, sed, si tenebris caelo offusis, inter procellas, turbinesque depraeliantes nave incolumi in portum invehitur; sic Regis sapientiam suspiceremus, si temporibus difficillimis inter asperas fortunae vices rempublicam salvam, quasi navigium fluctibus turbulentissimis exagitatum, e naufragio servarit. Jam vero quae in hoc tam ancipiti formidolosoque rerum statu, in tanta periculorum atrocitate industria, quae cura, quae providentia major ab ullo principe desiderari potuit, quae a Rege nostro praetermissa est, quin detrimenti quidquam caperet salus populorum? Etenim ut frumenti inopiae subveniri posset, plurima negotiatoribus praemia, quibus adducti magnum ad nos frumenti numerum subvectandum curarent, proposita: plebi quidem pauperculae alimonia; dispertitis urbis regionibus, praebita: aegrotanti vero valetudinaria pluribus quam antea subsidiis instructa. Ad comprimendam pecudum luem homines rei veterinariae periti per provincias dimissi: ad pestilentiam eodem, quo gliscere coepit, loco cohibendam, fossa oppido circumducta, et corona circumdata: ad curandam, planeque restinguendam medici in rem praesentem veni-

re jussi, et quidquid ex usu vitae foret, aut salutis ratio deposceret, subministratum. Qua quidem Principis vigilantia, tanta tot incommodorum moles, quae excidium, et vastitatem minitari videbatur, brevi disjecta est, animique omnium, timore depulso, conquieverunt. Heic autem possumusne satis FERDINANDI providentiam admirari? satis animi magnitudinem extollere? satis eximium in cives suos amorem praedicare? Possumusne denique Dei benignitatem, qui quum huic populo Regem et donaverit, et conservaverit, perinde atque de nobis meritus est, collaudare?

Sentio equidem, quam magna haec sint, atque praeclara, ut non longiorem modo orationem, sed eloquentiam quoque majorem desiderarent. Verum statui brevitate dicendi satietati vestrae occurrere, quandoquidem satis exspectationi facere ornatu, copiaque nequirem. Sed precor, obtestorque, AA., tantisper etiam patientes, ut facitis, mihi dicenti aures commodetis: pauca enim adhuc restant; verum ad divini muneris regiaeque virtutis commendationem fortasse majora. Comperta apud omnes res est; Religionem Christianam ad efficiendam populorum felicitatem aptissimam esse, maximeque idoneam. Etenim ex perpetua officiorum omnium caste sancteque obitorum vicissitudine, velut e stirpe sua, pullulat felicitas, atque efflorescit: quod vix, aut ne vix quidem aliunde adsequuturum te, quam a Religione, putaverim. Egregie sane de virtutibus, vitiisque disputent philosophi, diligenter legislatores praemia, poenasque sanciant: at nisi animis inhaereat Religio illa e caelo mortalium bono delapsa, parum certe illorum ipsorum proficiet labor, parum valebit industria. Sola Religio praecipere vere potest, ac jubere in suum cuique tribuendo justitiam, in rerum delectu prudentiam, in adeundis periculis fortitudinem, in laetitia,

atque aegritudine moderanda temperantiam. Quotus enim quisque sine Religione justitiam colat, si hinc magna utilitas oblata erit, hinc certa impunitas? Quotus quisque periculum adeat pro patria, pro Rege, alteriusque salutem anteponat suae? Quotus quisque a voluptate sibi temperabit, animumque intra honestatis fines continebit? Ac philosophus quidem et legislator manum a scelere, non animum a cupiditate coercebit: ac tum quidem coercebit, quum poena erit noxam consequutura. Si occulendi facinoris spes erit, legislatorem contemnet improbus civis, irridebit philosophum, seseque in omnem foeditatem ingurgitabit. Religio vero, quum doceat, hominique instillet, Deum omnes animi latebras pervestigare, nec solum facta, sed abditas etiam cogitationes intueri, praemia, poenasque pro cujusque merito aeterna statuere; quumque nemo queat Deum vel testem fallere, vel judicem rejicere, vel ultorem effugere; Religio, inquam, poterit hominis manum a scelere abstinere, animum a cupiditate avocare, eumque ad omnes officiorum partes sanctissime fungendas perducere, unde magna populis felicitas oborietur.

Quod si ad homines Religione compositos atque informatos litterarum quoque et scientiarum lumen accesserit; quanta, bone Deus, quanta erit beatitudo gentis illius, apud quam Religio et doctrina aptae inter sese et consociatae domicilium collocarint! Suppuderet me quidem apud vos, AA., si disciplinarum vellem praestantiam pluribus utilitatemque praedicare. Quoties ex ore vestro didicere adolescentes, cujusmodi illae vim ad molliendos mores, ad animum humanitate imbuendum, ad discutiendam errorum caliginem, ad mentem rerum excellentium cognitione ornandam haberent? Quoties ex ore vestro accepere, quanto eaedem illae ad multiplices hominum

usus, ad plurimas vitae commoditates, ad omnium denique rerum opportunitates robore pollerent? Quid vero, quod in bene morata civitate litterae, disciplinaeque universae, tanquam ancillae optime institutae, Religioni, quasi dominae carissimae, praesto sint, obsequantur, famulentur? Quare mirandum non est, si magnus ille Basilius, ut alios Ecclesiae Patres praeteream, bonarum artium studia tam magnifice extulerit, hortatusque sit adolescentes, omnes animi nervos ad eas arripiendas contendere, quibus, aetate confirmata, Religionem et ornarent, et adversus hostes tutarentur.

Atqui licet Ferdinandus nihil unquam majoris sibi curae habuerit, quam ut Religionis decus, dignitasque apud populos suos semper enitesceret; tamen nunquam hujusmodi studium, quam anno proximo, patefactum est. Profecto ab Christo Jesu divina prorsus sapientia institutum ab ipso Evangelii exordio fuit, ut suus cuique populo pastor praeficeretur, cujus doctrina atque exemplo fidei, morumque sanctitas excoleretur, adolesceret, fructumque quotidie uberiorem afferret. Interea multi multos jam annos populi Episcopis carebant. Itaque morum labem quamdam et conversionem factam esse, ac sensim a pietatis norma deflectere ad licentiam dolebamus. Quanquam autem, ut malis hisce sisteretur cursus, saepe Rex cum Pontifice egisset; saepe tamen obortae controversiae prohibuere, quominus coepta res maturaretur tam frugifera et salutaris. Verum tanta modo Ferdinandi fuit cura atque constantia, extricatis ut difficultatibus in ea pacta summus uterque Princeps, conservata Sacerdotii, Imperiique majestate, convenerit, quibus universi, finibus dioecesium constitutis, episcopis praepositis, confidimus omnem redditum iri Religioni splendorem, moribus sanctitatem.

Porro non multo minorem scientiae, litteraeque curam

Principis, laboremque postulabant. Semper quidem apud nos suum constitit pretium studiis doctrinarum, semperque habitus honor est earum cultoribus. Nihilo tamen secius eaedem, quae pace otioque delectantur, aluntur, augentur, nescio quo pacto inter armorum bellorumque vel strepitum, vel metum silere aliquando, abdere se, nec temere in publicum prodire, aut longius progredi videbantur. Nunc autem, pace terra marique parta, pacatoque orbe terrarum, Rex sapientissimus Gymnasium neapolitanum, Academias, Lycea, Ephebea severioribus legibus constabilivit, majoribus auxit ornamentis, praemiisque affecit honestioribus. Quamobrem non inanis quaedam spes affulsit, fore omnes ut disciplinae amplificentur, et nostratium ingenia ad decurrenda earum spatia alacrius incitentur. Ita eum inter cultissimas nationes locum, quo majorum laboribus pervenimus, teneamus, nominisque gloriam ab iis traditam tuebimur, et novis accessionibus ampliorem seris nepotibus, splendidioremque prodemus. Quod si Regis Augusti cura studioque perfectum est, ut Religio et litterae in hoc regno beatissimo et altiores agerent radices, et laetius revirescerent; quis negaverit cum populo neapolitano actum fuisse praeclarissime? quis negaverit felicitatem fuisse eidem comparatam?

Cur autem quasi rerum magnitudine obruta pene praetervecta est oratio mea egregium illud Regis consilium, in quo non modo munificentiam, quae regia laus est, sed humanitatem, sed caritatem, quod proprium est parentis, posteritas admirabitur? Fieri non potest, AA., quin plurimi in urbe tam frequenti vel valetudine, vel alio casu quopiam orbentur sensu illo, et ad incredibilem hanc jucundissimarum rerum varietatem contemplandam pulcherrimo, et ad obeunda vitae

ministeria pernecessario. Hi profecto oculis capti, perpetuisque tenebris mancipati miseram agebant aetatem, atque vel otio contabescere, vel in egestatem conjecti aliena misericordia vivere cogebantur. Paternus Ferdinandi animus commotus est: atque, sicut olim ea praesidia lingua, auribusque captis comparavit, unde per industrios gnavosque praeceptores novum quasi os, novaeque aures, ipsa natura devicta, ad usum vitae fingerentur; ita caecis idoneum parari domicilium, omnibusque rebus instrui mandavit: quem in locum collecti artes varias perdocerentur, quarum ope vel laetiorem viverent vitam, vel per se ipsi sibi, rebusque suis providerent. Qua quidem re quid fingi potest optimo Rege dignius? Regem autem optimum dico? quid parente amantissimo dignius? quid in liberos carissimos humanius; quid liberalius potest excogitari?

Atque hactenus mihi videor paucas quidem Ferdinandi res gestas, sed eximias, planeque singulares oratione mea percurrisse, unde quivis intelligere potuit, qualis sit, quantaque virtute praeditus Rex noster Augustissimus. Quis enim, nisi animo inaudita sapientia, incredibilique fortitudine exaggerato, tot aerumnarum acerbitatem a nobis avertere, quis tantam invehere tam praestantium rerum felicitatem potuisset? Nihil est jam caussae, cur tibi tuos, Roma, Titos, Antoninos, Trajanos Neapolis invideat: imo tecum contendat, Ferdinandum jure quodam meliore, quam quemquam illorum, debere Patrem Patriae appellari. Atque is Princeps parum abfuit, AA., quin fato nobis funestissimo raperetur, nisi Deus ope praesentissima affuisset, illumque e mortis limine dextera prope sua retraxisset. Et huic tam insigni in nos Dei benignitati, tam ingenti huic muneri satis erit actio gratiarum? satis erit unius, aut paucorum dierum gratulatio? Minime gen-

tium, AA. Nisi mortalium ingratissimi videri haberique velimus, quotquot eunt anni dies, dum vitam vivamus, totidem Deo Optimo Maximo gratiarum actiones referamus, totidem vota nuncupemus, ut amantissimi Regis valetudinem diutissime sospitet, faxitque, si non aeterna in terris, quod mortalibus datum non est, diuturna certe sit vita, diuturnum imperium.

Tu vero, Rex optime et sapientissime, macte esto virtute gloriaque tua: ac perge patriam, populosque tuos providentia tueri, beneficentia ornare, sapientia amplificare. Nos certe quidem apud Deum pro valetudine, vitaque tua precibus votisque excubare nunquam desistemus.

ORATIO VI.

IN FUNERE

MARIAE CLEMENTINAE ARCHIDUCIS AUSTRIAE

FRANCISCI BORBONII

UTRIUSQUE SICILIAE PRINCIPIS JUVENTUTIS UXORIS

HABITA

AN. CIƆIƆCCCI.



Quum eae muneris partes mihi forent demandatae, ut Mariae Clementinae Regiae Celsissimaeque Siciliae utriusque Principi haereditariae parentarem; dolorique ex ejus occasu universae Neapolitanorum genti inusto suprema laudatione velificarer: etsi omnem ibi curam, industriam, mentemque defixissem atque collocassem: tamen nullo unquam pacto cogitationi meae, voluntatique potuit oratio obsecundare. Consideranti enim mihi, ac diligenter exactae vitae rationem a pueritia institutam, atque ad extremum usque spiritum perductam memoria repetenti, unde suffragantem publico luctui materiam quaerebam, indidem laetitiae seges uberrima nascebatur. Totum siquidem aetatis spatium pie sancteque decursum justissimis visus est plurimis difficillimisque victoriis triumphus comparatus. Ex quo cum maxima Clementinae in terris celebritas, et beata, uti confidimus, in caelo immortalitas parta est; tum vero in omnes, qui quomodo res gesta sit, vel ipsi secum taciti reputaverint, vel alium dicentem exaudiverint, incredibilis erit jucunditas redundatu-

ra. Quid enim, aut ad cogitandum praeclarius, aut ad dicendum laetius objici argumentum cuiquam potest, quam regiam Puellam cum acerrimo hoste saepenumero conferentem manus, victricemque semper ex acie discedentem oratione persequi, vel cogitatione complecti? Quanquam tam ancipitis belli successus maxima christianae Religionis exstitit laus atque gloria. Ipsa enim tantam virtutem peperit, ipsa aluit, ipsa ad eam magnitudinem perduxit, ipsa denique caelesti quadam vi ad multiplicem pugnam fortiter, strenueque pugnandam obarmavit. Quare agite, AA., omni moeroris sensu deterso animis adeste, atque Clementinam cum hujus saeculi principe congredientem, ac primum omnes ejus blanditias; deinde omnes ejus terrores, quibus, tanquam armis validissimis, ipsam oppressurus ille esse videbatur, Deo bene juvante, vincentem intuemini. Quibus profecto praeliis summa virtute confectis, quantum Princeps praestantissima triumphum deportaverit, per vos ipsi existimatione vestra colligetis.

Atque ut sub ipso statim orationis exordio cujusmodi Clementinae concertationes, victoriaeque fuerint intelligere possitis, AA., cogitatione, quaeso vos (liberae enim mentes nostrae sunt, et quocunque velint facile pervagantur), vestra, inquam, cogitatione Florentiam, ipsamque in Regiam, ubi in lucem edita est, commigrate. Heic quidem vix ratio, velut aurora, quae caelo primum exoritur, terrasque candida luce perfundens res omnes suo quamque colore discriminat, Clementinae animo affulsit, atque aliquam sui suarumque rerum cogitationem et curam injecit; quum ille teterrimus mortalium hostis peropportunam sibi oblatam existimavit occasionem prosiliendi ad pugnam, atque experiundi fortunam suam. Arbitrabatur profecto cum ea puella sibi certamen fore, quae

insolens pugnandi, necdum aetate firmata, uti paullulum restitisset, levem post dimicationem armis e manu prae metu effluentibus, suam sub ditionem potestatemque ventura esset. Hinc bona, ut rebatur, spe plenus Clementinam adoritur, eique ob oculos objicit, quanta sit generis, unde orta est, quanta fortunae, qua jam uti coeperit, amplitudo; qui formae decor, qualis oris, totiusqe corporis habitus, quam conformatus ad egregiam quandam speciem atque dignitatem: tum vero quam sagax ingenium, quae animi indoles a natura ad praeclara quaevis efficta: ad extremum quam graves mores, quantaque iidem suavitate adspersi; quae sermonis concinnitas, quae in congressu facilitas atque gratia. Quamobrem minime erat dubitandum, quin conflatum tot e dotibus decus, quum primum in lucem hominum conspectumque prodiret, omnium animos in ipsius amorem et admirationem raperet, atque converteret. Nulla fax ardens, AA., in aridam si quis materiam conjecerit, tantum excitabit incendium, quantum ejusmodi cogitationes in animo praesertim puellae oberrantes, ni praestantissima ope occurratur, fastum erunt ac superbiam conciturae. At Clementina vel in ipso christianae militiae tirocinio, quod sub matre disciplinae severioris Aloysia Borbonia posuit, ita sese exercuerat, ut jam apta pugnae foret, adeoque veterani militis fortitudinem referret. Ejus igitur virtutis lux quaedam caelestis oboritur, qua, dispulsa, quae ab adversario offundebatur, caligine, ipsius fraudolentiam Clementina detexit, conatumque nefarium pervertit. Intellexit enim excelsi animi Puella, universa naturae fortunaeque bona summae Dei Optimi Maximi in nos benignitati unice accepta esse referenda: eaque pudoris perfugium, egestatis praesidium, virtutis denique instrumenta; non otii, non luxus vitiorumque illecebras, non animorum corruptelas

esse debere: iisque bonis tum demum hominem uti praeclarissime, quum in hominum utilitatem maxime impendat. Heic insolita Puellae constantia perculsus obstupuit communis hostis, et quam prima congressione oppressurum sibi augurabatur, ab ea fusus est, ac profligatus: planeque perspexit invictas etiam puellas esse, quas suis e castris Religio Christiana ad certamen emisit. Interea adspicite, AA., ut matris pientissimae mores exprimendos curet Clementina: ut statas ab ea precationes, vel reliqua religionis officia obeat, prae oculis, fronte, incessu ferens animi modestiam: ut diurno operis et litterarum penso curas suas dispertiatur, quemadmodum praescripsit parens sapientissimus, qui Hetruriae paterna magis benevolentia, quam regio imperio moderabatur.

Quum autem his prope gradibus ad excelsiorem virtutem in dies regia Puella niteretur, Josephum Augustum, ubi magnarum rerum domi bellique gestarum fama Europam universam evexit, e medio consiliorum cursu diutino morbo implicitum mors immatura excussit. Cujus quidem obitu Leopoldus ex Hetruria Vindobonam cum conjuge, liberisque augustis profectus est, Romani Imperii, ditionumque Austriacarum gubernacula suo jure suscepturus. Jam haec rerum conversio hostem e latebris, quo ira dedecusque abstruserat, iterum ad pugnam excivit, ac majorem spem attulit victoriae in tam secundo fortunae cursu, tantaque amplitudinis accessione. Aggreditur itaque Clementinam, conaturque menti inferre, atque oculis magnifice explicare tot provincias tam longe lateque pertinentes parenti jam subditas: tot nationes tam opulentas et bellicosas in obsequium pronas, dictoque audientes: tot copias, tot duces, tot imperatores bellicae rei laude nobilitatos: domus denique augustae opes, potentiam, majestatem eo jam loci adductam, vix ut ulla queat

in terris potestas cum ea comparari. His quidem splendidissimis tantarum rerum imaginibus illectam Puellam, et captam facile manus daturam autumavit hostis callidissimus. Neque injuria rem ita casuram arbitrabatur. Quotus enim quisque est tanta animi firmitate, quem gloria non alliciat? opes non capiant? dignitas non efferat? imperium transversum non agat? Quod porro multo etiam magis erit pertimescendum, si eodem accedat aetas praeceptis austerioribus nondum idonea, sexus autem is, quem natura ipsa ad mollitiem magis et levitatem finxit, quam ad fortitudinem et constantiam obduravit. Verum enim vero nulla ejusmodi re visa est Clementina commoveri; sed incredibili animi robore circumsepta, hostem tam acriter in se invectum iterum repulit, atque prostravit. Etenim ipsius animo christiana sapientia exaggerato confestim illae, quibus erat quotidie innutritus, occurrerunt cogitationes: Reges quidem praeesse mortalibus, immortali autem Deo subesse, cujus nutu et arbitratu imperia maxima, opesque optime fundatas, quemadmodum continentur ac firmantur, ita velut folia ex arboribus vento quodam vehementiori decussa dilabi et dissipari: nihil denique humanis rebus inesse, quod magnopere efferamur, quum breves fluxaeque animos ad immortalitatem factos nequeant exsaturare: unam denique virtutem homines efficere beatos, atque immortales. Mirum sane, AA., mirum quantum hisce telis confossa infremuerit immanis illa belua, quantoque furore incensa diffugerit. Non destitit tamen admirari, pietatis christianae semina Puellae animo, velut agro fertili et fructuoso mandata ac diligenter exculta, tam altas egisse radices, atque in tantam sylvam adolevisse, ut vim impetumque suum minime reformidarent.

Quanquam autem ferox adversarius duplici jam prae-

lio fractus sit; non ita tamen est perdomitus, ut non pugnam redintegrare meditaretur, ubi locum, tempusque nactus esset rei gerendae opportunum. Quod profecto non ita multo post oblatum est cjusmodi, quod exspectationem suam longe superaret. Quum enim Ferdinandus nulli superiorum Regum secundus cum Maria Carolina perrari exempli uxore Florentiam, tum Vindobonam venisset, quo Mariam Teresiam, et Mariam Aloysiam filias carissimas nuptum alteram Francisco Regi Romanorum, alteram Ferdinando Magno Hetruriae Duci daret, quumque complures jam menses apud Leopoldum Augustum diversaretur; maxima cum voluptate cognovit animi, corporisque dotes, quibus praedita Clementina erat, longe majores esse, quam, pervagato hominum sermone, fama celebrarat. Qua de caussa nuptias cum Francisco principe juventutis pactas, et conventas maturare decrevit. Quas sane nuptias quum aliae super alias morae serius, quam ferebat opinio, extraxissent; tandem Tergeste regia Puella neapolitana classe invehitur, quae magis Neapolitanorum votis, quam secundo ventorum flatu Adriano mari perlabens, brevi ad oras Sipontinas appellitur. Hcic autem dici vix potest, AA., quanta alacritate nefarius hostis quasi ex insidiis coortus sit, et quantam in spem ingressus, fore aliquando, ut clarissima victoria potiretur. Qui sic agere cum Puella praestantissima coepit, ac quodammodo tacitus loqui: Quam fausta tibi lux affulget Clementina! quam laetus ordo rerum exoritur! Apulia tota ex agris, atque urbibus excita tibi venienti fit obviam, visendique studio in terram exscendenti affunditur. En Reges Augusti te sinu, complexuque excipiunt, quibus loco eris filiae dulcissimae. En Princeps aetate, ingenio, virtute florentissimus, cui sacro connubii foedere obligaris, unde susceptos mox liberos pulcherrimos ad sinum

lusitare conspicies. Tot viri, foeminaeque nobilitate, opibusque praestantes tibi praesto erunt. Jam vide militari via, quae ad urbem ducit, effusa oppida, et concursum ex agris hominum cum conjugibus, ac liberis fausta tibi omnia acclamantium. Urbs ipsa prope convulsa sedibus suis accedenti progreditur; quae hominum, ac mulierum omnis aetatis, omnis ordinis frequentia! quae festorum dierum agitationes! quae spectaculorum celebritates! Moenia ipsa, et tecta adventu tuo gestire laetitia videntur. Excute, excute istam modestiam, huic tempori sane quam importunam. Uti fortuna tua jam, Clementina, condiscas oportet: fruere tandem iis voluptatibus, quas aetas tua jure quodam suo, et dignitas postulat. Verum nihil agis, belua impurissima: nihil ista tua adversus Clementinam arma valent. Nemo unquam sic maximas vitae acerbitates, ut illa istas a te tantopere collaudatas delicias exhorruit. Audisne quid divina quadam virtute subnixa sibi reponit? Novi, inquit, novi christianae conjugis officia, christianique conjugii sanctitatem; neque me movent ista, quae commemoras, non virtutis testimonia, sed ornamenta fortunae. Ab ineunte autem aetate mihi persuasum est, deliciis circumfluere nefas esse ei, qui ad rerum humanarum fastigium evectus est; sed populorum felicitati advigilandum, propositis praemiis excitandam virtutem, poenis scelera coercenda. Hac te caelestium praeceptorum commemoratione Clementina superavit. Atque intuere ita illam inter plausus, atque acclamationes vehi, ita spectaculis apparatissimis adesse, nullo ut motu turbetur, nulla sollicitetur illecebra, sed vultu ad modestiam composito, compressis cupiditatibus, pax ipsa in ejus animo sibi domicilium fixisse videatur. Tu vero quid adhuc restitas? quid circumspicis? Fuge, atque occule ignaviam et dedecus tuum. Victus, victus a puella es, quae blanditias

tuas toties per summam constantiam respuit ac repudiavit: quibus e victoriis maxima Clementinae laus quaesita est, maximus rei christianae triumphus comparatus.

Quod si egregiam in hujus saeculi principe, ejusque blanditiis superandis Clementinae fortitudinem suspexistis; agite nunc, AA., quanta item constantia ipsius terrores eadem refutaverit breviter contemplemini. Ac mihi certe quidem videtur usu Clementinae venisse, quod de Jobo viro patientissimo sacrae litterae memoria prodidere. Quum enim ejus innocentiam et justitiam Deus ipse collaudasset: neque id sane mirum, inquit Satan; omnibus enim, quorum singula ferme homines explere aliquando solent, beneficentiae tuae argumentis illum cumulasti, valetudine, copiis, sapientia, existimatione. A justitiae vero tramite deflectet, statim atque, liberalitate interclusa, calamitate depresseris. Vix autem sibi in hominem permissa potestas est, eum miserrimis fortunae casibus afflixit, atque vexavit. Non multo secus in Clementinam implacabilis ille hostis sese gessisse videri potest; quam enim deliciis allicere non potuit, eam acerbissimarum rerum terrore e statu deturbare studet, atque addicere in servitutem. Itaque dum velut placidissima caeli temperies amplissimis provinciis Austriaco Imperio subjunctis arrideret, ac diuturnam felicitatem tot gentibus portenderet, ecce tibi, offusa caelo caligine, foedissima ex improviso coorta tempestas Domum Augustam, subditosque populos ingenti moerore funestavit. Nam Aloysiam, deinde majori vi ingruens Leopoldum parentes augustos, quibus nil dulcius, nil carius habuit Clementina, absumpsit. Quae profecto vulnera obducta vix erant, quum belli flamma non levis illa quidem, quae Germania serpere jam coeperat, repente in magnum erumpit incendium, ipsique Vindobonae minitatur. Hinc quo longe omni pericu-

li metu abesset Augusta domus in Pannoniam iter summa hyeme suscepit. Jam ea flamma restincta, parvae quaedam scintillae cinere consopitae ita praeter exspectationem exarsere, Neapolis ut conflagratura videretur. Quamobrem Reges Augustos, conjugemque sequuta Clementina ventis Ionio mari desaevientibus in Siciliam adnavigavit. Tum autem quum rerum perturbationem excepisset quies, et Neapolim laetis undique vocibus personantem remeasset, unicus filiolus, ut flos vix editus vi turbinis demessus, e materno sinu acerbo funere abreptus est. In tanta vero tot rerum acerbitate per vos ipsi perpendite, AA., quo ardore tam truculentus hostis toties deletus, novo tanquam exercitu collecto, pugnam semper inierit, quantaque contentione ad victoriam inhiaverit. Anceps et horrendum certamen! in quo ex altera parte versutus et sagax adversarius ingenti adversarum rerum agmine irruere; ex altera regia Puella petitiones vitare ac repugnare videbatur. Verum incomparabilis Virago qua virtute hostem secundarum rerum deliciis confligentem devicit, eadem asperarum nunc terrore depugnantem confecit. Etenim parentum, et liberorum interitus pupugit quidem Clementinam (neque vero secus fieri potuit, quum ita natura simus comparati); sed ratio sanctissimis informata praeceptionibus confestim dolori moderata est, Religio mentem gratissima luce perfusam ad Deum erexit. Quo factum est, ut quae delapsa e caelo est sapientia, quam Puella in christiana palaestra fuerat edocta, ipsi continuo patefecerit Deum semper nobiscum agere praeclare, gratiasque potius esse referendas, quod homines nobis carissimos parva licet temporis usura commodaverit, quam conquerendum, quod dicta die repetiverit. Porro gravissimae fortunae comminationes illius constantiam minime debilitarunt. Debilitarunt dico? immo etiam

mirabilem in modum roborarunt. Quomodo enim immota mari rupes ventorum violentiam, undarumque allisum contemnit; ita procellas, quae excitari videbantur, nihil ipsa pertimuit. Namque omnem in Deo spem collocavit, cujus non minus providentia, quam amore in suos singulari res omnes noverat: opes aliquando divino quodam consilio, quod perscrutari homini nec jus, nec fas est, everti: eversas, si quidem res poposcerit, pristinum in statum revocari: revocatas, ubi libuerit, magnis auctibus amplificari. Itaque quum idem constaret vultu color, eadem animo virtus, Clementina hostis impotentissimi furorem exsultantem repressit, rabieque inflammatum in fugam conjecit. O constantiam admirabilem! o victorias omnium saeculorum praedicatione dignissimas!

Interea nonne perspexistis, AA., non absimilem Iobi fuisse et Clementinae cum hoste teterrimo concertationem, paremque invicti animi fortitudinem? Sed pergite porro, et quod sanctissimo viro deinceps factum fuit in memoriam revocate, ut num gemina omnia ferme in regia Puella exstiterint, cognoscatis. Vehementer quidem Satanam objurgavit Deus, quod se tantopere in Iobum incitasset, quem neque bonorum direptio, neque tectorum excisio, neque miseri liberorum obitus et repentini ab instituto innocentiae cursu dimovere potuerunt. Atqui omnes, inquit Satan, fortunae casus eum, qui recte valet parum admodum afficiunt; opes jucundae, dulces liberi; sed dulcior, et jucundior valetudo, quam si paullulum tentaris, omnem justitiae cultum vel fortissimus mortalium e vestigio abjecerit. Atque facta sibi ejus rei copia non ignoratis, quam atrox efferatusque in afflictanda ejus salute fuerit, cujus patientiam frangere satagebat. Eadem prope ratione, quum ex iis, qui magnam cladem importaturi videbantur, fluctibus emersisset incolumis, in molestissimum morbum Cle-

mentina est conjecta. Haec autem extrema oppugnatio, quo tota belli moles erat conversa, atque ubi reliqua victoriae spes sita, quam ardua fuit, quam formidolosa, quam crudelis! Sed eandem, AA., in Puella fortissima constantiam attendite, quam ceteris in praeliis antea cognitam et perspectam habuistis. Occulta quaedam aegritudinis vis in venis et visceribus inclusa serpere coepit, ac paullatim toto corpore manare. Heic omnes commoveri ac pertimescere, ne quid periculi ipsius vitae crearetur. Dum vero omnes alieno trepidant periculo, Clementina non trepidat suo: atque sapientissima illa ejus vox audiebatur, incolumitatem, si profutura sibi esset, a Deo se sperare; secus vero aegritudinem sanitate fore cariorem. In tanta aequanimitate adversarius ardentius furere, instare, atque augere vehementius. Quare nihil jam opis afferre videbatur medicorum vigilantia, remediorum efficacia, caeli salubritas; nisi quod modo relevari morbus, modo ingravescere, quo cum recuperandae valetudinis spes modo suboriebatur, modo intercidebat. Itaque alternantibus ejusmodi vicibus ad extremum vitae deventum est, quum Clementina lecto languescens, viribus enectis, membrisque omnibus obducta macie spiritum vix trahebat. At quas jam jam moriturae pestis illa funestissima inferebat cogitationes? Prope nimirum abesse, quum flos aetatis, regiae fortunae splendor, opes, imperium ad nihilum essent recasura: quum ab unicae filiolae, a conjugis amantissimi complexu vi avelleretur: quum denique ipsa rerum omnium, quas consequutura olim esset, spes ipsa interciperetur; neque pietatem, neque tot virtutes a prima aetate incenso studio excultas perficere potuisse, quo secius dilaberentur tot bona tam brevi. Quin, belua impurissima, contines istam vocem indicem stultitiae et turpitudinis tuae? Oblitusne es quot Clementina te fuderit praeliis? quot ex te victorias retulerit? An

putas corporis infirmitate animi virtutem esse retardatam? Immane quantum a veritate aberras! Viget, viget illa invicta vis animi, atque e corporis mox evasura vinculis liberior facta est atque expeditior. Contemplare e vultu oculisque pene intermortuis quantus emineat animi vigor! quae in perferendis doloribus constantia! qui humanarum rerum omnium contemptus! quod divinarum desiderium! quae fides in Deum! quae spes! qui caritatis ardor! qui vel levium in vita erratorum dolor! quam tota in Servatoris optimi benignitate conquiescat! His te armis in extrema hac pugna Clementina delevit, et omnium nobilissimam sibi victoriam comparavit.

Devicto igitur saeculi hujus Principe, ejusque blanditiis ac terroribus superatis, nihil erat quod Clementinam heic in terris diutius detineret, ac tempus jam venerat, quum confecto bello immensa Servatoris nostri largitas illam ad triumphum universae rei Christianae gloriosissimum in caelum evocaret. Verum quantum mihi objicitur ob oculos, et quam ad omnium saeculorum memoriam insigne spectaculum! Videre equidem videor virtutes fere omnes, velut clarissimas augusto quodam habitu matronas, quae Clementinae duces in vita comitesque exstitere, nunc, morte obita, ut, qua maxima fieri possit pompa, triumphus apparetur, impense pro sua quamque parte eniti atque elaborare. Hinc profecto Religio, quae ipsam a parvula aluit, atque aetate adolescentem sensim ad tantam praestantiam provexit, quaeque rursus ab ea, ut parens benemerentissima, summa semper diligentia culta fuit: illinc Prudentia, cujus ductu universam vitae degendae rationem tam sapienter apteque descripserat, nihil ut praeter opinionem, et non multo ante provisum sibi accidere, nullaque in re offendere et labi videretur. Hinc Fortitudo, qua quum humana omnia infra se posita arbi-

traretur, nec secundis rebus efferri unquam potuit, neque adversis debilitari: illinc Justitia, quae nunquam passa est, quominus omnibus, quae Numini divino, quae sibi, quae reliquis mortalibus praestanda erant, officiis constanter summaque voluntate perfungeretur. Hinc Temperantia, cujus hortatu constrictis fraenatisque cupiditatibus, in altissimo fortunae gradu nuspiam voluptatibus aditus est patefactus, omnique in re modestia adhibita est pene singularis: illinc Liberalitas, quae una effecit, ut aliquando de fortunis suis, quod non calamitosis omnibus sublevandis essent, conquereretur; privatisque opibus consumptis, vestes etiam suas submitteret ad virgines et viduas operiendas. Hinc Comitas, per quam ingenium moresque ea infecti suavitate erant, qua aditu facillima, sermone perblanda fuit; quumque dignitate et virtute praestaret omnibus, omnibus tamen par incredibili dignatione videbatur: illinc ceterae virtutes, quarum illa cultu nunquam abhorruit, navabant operam omnes, curabantque perdiligenter res praeclare tot pugnis ac victoriis gestas titulis, qui triumpho praeferrentur, inscribendas. Ex hoc igitur altissimo gloriae gradu tot tantarumque virtutum comitatu stipata, in caelum, quo Servatoris indulgentia advocavit, Clementina conscendit, superisque excepta sedibus aeterna felicitate fruitura consedit.

Quae quum ita se habeant, aequo tandem animo eritis, AA.? Conquesturine de Clementinae decessu eritis; an gaudio in tam illustri ejus laude exsultaturi? Dolendumne, quod quinto nondum lustro exacto e vivis surrepta sit, quasi vitam annorum curriculo metiri, non recte factorum gloria debeamus; an laetandum, quod tam brevi tot rebus gestis adsequuta sit immortalem beatitatem? Num parva fugacis aevi accessione, quae tamen ad suum erat terminum etiam decursura, tantis Clementinae laudibus, tan-

to christianae Religionis triumpho invidebimus? Maximas, AA., maximas potius Deo grates agamus, majoresque, dum vita suppetat, habeamus, quod tantam virtutem huic saeculo maxime necessariam nobis potissimum oculis usurpandam, animisque fruendam dederit, atque ipso in solio locarit, in quo possent omnes eam suspicere atque admirari. Faxit ipse Deus, ut tot exempla virtutis tam illustria, tam praeclara nulla unquam ex animis oblitcret oblivio; sed in omni vitae actu persequamur, aemulemur, exprimamus. Qua re perfecta, ad ea, quae in nos, dum nobiscum ageret, beneficia contulit Clementina, majorem in dies cumulum post occasum etiam suum addituram facile intelligemus.



ORATIO VII.

IN FUNERE

EMMANUELIS CAPUTO

IN REGIO NEAPOLITANO GYMNASIO

ARTIS CRITICAE ET DIPLOMATICAE ANTECESSORIS

HABITA

AN. CIƆIƆCCCXVIII.



Vix oculis lacrimas, Antecessores sapientissimi, AA. praestantissimi, vix animo moerorem ex acerbo Friderici Zuccari clarissimi collegae funere susceptum abstergere videbamur, quum ecce tibi Emmanuelis Caputi ornatissimi item collegae obitus moerorem lacrimasque redintegravit. Ac licet Friderici, aetate adhuc florente, e medio laudum cursu abrepti occasus miserabilior videri queat, quam Emmanuelis suo prope tempore exstincti; nihilotamen secius patriae, amicis, Gymnasioque neapolitano et juvene ad gloriam quasi quadrigis vehente, et sene confectis veluti stipendiis emerito, paucos intra dies orbari aeque luctuosum fuit. Quanquam vix aut ne vix quidem reor a brevi longiorem aetatem, postquam ad exitum pervenerit, discriminari; neque quidquam esse diuturnum, cujus aliquod sit extremum. Quamobrem illud est nobis dies noctesque cogitandum, AA., brevem admodum vitae cursum homini a natura praefiniri: nulla alia re posse, quam virtute et doctrina latius feliciusque propagari. Itaque praeclarissime sibi consuluisse Emmanuelem

dicendum est, qui illas, tanquam duces comitesque viae, quam erat decursurus, ab ineunte aetate adsciverit, neque unquam ab earum latere discedendum putarit. Qua de caussa factum est, ut doctrina nomen ad posteritatis memoriam proditura sit, virtus exhaustorum laborum praemium paritura. Cujus viri, quicum multiplex me vetusque necessitudo devinxit, laudes in hoc funeris apparatu, consessuque vestro pertexere, quum ab amplissimo Gymnasii rectore esset mihi demandatum, onus abjicere minime sum arbitratus, ne aut tanti viri auctoritatem parvi ducere arguerer, aut amicitiae vinculum, quod perpetuum esse debet, amici interitu abrumpere viderer. Sed nolite, quaeso vos obtestorque, AA., nolite a me justam hominis ornatissimi laudationem exspectare; longioris res ea foret morae, ingeniique firmioris. Illud enim mihi propositum est, rerum ab eo gestarum commemoratione strictim a me cursimque instituta ita ipsum effingere, ut collegam prope praesentem oculis intueri possitis. Itaque peto a vobis, AA., ut tantum orationi meae tribuatis, quantum et debito in rectorem, et pio in collegam et amicum officio tribuendum putetis.

Atque quo facilius quibus initiis laudes, quas explicaturus sum oratione mea, excitatae sint, intelligatis; pueritiam Emmanuelis Caputi memoria repetitote. Nicolaus Marchio Cerveti, et Francisca Capuana foemina lectissima ex pervetustis phratriae portuensis patriciis parentes optimi, quum in puero erectam quandam excelsamque indolem, ad puerilem illam eruditionem pronam, atque a ludicris abhorrentem perspicerent, ne tam praeclarae animi dotes otio illecebraque domestica interciperentur subveriti, illum, fratremque natu minorem ad monasterium Cavense deducendum, atque a monachis Benedictinis instituendum curarunt. Non hujus est loci, AA., pluribus comme-

morare quantum patrum, majorumque memoria per Europam universam amplissima Benedictinorum familia, cum singulari sanctimonia, tum mirifica eruditione inclaruerit. Illud profecto dubitatum nulla unquam tempestate fuit, non aliunde aut majora Ecclesiae christianae praesidia, aut majora reipublicae litterariae emolumenta, quam a magni illius monachorum occidentalium parentis filiis fuisse comparata; ut non immerito quispiam posset affirmare, in illorum claustris non solum pietatem, sed etiam sapientiam sedem diu suam domiciliumque collocasse.

In hunc igitur velut hortum conclusum translatus adolescens, cum assidua sollertium agricolarum opera excultus, tum vero ingenita animi vi incitatus paucis explicari nequit, quam laetos uberesque amoeniorum severiorumque litterarum fructus extulerit. Qua de re et aequalium incitamento erat, et a majoribus in oculis sinuque ferebatur.

Quum autem apud suos illa a priscis usque ducta temporibus obtineret consuetudo, ut juvenes, qui ingenio pollerent, majorique prae reliquis flagrarent studio doctrinarum, atque magnum aliquid de se praeclarumque portenderent, Romam ad theologicas disciplinas ediscendas non solum ex Italia, sed ex reliquis etiam Europae regionibus mitterentur; noster communi praesidum suorum suffragio delectus est, qui in maxima illa doctissimaque urbe spatia conficeret rerum divinarum. Quod optimo sane consilio factitatum fuit: non enim Romam mittebantur, quod in suis illi coenobiis eruditissimorum praeceptorum inopia premerentur; sed quia inter juvenes diversis ex gentibus illuc confluentes ab ingenio praesertim non imparatos, et doctrinarum amore incensos major quaedam gliscere aemulatio videretur, quae mirabilem in modum animos exstimulare, at-

que ad labores quamvis improbos alacriter exhauriendos impellere solet atque excitare. Eodem porro accedebat, quod frequentiores illic Theologicarum rerum congressiones magna doctorum hominum celebritate statis temporibus obirentur; in quibus quum juvenes studiosi assidue versarentur, domum denique subacti redirent, planeque exercitati, maximaque rerum optimarum copia conquisita. In hac sane palaestra ad tam illustrem gloriam proposita, quisnam oratione expedierit, quantum fuerit Emmanuelis studium, quantus labor, quanta contentio? ut totus operi incumberet? ut nunquam cessaret? ut sollertissimum quemque antevertere, ut omnibus palmam praeripere gestiret? Ea de caussa fiebat, ut praeceptores eum sui suspicerent atque admirarentur, nemoque Romae tum esset iis deditus disciplinis, quin laudibus cumularet.

Hujus autem rei fama domum perlata, postquam absoluto studiorum curriculo illo revertisset; nihil antiquius habuere coenobii antistites, quam tradendae theologiae provinciam eidem concredere. Quam sane provinciam quo speciosius ornaret, gereretque utilius, officii sui partes imprimis esse duxit, scholasticorum tricas, quae non modo conceptam juvenum spem atque utilitatem retardare, sed etiam ingenia torquere, et cum maxima temporis, rei perquam pretiosae, jactura pervertere solebant, longe amandare; caelestemque illam scientiam e sacrarum scripturarum, divinaeque traditionis fontibus, e conciliorum sanctionibus, e sanctorum patrum voluminibus haurire, unde non mediocris in auditores suos et jucunditas audiendo, et discendo eruditio redundare videbatur. Dum vero huic muneri multos jam annos insudaret; tantum aberat, labor ut ille perpetuus remissum ac segnem, ut etiam promptiorem in dies efficeret atque alacriorem. Quod profecto calcaria admovebat auditoribus: namque suppude-

bat discipulos magistri sui strenuitate superari, ac verebantur, ne, ubi omnia abunde suppeterent, sibi ipsi deesse viderentur. Itaque non pauci ex illius ludo ab universo sacrarum doctrinarum choragio instructissimi prodierunt.

Jam vero quanquam in tradendis theologicis disciplinis latissimus illi campus, ubi posset exsultare, proponebatur; tamen inaudita discendi cupiditate inflammatus angustis quasi cancellis coerceri propemodum indignabatur, quaerebatque anxius, ubi ingenium posset non sine laude fructuque exerceri. Est in Cavensi coenobio tabularium, ut probe nostis, AA., opulentissimum, planeque insignibus monumentis refertissimum, unde sequioris aevi antiquitatibus lux plurima affundi potest, non solum ad hujus regni florentissimi, sed totius etiam Italiae mores atque instituta illustranda, quae illis tempestatibus viguerunt. Atque multi jam sapientes exstitere viri, qui ejusmodi monumentis enucleandis non exiguam nominis gloriam apud litteratos sunt homines adsequuti. Tabularium illud industrium, laboriosum, laudisque amore exardescentem hominem ad se injecta veluti manu pertraxit. In hoc igitur novum veluti stadium ingressus salebrosum sane atque perdifficile, fingi vix potest, quanto coeperit animi ardore, quantaque alacritate decurrere: neque ullus erat labor tam gravis et molestus, qui ab incepto itinere deterreret: neque difficultas tam impervia, quae ab incitato cursu retardaret.

Dum autem opus illud assiduus, et sine ulla cunctatione urgeret, sensit homo navus atque sagax artem ad ea studia criticam esse apprime necessariam, quae facem veluti praeferret, tenebrasque ubique obsidentes disjiceret; illuc igitur curas quoque cogitationesque convertit. Quo praesidio instructus, si non omnino expeditam, at planiorem certe viam studiorum suorum visus est communire.

Sed jam tempus advenerat, quo ex Benedictinorum praescripto a docendo vacationem dari sibi oporteret. Itaque data est ei vacatio, additusque Prioratus, quod illi ajunt, honor, quae altera est ab Abbate dignitas, tanquam muneris recte atque ordine administrati praemium et testimonium.

Dignitate auctus Emmanuel, docendique onere sublevatus non ad animi remissionem et requietem sibi tempus esse oblatum autumavit, sed copiam diu desideratam factam esse, quo liberius, animo ceteris curis vacuo, ardentiusque studia, quae sibi excolenda proposuerat, persequeretur.

Hisce autem occupationibus dum summa animi delectatione detineretur, Rex providentissimus statuit Gymnasium regium nova cathedrarum accessione locupletare; doctosque homines accire, qui agriculturam, atque artem criticam, et diplomaticam adolescentes perdocerent: quae duae res quantum hominibus nostris profuturae essent, nemo non intelligebat. Etenim ubinam terrarum tanta ubertas agrorum? ubi tanta varietas fructuum? ubi tanta magnitudo pastionis? Ubi porro major mediae aetatis copia monumentorum? ubi major vis diplomatum veterrimorum? Quam dives ac pretiosa supellex in Casinatis, in Cavensis, in montis Virgiliani monasteriorum tabulariis recondita est? Quanta in neapolitano publico regioque asservatur? Nihil igitur Augusti Regis consilio potuit excogitari sapientius, aut neapolitanorum rationibus accommodatius. At non diu fuit haesitandum quisnam ex nostris potissimum ad artis criticae et diplomaticae tradendae munus defungendum deligeretur: jam enim in civitate operae in eo doctrinarum genere locatae ab Emmanuele fama percrebuerat. Statim ergo in illum oculos Rex providentissimus conjecit, cathedraeque ab se recens consti-

tutae primum moderatorem praeficiendum mandavit. Quae res ubi rumore prius per urbem, deinde certo nuntio dissipata est, incredibili doctos homines, qui illum probe norant, laetitia affecit: neque delatum honorem tam ipsi, quam universo nomini neapolitano gratulabantur, quod tandem studiosae juventuti ad illa studia per eum aditum patefactum iri augurarentur. Qua autem ratione magisterio publico perfunctus ille fuerit, non opus est oratione mea aperire: multi ex vobis recordari potestis, AA., qua humanitate adolescentes ad se adeuntes exciperet; quo conatu ad studium fortiter aggrediendum excitaret; qua vigilantia eorumdem profectum exploraret; qua denique sedulitate omnes muneris sui partes expleret: quam sollers in rebus definiendis, quam accuratus in dividendis, quam perspicuus in explanandis, quae intellectu explicatuque perdifficiles et perobscurae videbantur. Igitur mirari minime debemus, si nemo ad illum accederet, quin et doctoris, et doctrinae amore incensus discederet.

Interea dum operi huic faciundo operam insumeret nec levem, neque instrenuam; homo laboris patientissimus animum adjecit ad jus publicum cognoscendum, quae philosophiae politicae pars ab hominibus liberali doctrina excultis nobilissima semper existimata est, maximeque fructuosa. Atque tanto animi, ut suus erat mos, impetu in eam scientiam invasit, ut non multo post temporis decursu probe calleret, in numeratoque haberet quid belli pacisque jura praescriberent, quid nationum officia postularent, quid aliis aliae praestare deberent. Ne vero quidquam ex hujusmodi vigiliis deperiret, plurimas majoris momenti quaestiones, quae ducere familiam videbantur, summa a se cura perpolitas in unum veluti corpus compingendas curavit, sicubi ex usu aliquando forent. Quae quidem

parva interposita intercapedine magno ex usu fuerunt. Rogatus enim a juvenibus praestanti ingenio praeditis, summoque apud nos loco natis ne gravaretur jus sibi publicum exponere, qua morum erat facilitate, perlibenter eos informandos, diligentissimeque instituendos suscepit, e quorum numero fuere, qui ab Augusto Rege ad principes potentissimos missi, cultissimasque gentes legati, industriam, dexteritatem, prudentiam in agendis conficiendisque negotiis maximis nemini non probaverunt, summaque apud omnes laude gratiaque floruerunt.

Hic autem quum tot tantisque ingenii ornamentis Emmanuel nobilitaretur; intelligi facile potest, quam longe lateque illius fama sese, nomenque diffuderit, et quam multos amicos conciliaverit nostrates atque exteros nobilitate doctrinaque praestantes. Ac per mihi longum hoc loco esset singulos enumerare. Instar omnium erit, quem piaculum foret silentio praeterire, Pius VII Pontifex Maximus atque sanctissimus, quem Emmanuel ab illo usque tempore, quo Romae simul convictu jucundissimo dogmata theologica erudirentur, plurimis virtutum insignibus enitentem quum observare coepisset, nunquam destitit colere, admirari, venerari. Ac Pontifex quidem ex altissimo illo dignitatis fastigio magna eum benevolentia complexus multa clementiae in eundem ipsum edidit argumenta, Abbatemque renuntiavit dignatione prope singulari.

Sinite vero, AA., me hoc orationis meae loco a teterrima illa calamitate, ac prope fatali hisce terris pessimo publico importata oculos, mentemque avertere, quae tanta profecto fuit, ejus ut impotentem impetum, furoremque vitare nequaquam potuerint complures vitae innocentia, atque eruditionis praestantia praeclarissimi. Emmanuel etiam, licet officiorum suorum fines egredi sibi semper religioni habuisset, atque a rerum novarum

cupiditate quam qui maxime abhorruisset, invidiae tamen calumniaeque patuit hominum impiorum. At patriae, honoribusque restitutus, et honesta deinde a Gymnasio missione, sed Archivo publico inspiciendo praefectus vitam degit sub Rege nostro clementissimo dignam sene sapiente. Illud autem non est sine doloris sensu praetereundum, quod in horribili illa universae fere urbis direptione, quum plebecula quasi furiis acta ad praedam undecunque corripiendam per locupletium domos discurreret, neque a sacris aedibus avidas manus abstineret; eruditae ipsius lucubrationes cum non ingenti ea quidem, sed lectissimorum librorum copia miserrime disperierunt.

Verum enimvero quorsum tam eximiae doctrinae laudes tanto tot annorum labore collectae quorsum, inquam, evaderent, AA., nisi cum Religione et Christiana virtute conjunctae aliud quidpiam stabilius humana existimatione, fluxaque gloria perennius sponderent? Paullatim illae ex hominum memoria obliteratae, oblivione deinde consepultae forent ad nihilum recasurae. Sapientissimo igitur consilio Emmanuel inita a se disciplinarum studia ab obeundis Religionis officiis nunquam disjungenda existimavit, unde viam sibi sterneret ad beatam immortalitatem.

At vestra equidem patientia abuterer, AA., si virtutes omnes, quae in ipso simplici illo atque Evangelico ornatu eluxere, vellem singillatim dicendo enumerare. Pauca paucis perstringam, ita tamen, ut quales in homine nostro, quantaeque illae exstiterint, intelligere possitis. Itaque in Deum caeli terraeque Conditorem, et J. C. generis humani Salvatorem pientissimus fuit, in homines justissimus, in omni vitae actu modestissimus. Neque secus fieri poterat; Religio enim animo adhuc tenello, et, ut ita dicam, cereo, nullaque re occupato intra sacros suorum parietes perdiligenter instillata, adeo tenax adhaesit, ex

omni ut parte incolumis ad ultimam senectam perduraverit. Ad haec a sanctissimis beatissimi parentis sui Benedicti institutis, quibus nihil ad vitam pie degendam prudentius fieri posse dictitabat, ne latum quidem unguem sibi declinandum existimavit. Ex hac autem veluti stirpe reliquae illae prodiere virtutes, quae etsi minores videri solent, usu tamen sunt frequentissimae; neque iis ulla vitae pars carere potest, vel sub domesticorum parietum umbra delitescas, vel in hominum societate verseris, vel otio utaris, vel negotio impliceris. Fortitudo in rebus adversis, in secundis aequabilitas: in colenda amicitia fides, in amicis consilio, opera, re, sicubi ratio poposcerit, adjuvandis alacritas: reverentia adversus majores, adversus aequales amabilitas: in sublevanda tenuiorum fortuna largitas, in omnes denique mortales humanitas et benevolentia.

His ille facinoribus tam praeclaris, atque homine christiano dignis dum intentus unice esset, morbo correptus, brevique confectus, vitam cum morte placidissima commutavit.

Quidnam hic vobis videtur, AA.? Mortemne, quae hujusmodi vitam perpetua studiorum agitatione, virtutumque exercitatione exactam consequuta est, lacrimis luctuque prosequendam censebitis, an omnibus christianae laetitiae significationibus honestandam? Senisne optimi fato dolebimus, an eidem gratulabimur, quod ex hujus fluxae miseraeque vitae fluctibus ereptus in tranquillitatis portum, confecto cursu perdifficili et periculoso, convolarit? Vivet, vivet ille quidem, quoad licuerit, in amicorum civiumque memoria, sed felicius laetiusque vivet in illa beata aeternitate, ubi reposita est corona justitiae, quam Salvatoris nostri sanguine nobis comparatam Deum justum judicem, pro infinita benignitate, redditurum esse confidimus.

COMMENTARII

SALVATORIS AULAE

VITA

Salvator Aula Joannis Baptistae fil. Neapolitanus x Kal. Majas an. cIɔIɔccxvIII natus est. Vir, quem nemo, prout tota decursae vitae ratio praetulit, neque oratione praedicare, neque scripto facile queat effingere. Incredibilem enim religionis pietatem florentissima cum doctrinae laude arctissimo inter se, pulcherrimoque vinculo copulavit. A puero complura dedit indicia et virtutis, et ingenii. Itaque annum agentem xiv abdidit pater optimus in Seminarium Neapolitanum, cui maximam id temporis famae celebritatem amplissimum Caroli et Januarii Majellorum nomen apud omnes exciverat. Quod quidem patris consilium Josephus filius natu major, et germanus Salvatoris frater adjuvit, qui liberales ibidem litteras profitebatur.

Ibi accuratum est diligenter, ut puer iis inficeretur artibus, quas si tener adolescentulorum animus combiberit, ad majora accedet ornatior et instructior. Tum Graecanicas disciplinas Jacobi Martorellii, Hebraicas Ignatii Calcii ductu arripuit aviditate animi singulari. Deinde hac in palaestra exercitatum qui studiorum rationes in Seminario procurabant ad emetiendum severiorum scientiarum stadium emisere. Ac spatium illud universum ea alacritate decucurrit, ut, quae exstitit ingenii felicitas, xxi aetatis anno metam praetervectus sit, ac-

qualium admiratione plausuque, et praeconio non vulgari praeceptorum exceptus.

Jam vero, quum ferme biennium in dulcissima studiorum commentatione quietus degisset, salebrosas de jure quaestiones in luce congressuque virorum ea in scientia principum, ipsius sub oculis Josephi Spinellii Cardinalis, et Neapolitanorum Antistitis, mira dexteritate doctrinaeque copia expedivit. Id profecto Josephus Aurelius de Januario, in eodem antea Seminario ad humanitatis et sapientiae studia institutus, fori tum splendor, togaeque decus, qui in rem praesentem venerat, cumque eo disputarat, admiratus, egregiam et multiplicem juvenis indolem gratulabundus mactavit honestissimo elogio; atque ipsemet, ut erat summae auctoritatis vir, ab acerrimi judicii Cardinale impetravit, ut anno ante legitimum tempus, quod nemini omnium indulserat antea Spinellius, juris morisque veteris retinentissimus, Salvatorem eveheret ad Sacerdotium.

Presbyteratu porro jam auctus, necdum annum XXVI ingressus, artem poeticam Seminarii adolescentibus enucleandam suscepit. Inde exacto vix trium annorum spatio, tradendae eloquentiae iniit provinciam. Ac nemo tum fuit, cui non ille probaverit vel eruditionem, vel industriam suam. Quin Jacobus Fontana Neap. Ecclesiae Canonicus Seminarii ea tempestate moderator, auctor ei fuit, ne curas alio, ut in animum illi obrepserat, laboresque traduceret. Qua ex re factum, ut per XXXVI propemodum annorum curriculum delatas hujus muneris partes indefessus obierit. Id vero cum primis in ipso admiratione dignum videbatur, quod maxima dexteritate subibat animos discipulorum, ibique ingentes excitabat amores litterarum, illud praeclare dictum occinens ex intervallo: *Vita sine litteris est vivi hominis sepultura.*

Quo diuturno illius labore ac sollertia frequens sane adolescentum examen, postquam laetissimos amoenioris litteraturae flores decerpsissent, alacres in omne scientiarum genus incubuere, magnum deinde in re litterarum publica nomen consequuti.

Interea Cardinalis Spinellius Ferdinandum fratris filium, Romae nunc urbis Praefectum, animo destinavit optimis in Seminario disciplinis comparare ad majora reipublicae Christianae munia. Ea de caussa in Aulam conjecit oculos, ejusque fidei optimae spei adolescentem commisit, ut tanquam e praecellenti exemplo singulares illas omnino probitatis et sapientiae dotes exsculperet.

Jam vero quidquid praesidii atque ornamenti ex interiori Hebraearum, Graecarum, Latinarumque rerum notitia suis arcessere studiis poterat, totum id conceptum animo, inexhausta quadam discendi cupiditate, comprehensumque habebat. Ipse enim Alexii Symmachi Mazochii lateri una cum Nicolao Ignarra, cujus amicitia judicioque admodum delectabatur, comes haesit perpetuus. Ex qua ditissima optimarum artium officina opulentam illam supellectilem sibi conquisivit.

Heic forte fortuna accidit, ut Caroli III utriusque olim Siciliae, nunc Hispaniarum Regis potentissimi jussu ex amplissima hac civitate deligerentur eximii quique humanioris litteraturae cultores, quibus Herculanensium cimeliorum incumberet enucleatio. Hos inter eruditorum principes ille fuit ipsius Mazochii suffragatione allectus. Atque, dum illae praestantium virorum congressiones viguere, scriptionibus aliquot lectissima fruge plenissimis rem Herculanensem mirifice pro sua parte studuit exornare.

Licet autem his esset occupationibus implicitus, nihil tamen culturae alumnorum suorum, cui se totum addi-

*

xerat, praevertendum rebatur. Complures insuper ad sui muneris perfunctionem cultissimas habuit pro re nata orationes in aedibus Seminarii.

Porro Antoninus Sersalis Cardinalis, qui Spinellium in Archiepiscopatu excepit, Aulam sibi jamdiu perspectissimum Clero liberalibus imbuendo scientiis praefecit. Neque, ut erat ille in suos munificus, complures destitit honoris et largitatis significationes in hunc prodere toto xx annorum tractu, quibus sedulam huic operi manum admovit.

Sub haec Josephus Simiolius Ecclesiae Neap. Canonicus, et Seminarii Rector, aegerrime, ob insitam hominis ingenio modestiam, a Salvatore tenuit, ut Oratorias et Poeticas Institutiones a Carolo Majello antea conscriptas, sicubi, foret opus, retexeret, atque in lucem emitteret ad justi voluminis molem conflatas. Praeterea idem Simiolius majus aliquid ab eo contendit, pepulitque tandem, ut conficeret Romanarum Antiquitatum epitomen. In qua mirum certe quantis universi laudibus extulerint judicii maturitatem, rerum ordinem, stilique elegantiam. Atque utinam perrexisset Simiolius tanti viri modestiam diutius defatigare! Praeclara equidem plurimaque haberemus illius ingenii monumenta, quae rem litterariam novis auctibus locupletarent. Illud tamen, ne indictum abeat ipsa scriptionis ratio adhortatur, illum plurimorum annorum decursu ex Tullii, Liviique lectione non paucas animadversiones collegisse, quae cum auctores nova luce conspergerent, tum ipsam quidem latinitatem ditarent. Praeterea rei numismaticae institutiones conscribendas suscepisse non juvenum modo, sed natu quoque grandium, qui harum disciplinarum vel utilitate vel voluptate capiuntur, studiis facturas satis. Has autem absolutas atque exasciatas praestare non au-

sim. Olim certe fuit, quum earum partem forte mihi in manus, illo imprudente, delatam licuit inspicere et admirari. Quae sane omnia in forulos conjecta, non aliter atque inscriptiones quamplurimae in justum et ipsae volumen evasurae, amicorum, prout res ferebat, rogatu exaratae, delitescebant. Nec vero quum fato functus est, ab herede impetrari ulla ratione potuit earum ut rerum copia praeberetur.

Inde aliquot post annis Seraphinus Philangerius Archiep. Neapolitanorum, quum Francisco Valle Canonico Neapolitano Seminarii administrationem demandaret, Aulam selegit, qui illorum adolescentum curam pro Rectore susciperet. Difficillimum vero dictu est, quanta vigilantia, quantaque accuratione id quodcumque muneris perdius, ac pernox expleverit. Adolescentum enim commoditatibus, uni sibi incommodus, ut nunquam deesset, liberum cuique poscenti, quibuscumque ipse curis distineretur, libentissime dabat aditum, tantaque cum gratia, quasi tum nihil aliud sibi agendum superesset; nec unquam interpellator vel importunissimus, cui copiam dicendi praecluserit: itaque Aulam nostrum ex vero omnium horarum hominem appellaveris.

Haec autem dum negotia domi abditus gereret; Ferdinandus Rex P. F. Aug., nova scientiarum, artiumque Academia constituta, Salvatorem inter lectissimum illum coetum retulit, attributaque ex ipsius aerario pensione cohonestavit. Quam sapientissimi Regis munificentiam Michael Sarconius Academiae a secretis significavit datis ad eum perhonorificis litteris. Sed vix unicam pro academico penso dissertationem elucubravit, quam Alexandro Mariae Calephato Episcopo Uritano transmisisse fando inaudivimus; quippe quum sub extremum vitae tempus vires adversa identidem valetudine accisae ene-

ctaeque paullatim sub gravi laborum sarcina fatiscerent.

Verum enimvero tot ingenii decora, tot ornamenta doctrinae prae una Religione Aula despexit, humanas res omnes infra se positas arbitratus. Itaque ab adolescentulo nihil habuit antiquius, quam ut virtutes omnes intento cursu persequeretur, non adumbratas illas quidem et fucatas, sed solidas atque germanas.

Maxima igitur fuit semper in Deum pietate; quem quovis in loco tanquam sibi occursantem contemplans, omnia, quaecumque aut diceret, aut ageret, unice exegit ad justi rectique normam, ac bonus esse, quam videri maluit. Ex ore, incessu, habituque totius corporis gravitas exstitit singularis. Ita quicumque in eum defigerent oculos, intueri sibi videbantur expressam castimoniae imaginem. Vultus tamen haudquaquam superciliosus, verum ad severitatem erat non inamabilem compositus: perjucunda morum facilitas: sermo ingenua quadam hilaritate conspersus. Linguae vero temperantissimus neminem ne verbo quidem violavit; ab eoque congressu, ubi parum honorifica hominum mentio foret injecta, si non alio sermonem liceret abducere, sensim sine sensu elabebatur.

Eo summam adhibuit diligentiam, ne cuipiam re aut verbis molestiam vel leviculam adspergeret. Nec ulla in ipso fuit unquam mora, quin aliorum prospiceret utilitati. Quod maxime apparuit, quum, postquam aedes Ecclesiae ipsi concreditae ruinosas de novo exstruxisset, noluit, licet graviter aere alieno illius sacerdotii caussa premeretur, flagitantibus conductoribus elocare. Ajebat enim *suo etiam incommodo habendam alienae valetudinis rationem*, cui aedes recens conditae, siquidem illo commigraretur, nondum dispulsa calcis graveolentia, aliquid parere detrimenti poterant.

Parcus admodum temporis fuit. Ideo confecta ambulatione ad reficiendas aliquantum vires necessaria, domum convolabat ad studiorum delicias; ad quae nunquam aggrediebatur, nisi fusis antea ad Deum precibus, praepositaque in pluteo Christi Servatoris imagine. Quam quidem Christi imaginem, velut insigniori manu insculptam, animo semper ille contuebatur, totusque in eo erat, omnes ut vel minimas Christianorum officiorum partes perquam sedulo defungeretur. At illam praecipue Evangelii praeceptionem, *Tu, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito,* memoriae adeo penitus infixerat, ut nunquam aliter sibi faciendum duceret. Quin hujus praecepti vim ad totam rerum agendarum rationem pertinere secum reputans Salvator, actiones vitae universas quasi quodam velo contexit, atque ex hominum adspectu et cognitione per summam industriam surripuit. Atque id caussae fuit, cur e multis pientissimi viri rebus gestis nequaquam multae evaserint in lucem.

Facturus ille quidem rem divinam, perinde atque oblivione omnia obruisset, nullius rei cura visus est permoveri; quumque sacro operabatur, dici vix potest, quanta percelleretur divini numinis reverentia. Jam mirifico salutis animarum studio exarsit, atque egregio hoc quaestu, quoad susceptae vitae rationes ferebant, sese exercuit. Quandoquidem *Incurabilium* valetudinarium pomeridianis horis adibat per eos dies, quibus a schola vacaret, ac pueros illuc collectos traditis christianae fidei rudimentis acuebat ad morum sanctimoniam.

Prolixus vero in pauperes animus ab instituto beneficentiae tramite nunquam deflexit. Nam ipse quidquid e triplici sacerdotio, quibus invitum Cardinalis Sersalis deinceps cumularat, sibi rediret, id omne in eorum leva-

men summa religione expendit. Imo ad miseriarum, quibus illi afflictarentur, narrationem forte aliquando interpositam, videbatur totus commoveri: et largiorem ipsis stipem curabat de suo clanculum suggerendam.

Perpetuus actorum suorum calumniator, quid optimum in vita factu foret, anxius diuque scrutabatur. Hinc ad levem oboriturae in Deum injuriae suspicionem, *animus gladio*, ut ipse inquiebat, *transverberari* sibi videbatur: nec poterat conquiescere, nisi rimulas omnes, unde fore extimescebat, ut malum erumperet, ante perdiligenter obstruxisset. Qua in re nonnunquam reprehensus est, tum quod animi plus nimio angeretur, tum quod alios hac una de caussa aliquando laevus interpellaret. Indidem etiam factum, ut Fontanae auctoritate ad confessiones excipiendas destinatus, ubi unus aut alter abiit mensis, ad Antistitem accurrerit, seque ferendo oneri imparem praedicans, exoraverit, ut sibi liceret in posterum ab illa ancipiti procuratione animum expedire.

Huc etiam accedit, quod incredibilem animi demissionem, suique contemptum praesetulit semper, et qualemcumque nominis celebritatem abhorruit quam qui maxime: nec quidquam cavit diligentius, quam ne quid alicunde efflueret, ex quo vel tantillum ad sese existimationis accessurum persentisceret. Quapropter cuidam virtutem suam laudanti, stipulam humi jacentem digito commonstrans: *Oro te, inquit, ut majori apud te numero hanc stipulam, quam me habeas.* In toto autem hoc vitae genere nunquam visus a se ipse discors, sed uno semper eodemque tenore ad extremum usque spiritum fluere; ut Simiolius soleret dicere: *Cui totam Aulae vitam libet exprimere, is unius diei vitam exprimat.*

Ergo perfectae virtutis munere defunctus capitali morbo correptus VIII Kalendas Sextil. decubuit. Unde ad pau-

cos dies ita emersit, ut convaliturum propediem spes illuxerit. Verum vi Kalendas Sept. praeter omnium opinionem vesperi, placidissimo quasi somno consopitus, ad aeternam requietem evolavit, annos natus LXIV, men. IV, dies V. Omnium lacrimis elatus ingens sui desiderium reliquit. Ad Divi PHILIPPI NERII, in quem dulci ferebatur caritate, apud Patres Oratorianos, Academicis funus prosequentibus, sepultus est. Atque Oratoriani ipsi Patres pro insigni in illum observantia, tanta in extremis sepulturae officiis honorificentiae argumenta edidere, ut quanti virtutem facerent, probe omnes intellexerint.

Seminarii demum adolescentes tanti Parentis jactura moerentissimi, ut aliquam tot tamque luculentis in se meritis gratiam pro se quisque referret, septimo post emortualem die funus publicum apparaverunt in Ecclesia S. MARIAE de MONTE CARMELO in regione Mannensium; quam ipse Ecclesiam sanctissime plures annos administravit. Funeris elogia CAROLUS ROSINIUS scripsit: pro concione vero laudavit NICOLAUS ROSSI uterque adolescentum Seminarii praeceptores, iidemque SALVATORIS olim alumni. Ita Vir, quamdiu advixit, laudum maxime negligens, ereptus e vivis plures virtutum suarum praecones vitare non potuit.

DE

FRANCISCI DANIELII

STUDIIS SCRIPTISQUE

COMMENTARIUS



Γευναιων δ'ἀρεται πρυωυ
Τοις θανουσιυ ἄγαλμα.
Eurip. in Androm.

Saepenumero multumque cogitavi, neque adhuc satis idoneam reperire caussam potui, cur fieret, ut homines adversa, quam secunda amicorum fortuna vehementius commoverentur. Laetamur nos quidem, ac mirum in modum laetamur, quum vel rei familiaris, vel honoris amico factam accessionem esse rescivimus, praeclareque cum ipso actum prope exsultantes gaudio praedicamus. Sed quanto gravius afficimur, quantoque acerbius dolemus, si quis afflaverit rumusculus, amicorum quempiam fortunarum, valetudinis, aut existimationis periculum aditurum? Ne punctum quidem temporis licebit aegritudine usque eo vacare, dum satis amici res salvas esse cognoverimus. Quare illorum me sententiae adstipulatorem facile adscriberem, qui ab ea illud caussa proficisci crediderc, quod, quum amicorum virtutem plane cognitam perspectamque habere videamur, quidquid fauste prospereque ceciderit, infra eorum merita positum esse ducimus, multoque illis majora deberi arbitramur. Rursus

autem, si qua cum calamitate, contra atque eorum dignitas flagitaret, conflictari viderimus, tum enimvero factu indignissimum judicamus, ferimusque aegerrime tantam virtutem, cui nihil non ultro deferendum esset, a fortunae sese hominumque injuria vindicare minime potuisse. Atque id maxime in eorumdem ipsorum obitu persentiscimus; quos enim singulari quadam laude praestantes patriae non minori esse ornamento, quam usui perspiciebamus, ac, si fieri posset, immortales fore cupiebamus, praematuro eos fato nobis eripi, eamque lucem, quae laeta omnibus affulgere videbatur, subito occidere, angimur non usitato sensu acerbitatis. Quod si unquam alias, in occasu certe Francisci Danielii viri vitae integritate, morum jucunditate, doctrinaeque politioris excellentia clarissimi perspectum est. Nemo enim exstitit ingenii paullo humanioris, quin illius morte magnopere commotus sit: perdifficile autem dictu est, quantus infelici illo nuntio pervenerit ad amicos dolor atque aegritudo.

Nolim vero, quemquam mihi hujus viri elogium edituro succensere, quasi ad refricandam vulneris illius cicatricem si non obductam, ipso certe temporis decursu coeuntem, veluti venenatus quidam unguis accedam. Alterutrum enim faciendum fuit; aut collegas de collegae benemerentissimi memoria silere, patique illum sine ulla honoris significatione abire, aut amicis dolorem aliquem vulneris recrudescentis inurere: quorum alterum ab officii regione omnino, alterum ab humanitate paullum deflectere videbatur. Perferant ergo tantisper dolorem suum, sinantque nos officio fungi debito praesertim ac necessario. Quanquam fore confido, ut, me Danielii vitam primis, quod ajunt, lineamentis deformante, ea ex inchoata rudique hac tabula species luceat, quae laetitia potius, quam moerore perfundat animos intuentium. Etenim il-

la demum vita putanda est, quae non brevi paucorum annorum curriculo terminetur, sed quae, quum pie sancteque, bonarumque disciplinarum agitatione traducta tota sit, diuturna inter homines memoria propagetur, et apud Deum virtutis praemium adsequuta vigeat sempiterna.

Franciscus Danielius pridie Idus Aprilis cIɔIɔCCXL Sanclemente natus est in pago et amoenitate caeli, et soli ubertate totius fere Campaniae pulcherrimo; qui cIɔ passuum intervallo Caserta distat, urbe praetorii regii magnificentia longe nobilissima. Patrem habuit Dominicum satis litteratum hominem, et in juris prudentia non mediocriter versatum: qui, quum viam ad opes sibi, honoresque munire potuisset, si in civium oculis habitare, caussasque actitare in foro voluisset; rem familiarem justa parsimonia tueri, quam opera forensi amplificare maluit, et sub domesticorum parietum umbra latere quietus, quam curis enectus ad lucem emergere munerum publicorum. Itaque Sanclemente, ubi majores aliquot ante annis fortunarum sedem et domicilium defixerant, nunquam discedere, ibique vitam ab negotiorum molestia vacuam vivere cogitavit. Quod patris consilium is natu grandis tanquam sapiente dignum laudare solebat, nedum reprehendere: eamque in rem fabellam a patre narratam scite, ut suus erat mos, jucundeque commemorabat.

Licet autem animo Dominicus ab omni contentione esset alieno; tamen ad officii sui rationem optimam liberorum institutionem pertinere apprime arbitrabatur, quam si parentes quavis de caussa posthaberent, facinus rebatur illos in se consciscere non modo vituperatione, sed supplicio puniendum. Itaque nihil industriae suae reliquum fecit, quominus via non vulgari, summaque diligentia liberi instituerentur, iisque imbuerentur litteris, sine quibus praestantiores ipsae doctrinae nihil gratiae,

nihilque splendoris sunt habiturae. Neque parentem optimum operae inibi locatae poenituit: mature enim in adolescentulo sese prodidit erecta indoles, et ad praeclara natura prope facta: laetum ac felix ingenium: incredibilis discendi aviditas. Eodem accedebat judicii maturitas quaedam, quae ab illa aetate solet sine hominum querela abesse, et memoria rerum verborumque tenax, pulcherrimus ille disciplinarum thesaurus, quo, si quem natura minime benigna ditare noluerit; vix est quod diuturno improboque labore speret in aliquem se numerum perventurum. Ad haec bona etiam fortuna navum adolescentem et industrium respexit, auctumque voluit ope pene insperata; quod nisi contigisset, ad eam fortasse, quam consequutus est, laudem non potuisset adspirare. Erat Caputrisii non longe admodum Sanclemente Marcus Mundius vir cum magna doctrina, tum vero graeci, latini, hetruscique sermonis peritia singulari; qui, classicis scriptoribus summa diligentia perlectis, non solum virtutes illorum, veneresque omnes pervestigarat, sed etiam vim, copiam, elegantiamque scribendo prorsa versaque oratione expresserat. Is Danieliis utebatur perfamiliariter, domumque frequens ventitabat, atque ab adolescentulo poscebat, uti fieri solet, studiorum rationem. Quod ubi iterum tertioque fecisset, ingenio illius, judicioque captus adeo est, ut eum sibi deinceps instituendum susceperit. Hoc autem tam egregio viae monstratore ac duce poterit per se quisque intelligere, quanta fervidus jam adolescens alacritate universum bonarum litterarum spatium decucurrerit, ad calcemque pervenerit. Atque heic Mundius ipse patri auctor fuit, ne quam interjiceret moram, quominus adolescentem in urbem deduceret, ubi universae philosophiae, jurisque prudentiae studiis informaretur: fieri enim nequaquam posse, quin quaevis doctrinarum se-

mina ejus animo tanquam agro subacto satis atque mollito committerentur, laetissime pullularent, fructumque ferrent uberrimum. Mundii dicto pater, qui nihil malebat, quam filium quam doctissimum esse, audiens fuit, atque adolescentem Neapolim perduxit.

Abundabat ea tempestate urbs haec hominibus eruditissimis, liberalissimisque studiis affluebat. Nec mirum id cuiquam videri debet. Paucis enim ante annis quum Carolus III optimus Princeps, regno armis recepto, atque ex humili provinciae conditione vindicato, sedem Neapoli regiam collocasset; quemadmodum agricolarum industria, mercatorum dexteritas, opificum sollertia quasi intermortua velut ad vitam fuere revocata, ita quoque studia artium optimarum, etsi a nostris intermissa admirabili quadam ingeniorum felicitate non fuerant, tamen eadem illa vi praesentissima tanquam acrius excitata impensius colebantur. In urbem igitur postquam demigravit, doctissimis praeceptoribus erudiendus traditus est; quorum disciplina, ut generosae vitis propago in feliciorem terram translata, caeloque benigniori exposita agricolae spem antevertit, sic ille omnium exspectationem superavit, omnesque philosophiae, et juris privati, publicique partes arripuit incredibili prope animi contentione. Dum autem a magistris doceretur, nullum sibi diem effluere patiebatur, quin quodpiam ex majoribus illis civitatis luminibus salutatum adiret: quorum domum, quum quidquid hominum esset cultiorum, conflueret; doctissima ille omnium consuetudine fruebatur, et ad omnem sapientiam audiendo, percontandoque expoliebatur. Per mihi longum esset singulos recensere, nefas quemquam praeterire: unum igitur illud addam, neminem ex tot clarissimis viris exstitisse, cui non ingenii acumine, et morum nativa quadam ingenuitate carissimus fuerit. Ac Mazochius quidem, ma-

gnus ille immortalisque vir, quem et domi invisebat, et deambulantem adsectabatur, quum aliquam ex veteri scriptore sententiam vellet commemorare, neque statim memoriae occurreret, ad Danielium conversus: *Rogemus*, inquiebat subridens, *juvenem memoriosum.* Genovesius vero, qui philosophiam, detracto vestitu illo, quo dedecorabatur, pannoso atque horrido, primus inter nos liberali, ut honesti loci ordinisque matronam decebat, cultu ornavit, perhonorificam ipsius mentionem in Metaphysicorum libris (1), atque in epistolis injecit (2).

Annum vicesimum natus erat Danielius, absolutumque studiorum curriculum domi remetiebatur, quum amicis foro maturus visus est, caussisque agendis idoneus: itaque eorum cohortatione in forum descendit. Ibi quidem, quocumque conjiceres oculos, magistratus adspiceres auctoritate et sapientia insignes; adspiceres patronos non modo in jureconsultorum schola exercitatos, sed in Musarum etiam sinu innutritos. Quare magnus tum erat fori neapolitani splendor, magna dignitas, veteremque illam a majoribus acceptam gloriam tuebatur. Haec autem amplitudinis forma juveni primum objecta tantum abfuit, ut aciem oculorum praestrinxerit, novas ipsi veluti faces subjecit, animumque laudis studio calentem inflammavit. Propositum siquidem ipsi fuit, aequales anteire, majoribus natu instare, cum clarissimo quoque certare. Atque ex una alteraque, quam egit, scripsit, edidilque caussa omnium in se oculos convertit: tanta erat juris cognitio, tantus rerum ordo, tanta concinnitas puritasque orationis.

Neque vero forensis opera ab amoenioribus litteris, quas in primis deamabat, avocare eum poterat. Quamobrem,

---

(1) Vol. I, pag. 228. Ed. 1761.

(2) Vol. II, pag. 133.

quum in manus forte fortuna Antonii Thylesii opusculum incidisset, viri graece latineque doctissimi, et eruditorum aetatis suae facile principis, sapientiam scriptoris, elegantiamque saeculo Augustaeo invidendam admiratus, illam cogitationem juvene bonarum artium perstudioso dignissimam suscepit colligendi, edendique quidquid ab tam erudita foret exaratum manu, posseique vel in bibliothecis scrutari, vel amicorum benevolentia nancisci. Atque ad hunc laborem alacrius perferendum aliae quoque additae caussae fuere. Praeter enim quam quod Aemilio Jannutio, quem observabat, homini moribus antiquis, neque a litteris imparato, cum Thylesiis vero affinitate conjuncto se gratificaturum existimaret; Academiae Consentinae, quae viris eruditissimis celebrabatur, Thylesiisque dignitatem fere suam acceptam referebat, quod sese inter collegas paullo ante adscripserat, debitas officii partes persolvere statuerat. Ornando enim Thylesio universam Academiam videbatur ornare. Itaque anno CIƆIƆCCLXII typis Simonianis Antonii Thylesii opuscula diligentissime elegantissimeque evulganda, iisque de Thylesii rebus commentarium praeponendum curavit. Quem sane commentarium ubi tu attente perlegeris, dubitabis profecto quidnam, rerumne delectum atque ordinem, an latialis sermonis castimoniam, an judicii in extricanda litteraria illius aevi historia subtilitatem, majori praeconio commendandum putes. Illud certe dubitari minime potest, quin primus ille ingenii foetus non solum apud hujus urbis, sed etiam totius Italiae doctissimos viros magnam Danielio existimationem comparaverit: ex quibus non pauci datis ad eum litteris gratulati maxime sunt, quod juvenis (alterum enim et vicesimum annum ingressus erat) praeclare perfecisset, quod ab homine exspectandum erat corroborata aetate, subactoque judicio. Atque Comes

quidem Mazzuchellius magnas ipsi gratias habiturum epistola sua significavit, quod labore illo tam accurato, magno se labore levasset, quum de Antonio Thylesio agendum sibi esset. Carolus vero Le Beau perpetuus Academiae Parisiensis scriba litteras ad eum dedit humanitatis sparsas sale, et amoris insignes notis, gratiasque et Academicorum, quibus librum legerat, et suo egit nomine pro opera tam bene in edendo aureo illo scriptore collocata.

Interea dum studiis forensibus attineretur ita tamen, ut a musis, amoribus suis, nequaquam divelleretur, ecce tibi e vivis sublatus est Marcus Mundius, qui licet senecta aetate cessisset e vita, nihilo tamen secius magnum omnibus tantae virtutis et doctrinae jactura dolorem attulit: Danielio vero tantum, quantum carissimi obitus magistri discipulo minime mortalium omnium ingrato afferre potuit. Ut autem moerorem animo ex illius desiderio offusum simul aliqua ex parte dispelleret, simul hominis tam egregie de se meriti memoriae consuleret, alio quodam officiorum genere illi parentandum censuit. In hetruscum sermonem verterat Andriam Terentianam Mundius, sed argumento atque oeconomia servata, ad ingenium illam moresque nostros conformaverat: quodque in Andria Menandri Terentius sibi licuisse crediderat, idem sibi in Terentiana licere judicavit: quare nihil illa fieri poterat scitius, nihil elegantius. Ad haec complures pro re nata inscriptiones et epigrammata latine scripserat antiquam illam Romanorum simplicitatem et munditiam redolentia. Ad extremum hetrusca carmina juvenis adhuc, sed senili sapientia respersa, filoque candidissimo contexuerat. Haec omnia, quae ex plerisque illius scriptionibus supererant, domi Danielius custodiebat quavis indica gaza cariora. Hujusmodi opuscula an. cIↄIↄCCLXV formis nitidissimis expressa ad Dominicum Caracciolum Marchionem misit

cum epistola brevi illa quidem, sed pulcherrime elaborata. Verum in praefatione, quam praemittendam duxit, nusquam non se prodit exquisita eruditio, limatum judicium, orationis quidam cultus minime vulgaris. Quam grata et huic urbi, et Italiae haec editio acciderit, quantoque et auctorem honore, et editorem affecerit, possem pluribus heic doctissimorum hominum testimoniis confirmare. Sed instar omnium erit Franciscus Maria Zanottus, qui litteris Bononia ad Danielium scriptis, postquam opuscula et praefationem mirifice collaudasset, *Hetruriam*, inquit, *esse fortunatam, si cum Neapoli hoc tempore de principatu non contendèret.* Qua summi acerrimique harum rerum judicis sententia nihil esse potest nomini neapolitano gloriosius.

Hoc autem labore defunctus, ut erat acer animi impigerque, alio cogitationem, mentemque convertit, remque non minus gratam bonarum litterarum amatoribus sese facturum existimavit. Joannes Baptista Vicus eximia penitioris cujusdam doctrinae laude apud nostros, exterosque nobilitatus, quum eloquentiam in Gymnasio Neapolitano profiteretur, plusculas ex veteri instituto orationes in solemni studiorum instauratione pro munere suo habuerat, easque seorsim in vulgus emiserat. Hae quidem omnium manibus primum tritae, ex oculis deinde, ut in hujusmodi scriptiunculis fieri solet, evanuerant: frustraque ultro citroque cursitando quantivis empturus ex tabernis librariis requireres. Multi interea, exterique cum primis, auctoris, credo, claritate permoti, saepissime expetebant, avebantque fidelibus oculis usurpare. Horum Danielius desiderio facturus satis, eas diligenter conquisitas usitato typorum nitore an. CIƆIƆCCLXVI in lucem prodire jussit. Orationibus autem praefixit epistolam, in qua pluribus de auctoris doctrina disputavit, ad Adeodatum Targianum

Marchionem verbis lectissimis perscriptam, optimisque sententiis illuminatam: unde non minor ad Vicum, quam ad ipsum laus ex communi doctorum hominum sententia dimanavit.

Heic vero, dum forensi et domestica, ut ita dicam, gloria afflueret Danielius, ex tam prospere instituto cursu, miserabili casu peracerboque, velut quadam tempestate subito coorta, abreptus abstractusque fuit. Eodem enim die, eodemque anno, qui fuit Id. Jan. an. CIↃIↃCCLXVI pater, patruusque mortem obierunt. Itaque Sanclementem advolavit suos, quum maxime ipse consolatione egeret, consolaturus, si posset, aut suas cum suorum lacrimis permisturus. Postquam autem is justa parentaliorum patri, patruoque pro pietate sua persolvit, rei domesticae curam paterfamilias repente factus suscepit invitus.

Verum amor ille litterarum, quippe qui a teneris insitus, perpetuaque tot annorum diligentia percultus admodum in ejus animo adoleverat, neque vel lautissimi patrimonii procuratione multiplici atque implicata poterat, quasi aliquo senticeto, opprimi atque intermori. Lectitando igitur magnam diei partem scriptitandoque dulcissime insumebat; ejusque vitae rationem, quam ab urbe rediens paullo sibi insuaviorem futuram dubitaverat, re postea jucundissimam esse intellexit, hominique libero et liberaliter instituto maxime accommodatam. Itaque illa auro contra non cara vatis sapientissimi carmina identidem usurpabat:

Sit mihi quod nunc est etiam minus, et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Dî.
Sit mihi librorum et provisae frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiae spe pendulus horae.

Atque huic diversorio sanclementino referre acceptam debemus cupiditatem illam, qua postea incredibiliter exarsit non mediocri bono rei litterariae. Etenim pagos et urbes circumpositas ex intervallo aut otii, aut negotii caussa adeunti saepe in oculos incurrebant marmora litterata vel abjecta secus viam, vel humi partim defossa: accurrebat ille, legebat, statimque adipiscendi desiderio flagrabat. Itaque cum iis ad quos pertinebant agere, instare, modo gratia, modo pretio auferre, domumque asportare. Quae sane cupiditas nihilo, dum vitam vixit, remissior fuit: eaque de caussa ingentem ejusmodi cipporum numerum confecit: quos inter complures nondum editos, complures ad patrias res spectantes agnoscere licebit. Magna igitur erat Danielii museum apud omnes celebritate: neque mirari quisquam debet, si eruditissimus collega Nicolaus Ignarra in doctissimo illo de Phratriis commentario (1) de eodem admodum magnifice scripserit: *Casertanum* (Danielii) *museum innumeris prope dixerim inscriptionibus, signis, toreumatis, gemmisque locupletissimum. Utinam D. O. M. diuturnam huic Cl. V. vitam otiumque largiatur, uti tot venerandae antiquitatis reliquias ingenti labore atque aere collectas a se pro sua eruditione illustratas cum orbe litterario communicet.* Hae tamen opes ne distraherentur illo demortuo, non levis erat doctorum hominum timor, qui parvulis saepe mercedulis praeclara nobis ab exteris monumenta erepta doluerunt. Sed Donati Thomasii Marchionis Ferdinandi Regis a secretis, atque a sanctioribus Justitiae, Clementiae, reique Ecclesiasticae consiliis vigilantia hoc nos metu liberavit: is enim, quo in patriam est litterasque amore admirabili, Regi auctor fuit,

(1) Pag. 153, adn. 4.

ut omnia ab herede coemenda, et in museum regium inferenda mandaret. Quare Danielii memoriae non inglorium erit, suo unius studio factum, ne museum regium, quod tanta tot insignium cimeliorum multitudine et raritate reliqua omnia antecederet, lapidum inscriptorum copia superaretur.

Sed hoc pretiosa antiquitatis monumenta conquirendi studium animi magno bonarum musarum amore incensi signum videri queat. Ille vero ingenii a musis ipsis enutriti, excultique fructus pulcherrimus existimari debet in eodem otio Sanclementino natus, illa, inquam, de Furcis Caudinis commentatio, ex qua Danielio ingens quaesita gloriae materies fuit. Forte enim fortuna Arpadium nescio qua de re perrecturus, quum vallem, quae ad oppidum ducit, ingrederetur, tum in cavam sese rupem demitteret, deinde in campum parvo interjecto spatio satis patentem veniret, extremam denique vallem iterum sub exitu perinde atque in ingressu se coarctantem reperiret, universamque continuis montium hinc illincque impendentium jugis subjectam conspicaretur; illico ignominiosae cladis illius recordatione perculsus est, qua Samnites legiones Romanas C. Pontio duce affecerunt. Itaque nihil eo die longius visum est, quam se domum recipere, atque historicos, qui res Romanas conscripserunt, evolutare, quaeque illi memoriae ea de re prodidere cum iis, quae sibi iter per vallem arpadiensem agenti jam oblata ante oculos fuerant, accurate comparare. Quibus iterum saepiusque perlectis, et diligenter consideratis, sibi plane persuasit, non Montis Sartii, sed Arpadii vallem fuisse, ubi, Romanorum fracta superbia, milites ducesque missi sub jugum fuere, contra atque Cluverius et Holstenius magni nominis geographi, deque Italia antiqua optime meriti censuerunt. Atque, ut quod sibi persuasum erat,

eruditis hominibus persuaderet, dissertationem de Furcis Caudinis scribere decrevit.

Per idem sane tempus Comes Wilzeckius Josephi II Imperatoris apud Regem nostrum erat legatus, clarissimus cum prosapiae nobilitate, munerumque domi forisque gestorum gloria, tum vero complurium disciplinarum gustu quodam subtili atque eleganti, eximiaque in doctos homines voluntate. Is Casertam non infrequens veniebat, neque ibidem diversabatur invitus: ac Danielium, cujus mores et ingenium probaverat, cum primis diligebat, ejusque consuetudine, et sermone familiari maxime ducebatur. Ergo apud Comitem amplissimum noster quod pridie ejus diei sibi pedem in vallem arpadiensem inferenti acciderat narravit vesperi in lectorum hominum, qui illum honoris, aut amicitiae caussa adibant, congressu: quae narratio et vi quadam animata, et mira suavitate condita eo deduxit Wilzeckium, ut praesens, ubi dies illucesceret, vallem oculis lustrare constituerit, Danielio quidem duce, comite vero Horatio Cappellio nunc Marchione, et Ferdinandi Regis a Secretis, Domoque Augusta, qui magna virtute, multisque litteris apprime ornatus cum utroque dulcissimo amoris vinculo conjungebatur. Quam in rem, ut id obiter dicam, hetruscum carmen veteri illa majorum elegantia, et virili sane ornatu Cappellius exaravit ab Danielio extrema dissertatione excusum. Itaque vix vallem subiere, quum singula, quae narraverat, digito monstrare Danielius, explicare, variisque, prout rogabatur, rationibus confirmare. Heic Comes vallis ingenium, fauces qua adiretur, quaque exiretur angustas, celeriter, ut se illuc Romanus immiserat, occludendas ab hoste atque obsepiendas, continuos montes in magnam altitudinem erectos et utrimque superimpositos, omnia denique ad fraudem struendam peropportuna

quum iterum perdiligenter atque iterum contueretur, Danielio instare, urgere, ut scriptionem maturaret, spondere demum se collaturum symbolam, de suo scilicet curaturum, ut qua fieri majori posset magnificentia opus illud ederetur. Haec hominis nobilissimi amicissimique cohortatio currenti addidit calcaria, ut viris ille, quod ajunt, equisque ad pertexendam dissertationem, quae Furcae Caudinae inscripta fuit, incubuerit.

At jam inde ab ejus rei exordio duplicem sibi laborem subeundum esse prospexit, Cluverii primo sententiam evertere, deinde suam constabilire. Quod quo facilius adsequeretur, illud ad rem maxime fore existimavit, pervestigare nimirum undenam consules Lucerinis acerrime oppugnatis (qui rumor Samnitium fraude a militibus pastorum habitu dimissis per loca circa castra dispersus permanarat ad Romanos, fidemque apud duces invenerat) opem laturi castra movissent. Calatia, inquit, quemadmodum historici prodidere, Cluverius. Recte quidem: at magnus vir duplicem id temporis stetisse Calatiam ignoravit: alteram cis Volturnum, trans Volturnum alteram: quod Danielius, praecisa omni dubitatione, probat et veterum scriptorum, et Tabulae Peutingerianae auctoritate. Non igitur transfluviali, quod Cluverius animum induxerat, sed cisfluviali Calatia, quae a Livio, quod alteri illi magnitudine, opibusque cederet, *Castellum Calatia*, a Silio *parvis Calatia muris* appellatur, Romanae profectae sunt copiae, atque inde magnis itineribus per Appiae viae limitem ab eodem Danielio detectum properantes recta in Arpadii vallem, atque adeo in insidias a Samnite instructas sese conjecere. Quod quidem iter quantum militi festinanti (rem enim lucerinam in arcto positam esse jam crediderat) commodaret, pluribus disputat noster: rursus vero quam devia Montis Sartii vallis esset, quantum viae

dispendium agmini romano afferret ibidem ostendit. Adhaec edisserit quam eadem, amplitudine ipsa, a parandis insidiis foret aliena, quot effugiis pateret, quantasque praeberet evadendi audaci strenuoque militi opportunitates. Postremo ne fraudi sibi foret, a sententiaque sua quempiam abduceret, quod nonnulli dictitabant, Arpadii vallem angustiorem esse pro eo quod duo exercitus consulares capere posset; ipse quot tum milites, subductis, qui castra et impedimenta tuerentur, sub signis consules habere ad summum potuerit, tam accurate colligit, ut nemo, qui primoribus, quod dicitur, labris veterem Romanorum militiam degustaverit, sit dubitaturus initas per illum rationes optime ipsa cum re convenire. Dimensa vero quaquaversus valle, adsignatoque cuique militum loco, quantum periti rei militaris duces militi vel in acie, vel in agmine praefinire solent, satis superque demonstrat arpadiensem vallem non modo copiam a consulibus ductam, sed multo etiam numerosiorem accipere potuisse. Quae universa tam paucis a me perstricta eo sunt argumentorum robore ab illo explicata, eaque luce perfusa, ut tantum non locus ipse vocem mittere et clamare videatur, se omnino caudinam esse vallem, se imperatores Romanos paludamentis, milites armis sagisque exutos vidisse, se gemitum audivisse indignantium, quod non virtute victi, sed fraude capti sub jugum ire ab hoste ferociente juberentur.

Ante vero quam a caudina valle discederet Danielius, multum eo curae impendit operaeque, ut ubi Caudium, ubi Cocceji villa, Caudiique cauponae ab Horatio memoratae positae essent, anquireret, illustraretque complura monumenta, quae iisdem ex locis prodiere, atque ad res illas explanandas, et ad gentem Pontiam celebrandam, unde dux ille Samnitium fuit insidiarum architectus, spectare videbantur.

Ubi autem quidquid ad Furcas Caudinas facere cognoverat serie pulcherrima dispositum, singularique diligentia edolatum fuit, nec quidquam praetermissum, quin cuncta eruditione et dictione nitescerent, Comes Wilzeckius promissi fidem liberaturus opus typis excudendum, et quinque tabulas aere incidendas anno CIↃIↃCCLXXVIII ita curavit, nihil ut fieri posset magnificentius.

Quodnam vero fuerit de hujusmodi opere doctorum hominum judicium, nihil est, quod ego pluribus heic persequar: satis enim, me tacente, praedicarunt litterariae tum Italorum, tum exterorum temporis illius ephemerides. Illud tamen praeterire tacitus nullo modo possum, quod Marchio Alamannius Academiae Florentinae scriba perpetuus Danielio per litteras significavit, quum nimirum uno alteroque in academico conventu lucubrationem illam perlegisset, tantam et praestantia rerum et verborum elegantia apud academicos universos excitatam esse admirationem, ut de communi sententia ipsum in collegarum numerum cooptaverint. Qui honos etsi ad unum Danielium delatus a doctissimis illis viris fuit, mihi tamen videtur non sine communi omnium Neapolitanorum laude fuisse delatus.

At Danielio non diu licuit esse in sanclementino suo tam beato. Dominicus enim Caracciolus Marchio Ferdinandi Regis a secretis, consiliisque rerum exterarum, vir insigni ingenii, sapientiae, et obitarum legationum laude clarissimus, cui illius virtus et doctrina satis et ex editis scriptionibus, et ex familiari consuetudine cognita erat, illum in scriniis regiis militatum accire statuit. Quae res ab Horatio Cappellio Marchione acta tota fuit atque transacta. Quanta autem illius in munere obeundo eluxerit fides, dexteritas, abstinentia cum omnium perpetua, quae hac in re plurimum valet, praedicatio, tum vero Ca-

raccioli ipsius, et Caroli Demarchi Regis a Secretis, et a Justitiae, Clementiaeque consiliis, gravissimi sanctissimique hominis, cui praesto deinceps fuit, benevolentia plurimis ad obitum usque argumentis testata declaravit. Sed haec fortasse non ita propria hominis nostri laus est, ut cum altero communicari nequeat: illa vero nescio an socium possit invenire, gratia nimirum, qua apud tantos viros pollebat, ad amicorum subsidium unice usum esse: atque illorum praesertim, quos disciplinis, artibusque elegantioribus deditos, quum eximia ingenii vi multo longius progredi possent; arcta tamen domi res tanquam rupes aditu, adscensuque impervia morabatur. Atque permulti ex his vel in beneficiis ad aerarium ipsius opera delati, vel aliquo munere aucti, ubi e domesticae sese rei difficultatibus explicuissent, iter ad gloriam, atque ad laetiorem saepe fortunam sibi patefecerunt. Quod fingi non potest quanta illum laetitia cumularet: siquidem eo non solum humanitate ducebatur, sed singulari etiam patriae caritate: cui tanto illustrius additum iri decus rebatur, quanto doctorum hominum major esset, artificumque numerus, quorum ingenio, penicillo, aut scalpro, aut viriculo domi forisque nobilitaretur industria. Ac si cui tempus illud repetere memoria libuerit, inficiaturus, credo, non erit, quum is partim aemulationis stimulis apposite admotis homines acueret, partim praemiis per summos administros, ut modo dictum a nobis est, a Rege munificentissimo exoratis incitaret, artes illas ita illustratas fuisse per nostros atque amplificatas, cultissimis ut Europae nationibus nequaquam invideremus.

Interea plurimum ipse laboris in concinnando Codice Fridericiano exhausit. Leges enim omnes collegerat, quas Fridericus II Imperator et Neapolitanus, Siculusque Rex egregie de utraque gente meritus tulit, annorumque serie

ordinatas in hominum conspectum proferre cogitaverat. Quo vero gratior accideret labor ille suus et fructuosior, multa, ubi sese obtulit occasio, de jure publico, multa de privato, multa denique de aetatis illius moribus, atque institutis docte copioseque disseruit. Ante vero quam Codex vulgaretur, Rex providentissimus jussit VII viros Camerae, quod ajebant, Regalis, rem omnem serio expendere, quodque de ea videretur, ad sese referre. Sapientes illi senes omnibus ad examen diligentissime revocatis, retulere, dignam rem esse homine disciplinis interioribus expolito, dignam publicae lucis usura: cohortandum hominem, ne diutius Codex eo instructus ornatu juris amatoribus deberetur. Qua profecto commendatione Rex permotus, ut suae in eum indulgentiae argumentum proderet, Danielium Historiographum Regium renuntiavit; quem ante ipsum locum tenuere Joannes Baptista Vicus, et Josephus Assemanius.

Heic autem si requirat a me quispiam, quid fuerit caussae, cur Codex tanta elaboratus cura, tantoque opere collaudatus neque id temporis, neque postea lucem adspexerit; nihil equidem, quod respondeam, habeo explorati. Illud autem, quod mihi veri admodum simile videtur, breviter hoc loco exponam. Vix Fridericianus Codex fuit absolutus, quum Danielius ad historiam Suevo-Siculam conscribendam manum admovit: ubi praesertim Friderici II vitam, resque gestas fuse fideliterque enarraret, imperatorisque illius memoriam injustis saepe vel errore, vel odio inustam notis, quum veritas posceret, ab injuriis vindicaret. Qua in provincia ornanda dura sane ac salebrosa, non modo scriptores illius aetatis sibi evolvendos, sed Italiae quoque et Germaniae tabularia, doctorum amicorum opera, perlustranda esse duxit, ut quidquid monumentorum ad Fridericum pertinentium in

illis conderetur per se ipse cognosceret, quodque ex usu fore existimaret, deligeret atque seponeret. Quibus e monumentis pedetentim singula cogitateque ruspanti multa sese obtulere omnibus Italis Germanisque scriptoribus incognita, quae plurimum historiae Fridericianae lumen adspergerent, multorumque arguerent historicorum negligentiam. Haec autem universa sibi comparare; quae obsita tenebris erant, bono in lumine, dispulsa caligine, collocare; interturbatam temporum rationem componere; dissidentes inter se auctores conciliare; omnia denique, perinde atque rerum dignitas postulabat, describere, diuturni et improbi cujusdam laboris opus erat, complurium vigiliarum, sumptus non mediocris, animi demum pacati otioque abundantis. De qua postrema re idem ipse conqueritur in opere, de quo mox nobis erit sermo, doletque fortunae iniquitatem morae sibi atque impedimento fore, quominus quod promiserat, maximeque avebat ad umbilicum perduceret. Quibus ego rebus in eam adductus opinionem sum, Danielium, donec historiam contexeret, domi codicem continuisse eo certe consilio, ne solus, sed libris de vita rebusque Friderici, veluti comitibus honestatus, in publicum procederet. At quum aliae, ut fit, ex aliis subsilientes curae diutius rem distulissent, illuc tandem pessimo publico ventum est, ut et codice et historia careremus.

Verum ad Danielii res quo institueramus ordine expediendas revertamur. Magnus erat Danielio cum plerisque nostrae civitatis patriciis usus; maximus vero cum Antonio Caraphaeo Nojae Duce. Is avita gentis suae gloria minime contentus (ignavi enim hominis esse ajebat aliena velle luce clarescere) omnes animi nervos illuc contendit, laude ut propria celebraretur ac sua. Itaque cum litterarum bonarum disciplinis mathematum et physico-

rum studia conjunxit, atque ita persequutus est, quasi omnis inde rerum suarum ratio penderet. Quapropter Opticen in Gymnasio neapolitano publice docuit ingenti cum plausu, et domi museum opulentissimum comparavit, ubi et nostrates et exteri non modo numismata rariora, sed ingentem vim praestantium monumentorum admirabantur. Museum cum primis invisere frequens solebat Danielius, animumque discendi cupiditate incensum, contemplandis tot monumentis, multiplici rerum cognitione imbuere; quum Dux agere cum eo coepit, ut cimelia illa aeneis tabulis effingenda, et brevibus animadversionibus explicanda curaret. Cui sane rei perficiendae nullam noster moram interjecit, brevique XL tabulae expressae, et illustratae singulae perbrevi commentatione fuere. Atque ne ejusmodi cura longius protraheretur, Ducis clarissimi mors vetuit bonis omnibus luctuosa. Nihilo tamen secius Danielii opera XL illae tabulae anno CIↃIↃCCLXXVIII in lucem prodierunt, quibus amplissimi viri elogium praefixit latiali sermone elegantissime perscriptum, italico autem perbreves illas commentationes suas. Heic autem cum brevitate (quam, ut ab omnibus deametur, tamen ab hujus aetatis philologicis scriptionibus exulare dolemus), cum brevitate, inquam, certare miraberis eruditionis copiam non ubivis propositae, sed e recondito antiquitatis penu depromptae. Qui liber nos omnino (pauca enim admodum edita fuere exemplaria) fugisset, nisi Francisci Carellii equitis, et scribae Academiae Herculanensis perpetui humanitate e lectissima bibliotheca sua facta nobis esset inspiciundi copia.

In cathedrali quidem Ecclesia Panormitana sepulcra visebantur Regum Siculorum materia, opere, sculptisque imaginibus insignia, quae exterorum ad Siciliam, perlustrandae beatae illius insulae, appellentium oculos ad se-

se convertebant. Plerique autem dictitare, rem neque inutilem futuram neque injucundam, si quis praestanti vir ingenio sepulcra illa, squalore deterso, ornaret opportuno commentario, ne diutius illuc adeuntibus crucem figerent. Hoc subire onus Danielius voluit, atque iis, qui harum rerum gustu tenerentur, de hominum nostrorum incuria expostulandi caussam praecidere. Ne vero quidquam operi, quod animo conceperat, deesse argueretur, Panormum adnavigare, et in rem praesentem venire decrevit. Quo quum pervenisset, monumenta saepissime intervisens, saepissime intenta oculorum mentisque acie contemplatus nihil curae sollertiaeque suae posthabuit, quo minus maxima, quoad ejus fieri potuit, accuratione sepulcra, singulaeque illorum partes vel parvulae, aere inciderentur. Apertis vero monumentis perquam difficile dictu est, quanta posita fuerit diligentia, ne qua res honestandis, quum composita fuere, principum cadaveribus adhibita, se omnia circumspicientem, seduloque perpendentem fugeret atque praeteriret. Igitur coronae, diademata, annuli, gemmae, chirothecae, balthei, enses, vestes, calcei, quidquid denique insignium, atque ornamentorum conditum ibidem fuerat, descripta singillatim fuere, atque aeneis tabulis expressa. Haec porro omnia perattente inspicienti cufici quidam characteres in Henrici VI corona, in gemma diadematis Constantiae II, atque in manicis albae Friderici II sese prodidere: quos ille describendos studiose, et aere exprimendos curavit. Tum eruditissimum Turrismuttiae Principem pro amicitia rogavit, ne inscriptiones illas ad virum clarissimum Murrium Norimbergam mittere gravaretur: quam ille rem, qua erat humanitate, in sese e vestigio recepit. Murrius vero, nulla interposita mora cum Tycksenio, qui Butzowii linguas orientales in Academia Fridericiana magna

cum laude profitebatur, communicavit. Hic autem non multa post intercapedine humanissimas ad Principem dedit litteras, adscripsitque inscriptionum ad se missarum interpretationem, et vicissim ab eo efflagitavit, ne quidquid hujusmodi rerum in Sicilia prostaret, ab eoque collectum esset, vel posthac in apricum proferretur, ad se eximio Arabo-Sicularum antiquitatum studio inflammatum mittere dedignaretur. Hac tam uberi segete collecta et ad scribendum copiosa, Neapolim Danielius cogitabat, quum Fratrum Augustinianorum templum ingressus Onuphrii Panvinii viri doctissimi, qui, florente adhuc aetate, Panormi praematuro fato raptus fuit, sepulcrum requirebat. Aegerrime autem tulit virum tantum, qui Italiam universam tot ingenii monumentis ornaverat, ne titulo quidem ornari teste cinerum in pace conditorum. Quamobrem antequam e Sicilia solveret, Panvinio monumentum de suo posuit. Quod satis declaravit, quo ille in viros doctrina insignes animo foret, quantaque eosdem, non solum dum viverent, sed etiam vita functos benevolentia prosequeretur. Huc et illa caussa accedebat, quod turpe hominibus nostris existimaret, si magnus ille vir, quem longe ab se gentium extinctum Romani titulo statuaque donaverant, apud nos sine ulla honoris significatione, ac pene oblitus jaceret.

Jam vero Danielius Neapolim reversus in ea sparta, quam sibi instruendam delegerat, mentem defixit; operaque non instrenua usus anno post altero Rogerii I, Henrici VI Imperatoris, Constantiae Northmannae Imperatricis, alteriusque Imperatricis Constantiae Aragoniae, et Friderici II Imperatoris sepulcra satis pro rerum dignitate illustravit: quae anno CIƆIƆCCLXXXIV e Typographeo regio usitato chartae, typorumque splendore in publicum evaserunt Regi, Reginaeque AA. inscripta, epistola

sane quam docta atque eleganti. Quisquis autem opus illud percurrerit, is facile intelliget quanta Danielius abundaverit reconditarum doctrinarum cognitione. Quam enim multa illic inveniet, quae ad summi, mediique aevi antiquitates, quae ad illorum saeculorum historiam, quae ad rationes temporum, quae ad artes pertinebant, quas dum ex universa Italia barbaries exegerat, in Sicilia sub laetissimis Regum illorum auspiciis Arabes-Siculi exercebant. Attamen non queo satis explicare quo mentis acumine, qua subtilitate judicii, quo eruditionis delectu cuncta pervestiget, pervestigata difficultatibus extricet, extricata illustret, illustrata florida ubique dicendi forma persequatur. Quae quidem omnia quo majorem legenti fructum afferunt et delectationem, eo fuerunt quaerenti expedientique salebrosiora. Nemo igitur mirari debet, si liber is incredibili ubique plausu exceptus magnum nomini illius gloriae incrementum attulerit. Ac Germani cum primis, quoniam plurima minimeque vulgaria ibidem de imperatoriis Henrici et Friderici ornamentis disputata sunt, maximo in pretio habent, studentque adhuc sibi quantacumque impensa comparare.

At enim aliquot ante annos inter Herculanenses socios fuit Danielius adlectus, pluresque pro academico penso lucubrationes scripsit non ineruditas, quibus affunderetur lux cimeliis, quae ex Herculani, Stabiarum, Pompejorumque sinu regia munificentia in dies effossa vitam iterum, post tot saeculorum lapsum, hauriebant, et doctas academicorum manus opperiri videbantur, ut nitori pristino, elutis sordibus, restituerentur. Verum academia ipsa, ne paulatim, sociis vel fato extinctis, vel muneribus (lata enim ipsis ad honores patebat via) alio avocatis, defloresceret, nonnulli pertimuerant. Eodem Paschalis Carcani accessit mors scribae academiae perpetui, immorta-

lisque memoriae viri, qui ingentes ad obitum usque labores in Herculanensium voluminum editione devorarat. Quare Ferdinandus Rex, ne Neapolitanorum gloria imminueretur, gazaeque illae pretiosae tanta impensa e terrae visceribus erutae iterum, neglectu hominum, oblivione sepelirentur, mandavit, ut novis collegis suppleretur Academia, scribamque perpetuum Danielium creavit. Is igitur, ut honori simul onerique tanto satis, quantum in ipso esset, faceret, neque Academia ex gloriae possessione, quam usu jam ceperat, dejiceretur, illuc omnes ingenii nervos contendit, nihilque praetermisit diligentiae sollertiaeque suae, quo secius Academiae, nominisque neapolitani decus sartum omni ex parte tectumque servaret in iis voluminibus, quae post id temporis e praelis ejus studio emissa in eruditorum manus venere.

Jam vero fatalis illa tempestas ex transalpinis excita regionibus, quae Italiae diu impendere videbatur, tandem in pulcherrimas ejus provincias effusa est, regnumque neapolitanum inundavit. Hoc quidem tempore ab omni se munere abstinuit Danielius, domique abditus in musarum complexu conquievit. Hujus autem ut otii domestici constaret ratio, ad numismata, quae seposita habebat, campana illustranda sese contulit. Mirabantur certe hujusmodi deliciarum studiosi, qui fieret, ut dum non pauci ex parvis quoque Campaniae urbibus nummi vel aurei, vel argentei, vel aerei eruditorum manibus jamdiu tererentur, nullusdum ex Capuae urbis opulentissimae territorio prosiluisset in lucem, hominumque in conspectum sese dedisset. Goltzius quidem, Mayerius, Parisius, aliique veterum numismatum collectores aliquot campanos nummos recensuerant, effingendosque curaverant. At doctis jam hominibus illos adulterinos esse suboluerat, planeque respuerant. Attamen Maffejus primus

purum putumque Capuae nummum in Verona illustrata protulit litteris Oscis inscriptum dextera sinistrorsum ductis: ac licet illorum lectio diu ipsius torsisset ingenium, divinare tamen non potuit in quanam urbis moneta procusus foret. Ab Oliverio deinde lectus fuit, Capuaeque adsignatus. Mazochius porro in Dissertationibus Thyrrenicis XI uno eodemque tempore in medium attulit: sed omni explicatione abstinuit, quandoquidem rerum ibi tractandarum ratio aliorsum trahebat: quod postea facere Guarnaccius in Originibus Italicis aggressus est. Ab Eckelio demum an. CIƆIƆCCLXXV alius ejusdem urbis nummus prolatus est. Itaque ad id usque temporis XII nummi campani ab eruditis conspecti numerabantur. Danielius vero habuit hac in re fortunam adeo sibi obsecundantem, ut non solum omnes, qui superioribus annis e terra erupe- rant, comparaverit; sed etiam sex omnibus incognitos, et quatuor praeterea notos quidem, sed typis diversos fuerit adeptus pulcherrima forma excusos, integreque servatos. Itaque XXII campana penes se numismata habebat: quae summo artificio incisa, non mediocri doctrina atque eruditione illustravit. Atque his de Jovis, Dianae, Herculisque apud Campanos cultu lucubrationem adtexuit, perlustravitque omnem fere illorum regionem, quo verisimiliori conjectura posset ubinam locorum Diis illis templa forent excitata commonstrare. Exscripsit postremo Mazochii in Marmor pagi Herculanei doctum sane commentarium, ut chartis suis aliqua, ut ipse inquiebat, lux ex aurea illa summi viri commentatione, atque honor adjiceretur. Librum autem hac ratione adornatum an. CIƆIƆCCCII splendide, solemni illo more suo, excudendum curavit. Quantam quidem ab eruditis gratiam, hac nummorum copia oblata, inierit, palam est universis. Lubet tamen hoc loco Morellii epistolam Venetiis ad ipsum

datam commemorare: namque *ei se*, inquit, *numismatum campanorum librum gratulari tam egregie expolitum: satis illo homines admoneri a manu peritissima profectum: omnia ad rem esse, omnia sapienter sobrieque disputata: quod raro solere in hujusmodi libris usuvenire.*

Vix Thylesii opuscula edita in lucem fuerunt, Italiamque peragrare coeperunt, quum docti homines et carmina illius auctoris non pauca, et epistolas, quae diligentiam editoris fugerant, alii aliunde submisere. Ea in forulis condiderat Danielius, sicubi res tempusque ferret, ut aliquandò posset praelo subjicere, et in vulgus efferre. Commodum autem Consentia Aloysius Thylesius venit presbyter oratorianus latinis, graecis, hebraicisque litteris admodum ornatus, atque ad Danielium itare domum coepit, eoque uti familiariter. Quumque de Antonio gentili suo mentio esset injecta, is quasdam illius scriptiunculas, quas domo attulerat, Danielio impertitus est, neque orare illum ante destitit, quam exoraret, ut omnia, quae supererant, carmina epistolaeque typis ederentur. Morem ei gessit Danielius, Thylesii vitam tot ante annis ab se conscriptam retractavit, multisque eam locis fecit auctiorem: quibus absolutis, epistolaque ad Morellium, qui multa ex Bibliothecae Venetae codice subministraverat, scripta, adjectaque praefatione an. cıɔıɔcccvııı ex Typographeo Regio Antonii Thylesii carmina et epistolae lucem adspexere.

Anno autem proximò superiore Academia Herculanensis quasi ab interitu revocata fuit, immutatoque nomine Historiae, et Antiquitatum Academia vocitata: ejusque scriba perpetuus declaratus Danielius. Statim ille tabulas, quae Templi Isiaci Pompejis detecti formam, imaginesque parietibus depictas prae se ferebant, aere jam expressas collegit,

quae deerant exprimendas curavit, collegisque dispertitus est, ut omnium studio illuc conspirante volumen conficeretur, quo templum atque picturae idoneo cultu ornatae proponerentur oculis eruditorum. At strenuam, ut optabat, ei rei navare operam nequivit: valetudo enim, qua prospera usus antea fuerat, tentari morbo identidem graviore videbatur. Itaque ex renibus laborare, atque doloribus acerbissimis afflictari coepit, ut non semel ad extremum vitae discrimen fuerit adductus. Nihilo tamen minus, ne muneri omnino deesset suo, affecta quoque valetudine, dissertationem ad Isiaci templi architectonicen pertinentem sibi exarandam suscepit: cujus partes aliquot semel in consessu academico iterumque legit; sed quo minus confectam conspiceremus, mors, ut mox dicendum nobis erit, intervenit.

Atque ecce ad eum annum devenimus, qui laboris et vitae finem attulit Danielio. Furcae quidem Caudinae a multis saepissime expetebantur, maximeque ab exteris eruditis: at apud nostros invenire negotium erat sane perdifficile. Qua de caussa in illo, quod commemoravimus, otio liber ab eo recognitus curis secundis, iisque, quod ajunt, sapientioribus est, et qua refingendo, qua addendo ita multis partibus factus est locupletior, ut alius prope ab eo, qui editus antea fuit, esse videretur: annoq. cIↄIↄcccxII ex Angeli Trani officina ea, qua nihil cogitari potest splendidius, typorum, chartaeque magnificentia, in publicum emissus est.

At caudina haec vallis Danielio fuit ominosa. Nam anno ante xxxiv, quum prima illius commentatio absoluta fuit, gravissima oppressus valetudine parum a mortis limine abesse credebatur. Sensim autem, posita morbi violentia, convaluit maxima amicorum laetitia. Neque heic imperare mihi possum, quin perlepidum epigramma com-

memorem, quod ille sanitati redditus in pago, qui a caudinis furculis nomen traxisse fertur, ludibundus arboris cortici inscripsit:

GENIO LOCI
ET MVSIS BENE ADVOCATIS
QVOD MORTIS PERICVLVM IN VALLE CAVDINA
FELICITER EVASERIT
THEOCRITVS
DE PVRO CESPITE ARAM
NON SINE FLORVM SPARSIONE
ET LIBAMENTIS.

Hoc vero me epigramma admonet, ne silentio praetergrediar, Danielium permagnum illorum numerum exarasse, quae privatis, aut publicis operibus, aut amicorum tumulis insculperentur, nec levem sibi in eo scribendi genere laudem quaesivisse. Hinc Ferdinandus Rex indictis an. CIƆIƆCCCV Sanleucii nundinis celeberrimis, quum imperasset, ut ad Divae Mariae Gratiarum, cujus lux sacra agebatur, titulus pro foribus poneretur, allatusque ad ipsum esset a nescio quo conceptus, statim repudiavit; Mirandaeque Ducem jussit Danielium adire satis in hisce litterarum bonarum lautitiis spectatum, ab eo melioris notae inscriptionem habiturum. Quae profecto inscriptio et Regi sese et eruditis plurimum commendavit.

At mortis periculum, quod priori operis illius editione evasit, post alteram vitare non potuit, quanquam viribus erat admodum debilitatis vi morbi parvis ex intervallis acrius ingruentis. Sed paullulum relevari coepit, statuitque Sanclementem extremo septembri proficisci, illa adductus spe, quod purioris caeli spiritus, natalisque soli salubritas attritae valetudini posset adjumenti aliquid afferre. Neque primo spes fefellit: meliuscule enim habere videbatur, et ad amicos se novembri ineunte ad urbem

scribebat rediturum. Dum autem ille exspectabatur, nuncium allatum tristissimum est, prid. id. mensis ipsius morbum tanto in eum impetu ex improviso incubuisse, ut perbrevi unius diei spatio, an. aetatis LXXIII nondum exacto, absumpserit incredibili luctu amicorum.

Hactenus vitae Danielii curriculum emensi sumus, vitae, inquam, studiis deditae et litteraria gloria circumfluentis. Quanquam plusculas ejusdem lucubrationes praeterii, quae, ut eadem ex officina profectae, non minus eruditis se probavere: Epistolas adversus Simeonium de vera Casertae origine: Amores Daphnidis et Chloes a Longo Sophista descriptos, ab Annibale Caro, cujus rarissimum possidebat codicem manu scriptum, e graeco in hetruscum sermonem conversos cum praefatione studiose elaborata typis Bodonianis excusos: De vita studiisque Francisci de Petris ICti aetatis suae non ignobilis commentarium, qui chronologiam gentis Caracciolae praeit ab illo elucubratam. Neque eos commemoravi litterarios labores, quos saepe affirmavit, scriptoque etiam tradidit se paratos habere, atque in lucem emissurum, si fors fortuna aliquando adspirasset: Disquisitionem historicam, diplomaticam et juridicam de feudali Casertae statu: Vitam Camilli Peregrinii minoris, et opuscula: Epistolas Petri de Vineis ab adulterinis perpurgatas, ornatasque adnotationibus: Veteris Capuae urbis descriptionem vetustis monumentis illustratam. Quae profecto satis perspicuo sunt documento, illum quidquid a rebus gerendis superesset temporis ad doctrinarum studia sine intermissione retulisse. Mirandum igitur minime est, si ingenii fama assidua exercitatione diuturnaque perfecti Italiae fines egressa, per cultiores Europae nationes pervagata effecerit, ut non paucae doctorum hominum societates, quemadmodum Florentinam fecisse supra monuimus, ipsum magna ho-

noris significatione, Petropolitanae et Londinensis exemplum sequutae, cooptarint, et Magnus Equitum Hierosolymitariorum Magister, Ordinis sui, Paciaudio e vivis sublato, historiographum renunciaverit. Ab eaque nominis celebritate etiam fuit, quod nemo Neapolim ex doctis illis hominibus veniret, quin Danielium inviseret, ac sibi ingenii morumque delectatus elegantia, dulci amicitiae vinculo devinciret. Exinde autem plerique litteras ad eum missitare non destiterunt; plerique in libris suis meritis ipsum laudibus affecerunt. Quos quidem si vellem heic adscribere universos, et quasi decurias proponere, utraque mihi esset pagina implenda. Quare satis crediderim fore, si receperim, qui hujusmodi epistolas colligeret, ederetque in lucem, eum molis non exiguae volumen confecturum. Porro Cajetanus Marinius vir doctissimus, qui mihi instar omnium erit, multa multis Papyrorum suarum locis de illo praedicavit, multaque testatus est sibi subministrata fuisse adjumenta ad eas, quae in manibus erant, res enucleandas perapposita.

Atque hactenus Danielium, ut dicere coeperamus, litteraria gloria florentem contemplati sumus; jam christiana civilique virtute ornatum tantisper intueamur. Profecto, quam a prima adolescentia combiberat, religionem ad extremam vitam magno studio complexus est, nulloque prae se tempore non tulit: itaque singularis erat illius in Deum, et in Servatorem nostrum pietas. Atque etsi ab anili superstitione aberat, nunquam tamen a sanctissimis Ecclesiae legibus discedendum sibi putavit. Indidem vero ceterae fluxere virtutes illae, quibus ejus vita enituit: in primisque eximia quaedam misericordia in calamitosos, quorum nemo ad ipsum accessit, cui non opitularetur. Atque ita aliquando prolixus in quosdam fuit, admodum ut sibi parcus esse, attentusque cogeretur.

Porro in amicitia colenda affirmare equidem ausim neminem reperiri, qui possit cum eo comparari. Illos enim, quos doctrinae secum, aut virtutum similitudo implicuerat, omnibus amoris argumentis prosequebatur: neque poterat eam conjunctionem res ulla incidere, vel dissuere: vereque ejus amicitiae, contra atque doctus quidam e Graecia vir suadere videbatur, erant immortales: deque illo praedicari potest, domum, quae adolescentiae patuit, fuisse familiarissimam senectuti. Quod difficillimis maxime temporibus patefactum est: quum enim plerique omnes vel levi proposito metu dilaberentur, ille nullo periculo deterritus est, quominus amicos graviori fortuna perculsos sublevaret. Ac rogandi etiam non raro molestia, quae modestissimo cuique gravissima est, liberavit: cognito enim quid opus illis ususque foret, ultro operam detulit suam, nec labore defatigari, nec prohiberi incommodo, nec denique, nisi perfecta re, potuit conquiescere.

Nullius vero gloriae obtrectatus unquam est, ut in alteram potius peccaret partem: neque laudis, ut Graeci olim fuisse perhibentur, avarus fuit, sed profusior: quod eam ob caussam faciebat perlibenter, quod laudem diceret a paucis animo bene a natura informato persolutam, si quidem inter invidorum strepitum exaudiri posset, veluti laborum mercedem saepe manere homines, quorum vita ferme tota in rerum cognitione versata esset.

In familiari congressu comis erat, dulcisque oratio et attico lepore adspersa. Ac si quando commotior videretur, non in homines, sed in hominum perperam facta, aut male sanas opiniones irascebatur: tum vero maxime, quum insignes viros, omnisque doctrinae duces et antesignanos a minutis quibusdam hominibus male accipi intelligeret. Quoniam vero memoria, ut praediximus, va-

leret plurimum, et nemo esset patriae historiae peritior, nihil ab eo exposceres, quod non erudito sermone jucundoque expediret; quare ab eo nunquam, nisi humana quadam voluptate perfusus doctiorque discederes. Ea de re factum, ut maximum ille vita perfunctus non litterarum modo et doctrinae, sed humanitatis etiam et urbanitatis suae desiderium reliquerit.

Atque huc usque Francisci Danielii effigiem veluti quamdam, ut ab initio propositum nobis fuit, adumbravimus, unde facile quisque perspiceret quam insignes ingenii fuerint illi animique dotes a natura impertitae, quanto labore per ipsum excultae, quantaque sedulitate ad tantam amplitudinem perductae. Quibus profecto de caussis Danielii mortalitas non commiseratione, sed gratulatione digna debet existimari. Namque ille, vita ad religionis christianae normam composita, et ad calcem usque decursa, ex hoc omnium malorum domicilio emissus ad Deum et J. C. iter habuit liberum atque expeditum. Tam multis autem ingenii monumentis post obitum relictis nomen apud eruditos suum celebravit, commendavitque posteritati. Quam in rem si quid pertenuis hic labor amicitiae caussa a me et collegarum auctoritate susceptus conferret, equidem essem laetissimus: aliquam enim plurimis ejus in me meritis referrem gratiam, accideretque, quod apud Platonem Socrates in Menexeno inquiebat: *Εργων ευπραχθεντων λογω ευρηθεντι μνημη και κοσμος τοις πραξασι γιγνεται παρα των ακουσαντων.*

DE

BRUNONIS AMANTHAEAE

VITA STUDIIS REBUSQUE

COMMENTARIUS



Neminem fore arbitror, qui jure sit eos reprehensurus, quorum industria in describenda vita, rebusque gestis eorum commemorandis versata est, qui praestanti quapiam laude floruerunt. Illi enim multis de caussis cum hominum genere mihi, ni mea me omnino fallit opinio, videntur egisse praeclarissime. Primum enim iis ipsis, qui vitam universam non otio deliciisque diffluentem, sed optimarum rerum studiis occupatam, plurimisque laboribus pro communi utilitate exercitam ad extremum saepe spiritum perduxerunt, honos quidam, velut merces persolvitur debita tot susceptis curis, tantisque molestiis exantlatis. Deinde et nobis existimatio apud posteros comparatur: exstabit enim monumentum, quod aetatibus sequioribus testetur, nos virtutem deamasse, atque in hominibus nostris eminentem merita laude prosequutos fuisse: quod ingenui signum est gratique animi luculentissimum. Postremo (quod maximi quidem momenti aestimari debet) propositis clarorum virorum exemplis adolescentium animi maxime commoveri solent, atque ad persequenda illorum vestigia inflammari: unde fit persaepe, ut ex hujusmodi lumine fa-

ces aliquot eaeque clarissimae accendantur, quarum splendor illustret universam civitatem. Quod si ad eas, quae modo adductae per nos sunt, rationes esset etiam adhibenda auctoritas, possent enimvero locupletissimi excitari testes, qui nobis praeiverunt idem iter ingressi, et viam, quam in hac opera insumenda persequeremur, exemplo suo monstrarunt. Atque e latinis quidem (longum enim foret eos, qui id citimis saeculis factitarunt, singillatim appellare) Cornelius Nepos, e graecis Plutarchus Chaeronensis, Diogenes Laertius, quorum scripta ad nos pervenere, praestantium virorum et philosophorum vitas ita eleganter sapienterque expresserunt, ut non sine magna utilitate et voluptate perlegamus. Nec diffiteri quisquam potest, nos absque iis fuisse quamplurima, quae ad clarissimos homines illos pertinent, ignoraturos. Magnopere igitur collaudanda illorum diligentia est, qui operam eo contulere, ut homines virtute excellentes suo tanquam in lumine collocatos memoriae proderent saeculorum.

Quod sane in eo cum primis hominum genere faciendum est, qui, licet magno ingenio doctrinaque exquisita praediti fuerint, rerumque plurimarum experientia subacti, tamen vel ingenito quodam gloriae contemptu, vel negotiorum aliorum ex aliis ingruentium multitudine animum et manum ab omni scriptione abstinuerunt. Siquidem horum non modo memoria parvo post temporis lapsu intercidere videretur, sed etiam labores omnes disperire, nec quidquam e tot curis vigiliisque emolumenti ad posteros perennare, nisi scriptoris alicujus accederet sollertia, qui vitam, studia, gestasque res, veluti in tabella vividis expressa coloribus publice proponeret: quam quum omnes oculis usurparent, quisque posset inde exscribere quod sibi ex usu aliquando futurum putaret.

Quod profecto ne Brunoni Amanthaeae v. cl. paucis ante mensibus summo omnium desiderio e vivis sublato accideret, non pauci pertimescebant. Is enim tum pertinaci medicinae et chirurgiae studio, cui sese penitus dediderat, intentus, tum quotidiana multiplicique graviorum morborum curatione distentus, nihil unquam rerum suarum litteris mandavit, quod vel doctrinam amplificare posset, vel ingenium alere atque provehere studiosorum. Quanquam ille adeo ab omni nominis celebritate abhorrebat, ut, licet nec tot negotiis obrueretur, atque aliquid possef vel operis subsecivis conscribere, nunquam tamen animum induxisset scripto ne leviusculam quidem rem consignare, unde vel parvula ad sese existimatio et laus redundaret. Quamobrem ne tanti viri non solum scientia et artificio, sed etiam christiana virtute praestantissimi nomen oblivione obscuretur, ejus vitam, studia, et praeclare facta brevi oratione persequi, parvoque hoc commentario complecti statuimus: quod certe nemini ingratum futurum auguramur.

Bruno Grimaldi in oppido non infrequenti Bruttiorum XII prope passuum millibus Consentia dissito, quae provinciae caput est ejus, quae Calabria prima vocitari coepta est, pridie Kal. quintiles an. CIↃIↃCCL in lucem editus fuit postremus liberorum. Franciscus Xaverius ejus pater, qui quatuor ex Anna Ferraria liberos suscepit, medicum chirurgum domi agebat non sine laude: ipso enim non solum municipes sui, sed etiam universa illa vicinitas libenter utebatur, quum ei doctrinae satis esset, plurimum diligentiae. Verum medicinae faciendae sedulitas et labor nullam fere moram Xaverio afferebat, quo minus adversus liberos optimi patrisfamilias partes omnes obiret. Itaque cum litteris disciplinisque adolescentium animos rectissime instituendos, tum vero religionis morum-

que sanctimonia in primis imbuendos curabat. Bruno igitur apud suos humanioribus litteris excultus Consentiam annos xv natus commigravit a Januario fratre natu maximo accitus. Sedebat id temporis Ecclesiae Consentinae gubernaculo Michael Maria Capycius Galeota Archiepiscopus religione ac doctrina praeclarissimus. Is quidem nihil majori sibi curae habebat, quam ut Seminarium maxima pietatis doctrinaeque laude floreret. Qua de re omnia circumspicere ille atque explorare, quo doctiores juventuti informandae praeceptores aptioresque praeficeret.

Quum vero Januarius in Seminario magnam, opera studiis egregie navata, sui exspectationem apud omnes excitasset, quumque multis saepe argumentis comprobasset; vix presbyteratu auctus a Praesule sapientissimo delectus fuit, qui adolescentes Seminarii litteras et disciplinas doceret. Bruno igitur a fratre, eodemque doctore universam philosophiam et mathesim arripuit maxima animi aviditate. Ac ne quid sibi temporis, quod ad eruditionem suam impendi posset, frustra deperiret, scholastico apud fratrem penso absoluto, ad collegium pergebat Societatis Jesu, ibique Jesuitam minime indoctum antiquitates et linguae graecae rudimenta explicantem perdiligenter audiebat. Grandis autem natu schedas aliquot, in quibus Jesuitae illius dictata manu sua descripta erant, non sine quadam animi voluptate relegebat, ferebatque moleste sibi e memoria praeceptoris olim sui nomen prorsus excidisse. Jam vero in philosophiae et mathesis palaestra tres annos ipsos tanta strenuitate se exercuit, quantam quisque ex eo poterit conjicere, quod frater currenti modo stimulos adderet, modo ad condiscipulos in illo studiorum curriculo praevertendos excitaret. At Bruno interea ad medicinam et chirurgiam incredibili quadam vi

ferri impellique videbatur: neque satis internosci poterat, naturane ad hujusmodi studium, an patris exemplo incitaretur: quum fiat saepissime, ut liberi parentes aemulari velint, in eademque, qua illi praestitere, laude versari. Quamobrem ad Cajetanum Veterem medicum inter suos ea tempestate nobilem sese contulit Bruno, eo duce anatomes, et physiologiae spatia decursurus cum Francisco Cerio acquali et municipe suo, qui magno erat ingenio adolescens, parique discendi ardore incendebatur. Ac mira inter eos coorta aemulatio est: alterque alterum attente observabat, alterque verebatur, ne ab altero in illo disciplinarum stadio vinceretur. Quae quidem aemulatio tautum aberat, ut illorum amicitiam ex indolis, morum, studiorumque similitudine conflatam distraheret, ut etiam arctius conjungeret ac devinciret. Uterque autem, quum annum Veterem audissent, neque temporis in eas doctrinas insumpti ipsos pocuitcret, intellexerunt tamen debilem illic futuram et mancam institutionem suam. Qua de caussa illud consilii cepere, ut Consentia Neapolim digrederentur, rivulisque posthabitis fontes ipsos adirent, illamque discendi sitim plane restinguerent. Ad dictam igitur diem Amanthaea et Cerius nobile adolescentium par Neapolim profecti sunt, eo quidem animi proposito, ut in magnum insanabilium valetudinarium excepti et aegrotantibus sedulo inserviendo, et doctores diligenter audiendo medicinam universam perdiscerent, ad eamque exercendam evaderent peridonei. Erat aetate illa magnus hac in urbe medicinae honos, magna existimatio, magnique nominis medici florebant. Atque hos intereminere videbatur Franciscus Seraus archiater regius non solum exquisita artis suae, sed etiam complurium litterarum rerumque reconditarum cognitione excellens; scriptorque utraque lingua perpolitus: Dominicus Cyrillus bo-

tanologiae apud nos instaurator, qui ex illa per Galliam et Britanniam peregrinatione ditissimam rerum optimarum supellectilem domum comportavit: Antonius Sementinius, qui magnum philosophiae lumen intulit medicinae: Dominicus Cotunnius anatomicae rei felix amplificator, qui vivit adhuc, vivatque ad patriae decus diutissime. Nec deerant alii, quos longum esset hoc loco recensere: sed illi in primis Gymnasio Regio, et magno valetudinario, atque adeo universo nomini neapolitano erant ornamento, plurimoque apud exteras nationes in honore habebantur. Jam vero inter juvenes valetudinarii allecti Amanthaea et Cerius fuere. Quod autem ad Cerium pertinet, is, postquám in omnibus illic disciplinis summo ingenii conatu elaboravit, medicus valetudinarii declaratus medicinam multa cum adolescentium utilitate docuit, et anatomicarum rerum commentarios communi suffragio commendatos edidit in lucem, quos paucis abhinc annis italice convertit Cajetanus Lucarellius juvenis medicus ornatissimus.

Bruno vero, ubi fuit in valetudinarium adscitus, nullius rei nisi medicinae et chirurgiae addiscendae, munerisque sui fungendi cupiditate inflammari unice videbatur. Quamobrem neque primo ipso adventu urbis clarissimae adspectus, neque orae maritimae amoenitas, neque collium acclivi mollique jugo adsurgentium pulchritudo, neque aedificiorum templorumque nitor ac species tanta juvenilem animum admiratione perculit, quanta valetudinarii amplitudo, aegrorum pro morborum ratione dispertita discubitoria, juvenum excubiae vigiliaeque ex praescripto apud aegrotantes obitae, medicorum denique non minorem curandis morbis, quam adolescentibus erudiendis diligentiam adhibentium doctrina et dignitas. Quae profecto res ita illum affecere, ut ipsarum species menti defixa

nunquam potuerit postea deleri, vel debilitari. Itaque illo in loco delicias omnes, omnes amores suos positos arbitrabatur, neque inde pedem quoquam efferebat, nisi perraro, quum magni momenti res quaepiam invitum cogeret. Itaque sic dispertitus diem erat totum, ut partim in schola doctrinae vacaudo, partim medicos, dum aegrotos inviserent, adsectando, partim in cubiculo suo quae audierat meditando, aut lectitando transigeret parum de victu cultuque corporis sollicitus. Quod sane industriae curriculum semel initum ita ab adolescente elaboratum fuit, ut qua erat animi constantia, ne latum quidem, quod ajunt, unguem ab eo discesserit.

Verum quum Bruno ad chirurgiam, uti praedictum a nobis est, acriori quodam animi impetu propelleretur, in ipso studiorum suorum initio secum agitare coepit, crebrisque cogitationibus usurpare, qua tandem via posset ad facultatis illius excellentiam pervenire: non quod vel gloriae, vel opum desiderio, a quo quantum semper abfuerit, inferius erit dicendi locus, permoveretur; sed quo sua hominibus vi morbi jactatis opera utilior esset, ac ratio reperiretur explicandae salutis promptior ac facilior. Audiverat ipse quidem, artis salutaris partem eam, quae, quum manu in curandis morbis potissimum uteretur, chirurgia vocitata est, multis ante saeculis, quam pars illa interiore hominum valetudine occupata in apricum prodiret, inter homines versari coepisse. Homerus quippe poetarum pater Podalirium et Machaonem Aesculapii filios scribit Creta fuisse Trojam advocatos a ducibus graecorum, ut militum vulneribus in pugna acceptis medicas manus adhiberent. Temporis autem decursu iidem illi medicorum filii omnem animi mentem in eo defixere, ut abditos naturae thesauros scrutarentur, atque inspicerent, numquid possent inde eruere atque arripere quod ad depellendos homi-

num morbos converteretur. Qua pervestigatione paullatim, atque aliud, uti fit, ex alio observando et pertentando, eo tandem improbo sane studio et labore deventum est, ut medicina conderetur. Verum haec a chirurgia divulsa minime fuit ac sejuncta; sed utraque arcto inter se vinculo colligata: iidemque ingenio et consilio, iidem manu operaque labentem hominum sanitatem erigere studuere. Ac societatis hujus et conjunctionis si non auctor magnus ille medicinae parens Hippocrates, adprobator certe fuit: exemploque suo reliquos admonuit quod essent iter inituri. Eaque res feliciter fausteque cessit: qui enim inde illarum artium disciplina per totam Graeciam viguerunt, a senis sapientissimi vestigiis diversi non abiere. Quod non solum hominibus perquam fuit salutare; sed etiam maximam ipsi chirurgiae lucem affudit. Caecutire enim necesse est, offendere, labique saepissime in illius artis exercitatione, qui non universam medicinam percalluerit. Atque mos hic summa laude diguissimus non modo priscis illis saeculis, sed proximis etiam servatus est, quum e barbariae fluctibus emersere litterae atque doctrinae. Ac per Italiam praesertim, unde primum omnium bonarum artium lumen reliquis Europae regionibus affulsit, institutum illud utriusque artis conjungendae mirifice fuit instauratum. Longe a proposito nostro alienum foret plurimos illos enumerare praeclaros viros, qui sese duplici hac laude celebrarunt. Sed nescio quo modo temperare mihi nequaquam possum, quin hoc loco maximum illud et singulare hujus ipsius valetudinarii, gentisque nostrae decus, Marcum, inquam, Aurelium Severinum nomine appellem, qui tam illustre sibi in utraque facultate peperit nomen; ut a doctissimis Europae medicis Neapolim ejus sententiam, tanquam olim Delphos Apollinis oraculum, in rebus difficillimis sciscitatum mitteretur.

Quae quidem omnia quum Bruno accurate perpendisset, intellexit statim juvenis prudens et sagax, se nunquam veram et germanam medici chirurgi doctrinam assequuturum, nisi prius physiologiam, pathologiam, ceterasque medicinae partes diligentissime perlustrasset. Idque propositum sibi urgendum eo magis esse existimabat, quod perspiceret ejusmodi artem e pristino deflexisse nobilitatis suae gradu. Quum enim medicis doctissimis abundaret illa aetas, non aeque tamen plurimorum chirurgorum praestantium, pace nostrorum hominum dicam, foecunda erat. Cujus rei caussam si quis rimari velit, statim illud occurret, quod facta paullatim fuerint doctrinarum illarum divortia. Heic autem non ausim definire desidiane hominum id malum, an fastidio acciderit. Certe qui politiori apud nos erant ingenio praediti, disciplinisque elegantioribus instituti sese ad medicinam totos tradere coeperunt, chirurgia ceteris infra se positis relicta. Inde factum est, ut illa sensim e statu suo mota humi tandem repere videretur. Neque ad chirurgiae laudem recordari possumus, quod nostrates tum juvenes trans Alpes mitterentur, ut ab exteris doctoribus formarentur, habilesque haberent manus ad quorumdam morborum curationes. Harum igitur rerum cogitatione Bruno excitatus viam illam a majoribus monstratam sibi suscipiendam esse decrevit, universamque medicinam non primoribus, quod ajunt, labris degustandam, sed penitus hauriendam: ne, si divortium earum artium discidiumque perduraret, magno chirurgia praesidio destituta parum hominibus utilitatis afferret, quique eam profitebantur inter ignobiles artifices referrentur. Quamobrem Brunoni in primis, paucisque ejusdem collegis, ex quibus primas agebant Leonardus Sanctorius et Angelus Boccanera, debemus, quod, renovato inter eas facultates foedere, efficax apud

nos medicina ad pristinum honorem revocata, atque ad amplitudinem suam perducta fuerit. Neque huc adjicere pigebit, qui Brunoni ad medicinam addiscendam aditum patefecerint: siquidem ubi apud Josephum Vairum sese physicarum rerum cognitione satis comparasset, e Nicolao Andria physiologiam, omnemque medicinam θηωρητικην, e Dominico autem Cyrillo materiam, quod ajunt, medicam, botanicen e Xaverio Macrio perstudiose voluit cognoscere. Atque eodem addere libet, Brunonem, quum feriatus incideret dies, eumdem Macrium et Franciscum Riccam viros tum medicinae, tum plurimarum disciplinarum studiis admodum expolitos, qui Cyrillo et magistro et amico plurimum utebantur, sectari solitum, et valles collesque suburbanos peragrare, ut plantas anquireret, oculisque subjiceret, ac particulatim contemplaretur, reque ipsa ea, quae a doctore audiverat, dum easdem illas plantas describeret, comprobaret.

Interea dici vix potest, quanta stadium, quod erat ingressus, juvenis laboris patientissimus alacritate decurreret. Quo tandem absoluto ad spartam illam, quam sibi delegerat quasi a puero, maximeque deamabat, instruendam ornandamque sese contulit, eique dicavit non minori sedulitate, animique contentione. Itaque ad anatomes, quam sibi pernecessariam fore merito ducebat, totiusque chirurgiae studium ita se convertit, ut neque tam parva res, neque tam difficilis, neque tam abstrusa fieret obviam, quam non cogitatione perquireret, labore explicaret, acumine e tenebris in lucem extraheret, atque in propatulo locaret. Hunc autem industriae cursum acerrimum, qua valetudinis erat firmitate, nulla unquam die vel animi vel negotii caussa intermisit aut retardavit. Ad haec autem accessit etiam, quod usu paullatim, nec sine molestia perfecit, ut quemadmodum cibi, ita somni parcus

*

admodum esset, non eo solum consilio, ne grave foret vigilias, quum orbis rediret suus, agere apud aegrotos, verum etiam quo ad diurnum studiorum pensum adderet lucubrationes longiores.

Mirandum itaque non erit, si, ipso ad eam normam quinquennio exacto, Brunonem, habito per medicos doctissimos periculo, praefecti valetudinario medicum extra ordinem declaraverint. Quod quam omnibus gratum acciderit, nihil est quod heic pluribus persequamur; quum omnes non modo ejus ingenium, insumptamque disciplinis operam agnoscerent, sed etiam mores egregios, animique singularem modestiam probarent. Ille vero coepit illud diligentissime cogitare quo modo et muneri suo faceret satis, neque a studiis distraheretur. Sed brevis ea fuit facilisque deliberatio: illa enim vitae ratione, quemadmodum diximus, jam instituta, factum est, ut in obeundo munere hominum exspectationi responderet, atque satis ad doctrinas excolendas temporis haberet.

Jam per idem fere tempus complures adolescentes, qui in valetudinario commorabantur, Brunonem enixe rogitarunt, ne gravaretur sibi rem anatomicam et chirurgicam tradere. Quam ille provinciam adspernatus non est, sed volens et lubens suscepit: videbatur enim eadem fidelia, ut vetus est adagium, duos parietes dealbare; discipulos videlicet erudire iis disciplinis explicandis, et sese magis in dies magisque perpolire. Inde autem quanta sit utilitas consequuta, et discipulorum deinde, et magistri iis in rebus praestantia palam fecit.

Porro quum aliquot annorum spatio comprobata esset hominis nostri sollertia, quae non, quomodo plerisque usu solet venire, primo ardentior, tum paullatim defervescere, plane demum elanguere, sed sibi semper constans, imo quotidie fervidior ferri videbatur ad explenda omnia,

quae officii ratio postularet; Bruno communi omnium gratulatione chirurgus ordinarius delectus est: neque inventus quisquam fuit, quin praefectos valetudinario collaudaret, quod id consilii cepissent, gratiasque haberet. Dum autem ei novum omnes honorem gratularentur, non majorem ipse sibi dignitatem, sed majus onus impositum arbitrabatur. Qua de re difficile dictu est, quemadmodum ejus adversus aegrotos voluntas, quae ab ipso initio incaluerat, igne veluti subjecto exarserit, ut non solum summam ad miserorum curationem diligentiam afferendam censeret, sed summam quoque benevolentiam. Itaque quum ad aegrotantium lectulos accedebat, ingenuam quamdam ex ore hilaritatem eminere videres: atque conjectis in aegrum oculis, eoque perattente considerato, statim quid morbi genus illud portenderet, intelligebat. Quod si certa spes foret salutis, bono hominem animo esse jubebat, brevique convaliturum pollicebatur. Sin autem per se lethiferum esset malum, aut ita invaluisset, aeger ut plane depositus sibi videretur, tum confirmabat, sese omnia exploraturum, nihilque, quod ad profligandam morbi virulentiam valeret, praetermissurum, modo numine suo medenti adfuisset Deus, in cujus manu posita hominum est et salus et vita. Haec in facienda medicina consuetudo solemnis ipsi fuit, neque ullo unquam tempore intermissa, plena diligentiae, plena humanitatis, maximeque ad aegrorum levamen accommodata, qui non medicum se solum credebant peritum atque industrium habituros, sed amicum salutis suae adprime studiosum.

Interea plurimae per eum morborum perdifficilium curationes ad optatum exitum perductae fuerunt tam insignes, praeterque omnium spem, ut plerique addubitarent, dexteritatemne et sollertiam ipsius admirari prius deberent, an felicitatem atque fortunam. Fuit ille quidem in

periclitando experiundoque tam felix et fortunatus, quam nemo unquam fortasse ante ipsum; attamen ea felicitas non fortunae temeritati, sed doctrinae, sed peritiae, sed sagacitati hominis adscribenda erat. Quibus e rebus fiebat, ut vix ille quod corruptum erat atque affectum contrectaret, ut extemplo quo statu aegroti res erat, cognitum perspectumque haberet. Atque eodem tempore intelligebat, quid factu opus esset: num illico efficax adhibenda medicina foret, an ad diem opportuniorem differenda: aeque enim periculosum, ac plerumque lethale esse ajebat, tempus aut posthabere, aut antevertere. Unde illa fluxit omnium ore trita vox, manus habere Brunonem doctas et oculatas.

Harum autem rerum fama intra valetudinarii septa contineri non potuit, quin foras erumperet, urbemque pervagaretur. Quare complures honestissimi cives si qua graviori valetudine implicarentur, arcessere Brunonem coepere ea quidem fide, quasi non aliunde praesentiorem opem ad sanitatem reciperandam potuissent exspectare. Quam sane spem quum non infrequens exitus comprobaret, in dies simul nominis existimatio, simul numerus illorum augebatur, qui Brunonis opera, quum salutis adirent periculum, uti vellent. Atque hinc celebritas illa videbatur, quam ex animo despiciebat, apud omnes amplificari: ut vetus illud adagium, gloriam, ut umbra corpus, virtutem sequi, in hoc potissimum homine perspectum fuerit.

Dum autem in tam eximio curationum campo Brunonis industria exerceretur, evenit, ut esset in magno valetudinario deligendus, qui cadaveribus ad juventutis institutionem incidendis operam navaret. E vestigio praefectorum et medicorum suffragia in Brunonem conspiravere, quem communis jam hominum opinio ad id muneris unum omnium advocasse videbatur. Nihil autem heic at-

tinet pluribus commemorare quanta is alacritate mentem anatomicarum rerum cognitione jam pereruditam, manumque illam iisdem in rebus tamdiu versatam operi admoverit: probe enim norat, qualis in juventutem medicinae et chirurgiae studiosam fructus redundaturus inde foret. Spectaculum vero erat jucundissimum, quum cerneres juvenes frequentissimos theatri, quod ajunt, anatomici, loca temporius, quam erat constitutum, occupare, Brunonemque praestolari. Quum vero advenisset, omnes in eum oculos intendere, atque ex ore pendere, quo diligentius singulas humani corporis partes dissecantem intuerentur, quodque dissecuerat explanantem audirent. Ille autem primum cujusmodi exterior esset hominis fabricatio, naturaeque humanae figura quam plena decoris et dignitatis paucissimis quidem, sed clarissimis verbis, quidquid ad rem facere minime videretur amputato et rejecto, edisserebat: deinde membrum unumquodque percurrebat, ostendebatque quam affabre structum esset, quam apte locatum, quam habile ad officium quodque suum perfungendum: quorum contemplatione infinita conditoris sapientia et providentia posset intelligi multo luculentius, quam subtili vel praestantissimi philosophi disputatione. Quum autem corpus incidisset, interioremque animantis fabricam nihilosecius admirabilem oculis objecisset, tum singulas partes, partiumque, ut ita dicam, particulas parvas, unde illae conflatae erant, accurate describebat. Neque ad se pertinere non arbitrabatur, qui partium earumdem esset usus, quae inter se atque ad reliquum corpus proportio, qui nexus singillatim expendere. Ad haec si quam ipsarum morbus afficeret, vel quispiam casus alius utcumque laederet, quid inde mali gigneretur, quave ratione, ne in perniciem verteret, occurri vel posset vel deberet, perdocere mos erat. Quam ille docendi viam complu-

res annos quum nunquam intermisisset, sed peracri semper esset vi persequutus, quivis poterit facillime conjicere quam longe neapolitana juventus in rerum anatomicarum curriculo, illo duce, progressa sit. Atque illud etiam huc addendum est, ducem ipsum etsi sollertissimum, in tam diuturna incidendorum cadaverum exercitatione sollertiorem, ejusque manus antea doctas, ut modo dictum a nobis est, et oculatas, doctiores esse factas atque oculatiores. Ea vero cogitatio non parum ad leniendum illius desiderium valet, quod ex ipsius alumnis non desit, qui ita ad ejus doctrinam sese dexteritatemque effinxit, adhuc ut nobiscum versari videatur Bruno, hominibusque opitulari. Atque discipulorum omnium instar esse poterit Januarius Galbiatus perpetuus magistri sui comes, sociusque deinde difficilium curationum.

Jure ergo hominis nostri virtus uno omnium ore praedicabatur: cujus laudis praeconium accidere neutiquam potuit, quin ibi quoque clarissime exaudiretur, unde ejus augeri debebat dignitas. Itaque quum ab omni ejus rei suspicione abesset, inter regios Gymnasii neapolitani professores amplissimis codicillis, magnificaque meritorum mentione relatus fuit; neque longo post temporis intervallo cooptatus inter regiae Academiae Scientiarum socios ordinarios. Hujusmodi autem honores debiti quidem, sed sine ambitu ultroque delati, nescio an ipsi, an amicis acciderint laetiores et jucundiores; licet non sine ingenuo grati animi sensu ceperit, maximaque significatione obsequii atque observantiae.

Verum haec omnia, quae brevi hactenus narratione percurrimus, ejusmodi profecto sunt, ut hominem praestanti quadam laude ornarent, atque inter eximios medicorum filios referrent. Sed mihi quo nescio modo satis facere nequaquam possunt. Vereor enim, ne ita ad Bruno-

nem pertineant, ut non etiam cum ejusdem ordinis hominibus communicari possint: neque legentibus illius imaginem ita elaborate expressam objiciant, ut Bruno ipse oculis animoque oberrare videatur. Nemini igitur molestum sit, me paucas ex infinito prope numero res excerpere, atque hoc loco brevi oratione describere, e quibus facile quisque poterit vivum ac spirans Brunonis simulacrum effingere, atque ante oculos proponere.

Ac si quis velit paullo diligentius perquirere, quonam apud nos statu esset obstetricium, is profecto nihil reperiret, quod magnopere laudandum putaret. Heic autem non est Dominicus Cyrillus sua laude fraudandus; is enim quum Parisiis Levretium, Londini Hunterium audivisset, ex peregrinatione sua domum redux, allata forcipe levretiana, artem illam egregie illustravit. At quam Cyrillus artem doctrina sua effecit illustriorem, Amanthaea reddidit manu operaque sua longe expeditissimam. Nulla enim sese obtulit in ulla foemina difficultas pariendi tanta tamque inextricabilis, quam ille non sagacitate pervideret, sollertia expediret, felicitate denique superaret. Nemo igitur erat, quin confiteretur complurium matrumfamilias, et liberorum vitam Brunonis in re obstetricia peritiae acceptam esse referendam. Qua ex re factum est, ut nulla fere id temporis mulier esset, quae non, si paullulum ex partu laborare coepisset, etiamsi non ignobiles sibi medicos adesse videret, suos tamen enixe rogaret, ut Brunonem quoque advocarent, quasi in illo singulare quoddam parituris praesidium fore persuasum haberet. Neque minor in ea re Brunonis erat apud Augustum Regem nostrum existimatio. Quum enim Rex, regiique Principes Neapoli essent in Siciliam soluturi, timebatur, ne regia Francisci Principis Conjux, quae praegnans erat, neque longe a praegnationis fine abesse credebatur, periculo ex

maris jactatione objiceretur. Heic Rex prudentissimus non periculum, sed periculi metum etiam dispulsurum arbitratus, Brunonem jussit eamdem, qua illa vehebatur, navim conscendere, seseque navigationis comitem adjungere, praesto, sicubi res posceret, futurum.

In curandis oculorum suffusionibus a lentis crystallinae extractione noster fuit semper alienus. Eam sane viam, qui hinc Neapoli, ut supra indicatum est, in Galliam proficiscebantur, quum domum revertissent, sequi ipsi, aliisque praecipere solebant, neque ab ea, quam edocti olim erant, discedendum existimabant. Bruno autem depressione semper usus est, quod illam et ad morbi curationem magis accommodatam, et minus ad pericula objectam judicaret. Sed mirabilis erat ejus obtutus, ut ipsum illud temporis punctum observaret, arriperetque confestim, quo manus oculo admovenda esset, ne secus atque vellet, res succederet. Ac mirabilis erat pariter in eo prudentia: cuncta siquidem circumspicere, cuncta amoliri satagebat, ac providere, ne quid interveniret, quod medici frustaretur diligentiam, prosperumque curationis iter interciperet. Quae omnia illuc rem deduxerunt, ut nemo fere illi in tam difficili negotio anteponeretur.

Id porro temporis calculorum majorum excisioni, quam λιτοτομιαν Graeci dixerunt, e nostris unus in primis sese addixerat, et magnum sibi nomen pepererat. Is autem operam ei rei dabat foribus occlusis, perinde ac mysteriis Eleusiniis operaturus esset, unde arceri oculi omnium deberent. Verebatur fortasse, ne, si quis introspexisset, arcanum vulgaretur, atque ipse esset diris devovendus. At primum Bruno, postquam longa meditatione habuit exploratum, nihil ad ejusmodi curationem aptius fore et commodius via apparatuque, quod ajunt laterali, decrevit, illam se viam semper apparatumque sequuturum:

quod quamplurimis, qui morbi illius acerbitate afflictabantur, attulit salutem. Deinde quum ad calculos hujusmodi eximendos arcessebatur, alumnos suos, quorum ingenium studiumque excelleret, secum adducebat. Tum eos monebat, animum oculosque in manus suas operi jam accinctas intendere, neque committere, ut quidquam in tam difficili periculo inobservatum relinquerent. Est vero incredile dictu, quam celeres ille manus in re adhiberet: quae licet tam celeriter moverentur, nunquam tamen fallere videbantur, nunquam aberrare: adeo voluntati ejus obsequi atque obtemperare assueverant. Itaque quum die quadam is calculos coram Manginio summo copiarum gallicarum medico excideret, magna ille captus admiratione, Brunonem complexus et exosculatus: si me, inquit, in eum morbum fortuna conjiceret, ut medicas mihi manus admoveres, te unum rogarem, praeterea neminem.

Quod autem ad urinales in textum cellularem diffusiones attinet, quae ex inveterata aphrodisiae luis contagione perfrequenter oboriuntur, satis ipse commode feliciterque persanabat lata profundaque ad peritonaeum incisione: atque id multo ante factitare coepit, quam Defaultius, Chopartius, aliique ea de re quidquam conscriberent. Praeter enim quam quod eam medendi rationem multo, quo perspicaci erat ingenio, faciliorem cognoverat, tum vero, quod caput est, gangraenas illas amoliebatur, quae parvas quidem, sed ex intervallo repetitas incisiones sequebantur; quam pestem neque impendentem avertere medici, neque, quum exorta erat, sedare atque opprimere poterant.

Catheter autem in illius manu res plane admirabiles perpetrare videbatur. Nam ita callide illum tractare, ita scienter regere ac moderari manus callebat, ut vel ma-

ximae difficultates nunquam moram attulerint, atque impedimento fuerint, quo minus urinam eliceret. Quamobrem in frequentissimo tot annorum, ac prope quotidiano catheterismo ad vesicae punctiones devenire nunquam oportuit.

Praeterea in herniarum, quarum tam multas varietates vix definire commode quisquam poterit, curatione Brunonis nobilitata longe est perspicacia. Vix enim ad aegrotantem accesserat, vixque pertentarat, quum extemplo perspiciebat, quaenam in locum reduci suum impune possent, quaenam vero, si id fieret, mortem, gliscente gangraena, allaturae forent: tum quae praesentem medici opem poscerent, quaeve noxa vacarent, si res ad diem aliam rejiceretur. Adhaec perpetua fuit illi curandi ejus morbi ratio, quum magna omenti pars in saccum herniosum decurrisse videbatur, omentum apte adligatum recidere, quodque reliquum erat, contra annulum introducere. Ex quo sane consequebatur, ut non solum puri foras erupturo liberum iter pateret, sed etiam, si quid ex omento subter id, quod adligatum fuit, recidendum superesset, commodius recideretur. Illud autem vix credibile videri cuiquam poterit, quod omenti ad IV libras pondo aliquando exsecuerit eventu non improspero. Imo dici vix potest quam multos hoc medendi consilio e mortis faucibus eripuerit, pristinaeque incolumitati restituerit. Quod quidem non e medicorum voluminibus eo ferme tempore in lucem editis hausit, quum adeo distentus esset, ut ne respirandi quidem vacuum, nedum legendi tempus haberet, sed ipse per se extudit permiro et singulari quodam acumine ingenii, quod natura factum, et exercitatione comparatum videbatur ad chirurgiam perficiendam.

Inoleverat chirurgiae neapolitanae macula quaedam

crudelitatis, quae diuturno communique olim more nitebatur. Una enim omnibus medicis erat mens ferro atque igne aperiendi bubones aphrodisios. Magna animi molestia cerneres quotidie per valetudinarium circumferri turriculam carbonibus ardentibus plenam, in eaque ferrea instrumenta ad concipiendum ignem circumposita: tum per lectulos cursitare medicos, interque gemitum ejulatumque miserorum inguina ferro candente adurere, perinde quasi existimarent factam sibi potestatem esse reposcendi ab hominibus poenas erratorum suorum, quae profecto ipse hominum Conditor pro sua justitia vel in hac, vel in altera certe vita abire non sinit impune Cyrillus quidem primus scripto docto sane atque accurato efferatae illi consuetudini bellum indixit: Amanthaea vero plane profligavit exemplo suo. Igne enim ac ferro cuidam ejus morbi generi reservatis, reliquis ratione quo minus acerba, eo magis salutari medebatur; in eoque defigebat cogitationes suas, ut omnem mali perniciem exstingueret penitus, radicitusque evelleret.

Sed et aneurismatum cura millies a Brunone inita, milliesque ad exitum perquam feliciter perducta mirum quantum acerrimam ejus ingenii aciem, virtutemque apud omnes commendavit. Atque hoc loco indictum per me abire neutiquam debet, quod hujusmodi res considerate ponderanti non leve videri poterit argumentum et sollertiae et praestantiae. Is quidem in pagum non longo ab urbe intervallo venerat mulieri, cui mortem perdifficilis partus minitabatur, auxilium laturus. Dum in eo negotio totus esset, ecce tibi domum irrumpit sanguine adspersus juvenis, vociferans miserabiliter, opemque a Brunone implorans: is enim, dum rixa ferveret, satis vehementem pugionis ictum in brachio acceperat. Clamore excitatus praesto est Bruno, vulnus inspicit, animadvertitque

dilaceratam esse arteriam. Nulla interposita mora, arripit (nullum chirurgicum ad id instrumentum habebat ad manum) acum majorem, quae a consuendis saccis nomen invenit, supraque vulnus proxime os infigit: tum ad partem alteram subter truncum arteriosum acum trajicit, atque, imposito ex concerptis linteolis pulvillo, arteriam, carnem, pellemque nodo arcte obstringit. Constitit illico sanguinis vis: altero post die nodus aliquantum relaxatur: quarto, quintove incidilur: neque multo post tempore, vulnere persanato tam bene juvenis ille vulnerato in posterum brachio usus est, quam sano.

Atque hanc arteriae colligandae viam instilit semper Bruno, quum et suis et alumnorum suorum experimentis optimam cognovisset, longeque utiliorem iis, quas postea Jonesius et Munoerius docuerunt. Siquidem illa quidquid utilitatis ex utriusque medici doctrina derivat una complectitur, et, quod praecipuum est, secundarias prohibet sanguinis eruptiones, quae plurimorum vitae exitiales omnino exstitere. Quam profecto aneurismatis medendi rationem, quam Bruno ita adamavit, nunquam ut in tam diuturna artis exercitatione negligendam sibi judicaverit, quum praesertim ab omni sit periculo remota, secundoque semper eventu comprobata, confidimus chirurgos nostrates, reliquis posthabitis, unice fore in posterum adhibituros.

Verum commentarius hic noster, contra atque initio propositum nobis erat, in immensum prope excresceret, nullumque exitum inveniret, si illa mens et consilium esset, omnia, quae noster singulari animi sagacitate excogitavit, admirabilique manus dexteritate gessit, colligere, atque hunc in locum vel paucis descripta concludere.

Faciendus tamen est orationi nostrae modus: quum his lineamentis, etsi parvis, ejusmodi tamen, Brunonem

ipsum, nisi nostra nos fallit opinio, deformasse jam videmur, ut facile ab iis, qui tantisper oculos illuc adjicere velint, internosci queat. Quod si plura quis desideraret, atque multa heic praeterita commemoratione digna quereretur, tum mihi, credo, licebit Lucretianum illud usurpare:

> Sed satis haec animo vestigia parva sagaci
> Sunt, per quae poteris cognoscere cetera tute.

Atque heic manum omnino de tabula, quod dicitur, sustulissem, nisi res ipsa admoneret, me facinus admissurum esse ab officio meo maxime alienum, si a scribendo destitissem. Nam quum in ipso commentarii hujus introitu declaraverim, vitam me Brunonis, resque ab eo gestas conscripturum, qui fidem meam liberarem, si, iis expositis, unde exploratum cuique esset, summo illum inter medicos chirurgos loco, quod minimum ipse semper judicavit, maximoque numero habendum esse, silentio premerem, ac ne digito quidem intento singularem hominis religionem, qua nihil in vita carius, nihil potius habuit, commonstrarem? Paucis igitur primisque veluti ductis in tabula lineis Brunonem pietatis christianae cultorem eximium adumbremus. Et quidem certe semina illa religionis sanctissimae incredibili optimorum parentum cura in ejus animo insita semper ille a puero studiose fovit, impenseque excoluit, admirari ut nemo debeat, si tam laete effloruerint, ac sese in tam uberem segetem, aetate confirmata, extulerint. Itaque vix in urbem pedem intulit, quum nihil visus est habere antiquius, quam sodalitati ad Divi Joannis ad Carbonariam nomen dare: ubi, quum stati sacrique dies ad sodalium coetum indicti redirent, debita religionis officia pie sancteque persolveret. Neque ullae unquam tam graves caussae inciderunt,

quae illum vel natu grandiorem prohibere potuerunt, quominus ad Divi Joannis adiret ad diem, et in sodalium conventu christiani hominis partes usurparet. Atque ex eo fonte derivare videbatur illa hilaritas, quae ex ejus ore semper eminebat, index ac testis innocentiae: ille animi candor, unde nihil unquam fuco illitum quisquam, nihil mendacio infuscatum pertimesceret: simplicitas illa vitae nullo artificio erudita: morum denique comitas illa, qua peramanter universos complectebatur. Hinc juvenes, qui simul in valetudinario degebant, Brunonem unice colęre, ejus cubiculum frequentes adire, diligere ut fratrem, ut parentem observare. Neque immerito: siquidem in eo sibi auxilium, quum res postularet, paratum esse intelligebant, neque eos unquam, ubicumque opus fuit, frustrata spes erat. Atque ut illud heic quasi praeteriens, alioque properans tangam, ut cibi somnique, ita verborum erat perparcus; neque in vestitu et reliquo corporis cultu diligens admodum et curiosus: qua de re subrusticus cuipiam videbatur. Sed longe secus res habebat: nihil enim illo amabilius, si quid secum ageres, nihil urbanius reperires, etsi brevi sermone negotium conficeret. Nam cum is natura fere, tum vero consuetudine a prima adolescentia ad taciturnitatem quamdam et aequanimitatem compositus silere, quam loqui, alteriusque opinionem missam facere, quam arguere et refutare malebat. Quod etiam usu veniebat, quum inter medicos de aegri valetudine consulebatur: postquam enim sententiam suam perspicue non minus, quam sapienter aperuisset, ut nullus animum scrupulus pungeret, si quis contradiceret, in contentionem, a qua semper fuit alienus, venire nolebat. Sed haec semper lenitas ei magno persaepe stetit. Quum enim acrius quisquam veritati adversatus esset, propositum ille suum urgebat; pallor autem statim os obsidere, stomachus

cibi nausea laborare, et dies plusculos male esse videbatur. De vitae vero cultu brevi sic habeto: omni illum in re decentiam adamasse quam qui maxime: nimiam delicatioris hujus saeculi elegantiam nunquam probasse: veteremque majorum nostrorum disciplinam, quam peregrinam et aliunde arcessitam, quae nunc tantopere invaluit, degendae vitae rationem sequi maluisse.

Ac religioni quoque adscribendus est singularis divitiarum contemptus, quem Bruno nunquam non praesetulit. Siquidem ille neminem unquam voluit operam suam pretio aestimare, sed officio, amicitia, humanitate denique metiri. Qua de re in curationibus quamvis diuturnis, admodumque laboriosis, postquam egregiam operam navasset, et difficili morbo affectos ad sanitatem revocasset, rogari saepe et cogi aliquando debebat, ne gravaretur, quod ultro oblatum erat accipere. Neque pauperi defuit unquam, ut divitis valetudini inserviret. Ac factum est non semel, ut eodem tempore ad nobilem matronam et miseram mulierculam utrasque ex partu laborantes advocaretur; ipse tamen matronae mulierculam anteponebat, quum diceret, primariae opulentaeque foeminae medicos, quam multos vellet, deesse non posse; pauperculam, nisi ipse accurrisset, facile omni ope carituram.

Omnino nulla ex re alia clarius illius religionem patefieri posse arbitror, et suo tanquam lumine circumfusam omnium oculos incurrere, quam ex effusissima in calamitosos liberalitate. Namque ab ipsa pueritia didicerat, pietatem christianam non in sola caeremoniarum sanctitate positam esse, nec quemquam posse sibi de suo in divinam legem obsequio blandiri, nisi ad perfectam in Deum caritatem accederet etiam caritas in proximos. Ac pectori haeserat praeclara illa Jacobi Apostoli sententia: *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est:*

visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo. Quibus sane verbis edocemur, christianum hominem nihil Deo gratius acceptiusque facturum, quam homines calamitate afflictos perditosque consilio, opera, re denique erigere et recreare.

His igitur doctrinis a puero Bruno, ut modo dictum est, imbutus, tanquam si ejusmodi vocibus aures assidue personarent, sic initum semel beneficentiae tenuit cursum, nullo ut unquam aetatis tempore ab eo deflexerit. Itaque quum ad aegrotos adiret, quos et morbo et adversa fortuna conflictari cognosceret, non adeo facile dictu est quemadmodum commoveretur; idque maxime, si patresfamilias forent: neque poterat domo pedem efferre, nisi tantum pecuniae suggereret, quantum remediis comparandis et alendae familiae sufficere videbatur. Eos autem non statim atque morbus desereret, ipse deserebat, sed eo usque largitate sua prosequebatur, donec ita convalescerent et sese confirmarent, ut ad opus redirent, unde sibi liberisque victus quaerebatur. Quod etiam factitavit semper, quum ad aegros invisendos ex urbe ad oppida exiret: nunquam adduci potuit, ut quidquam a paupere acciperet; imo de suo pro vectura solvebat.

Insignis vero ipsius in puellas erat caritas, quae vel inopia adactae, vel improborum hominum fraude illectae per lubricam adolescentiae semitam prolapsae jam essent. Singulari quadam benevolentia complectebatur, omnique subsidiorum genere iisdem commodabat: verebatur enim, ne, dum famae consultum vellent, majus in se admitterent facinus, perniciemque in partum innocentem manibus consceleratis molirentur. Itaque et opera et impensa curabat sua, ut partus servaretur incolumis, nullaque pudori puellarum nota inureretur.

Jam hujus tantae benignitatis fama, quae totam urbem peragrarat, plurimos domum ad Brunonem quotidie advocabat. Videres itaque mane, meridie, vesperi illius aedes magna frequentia celebrari miserorum, quos nunquam non excipiebat hilari quadam animi orisque significatione. Non eadem vero omnium erat mens, non eadem ratio: partim enim valetudini consilium, partim autem egestati auxilium expetitum ventitabant. Ex magno illo numero nemo, cui spes mentiretur, discedebat: qui eum consulebant, iis quid opus factu esset, studiose praecipiebat: qui vero stipem quaerebant, contenti ejus abibant et comitate et beneficentia. Ac nullus praeteribat dies, quin prope parem ad ipsius aedes hominum multitudinem offenderes: nec ullus praeteribat dies, quin ille sui copiam faceret eadem semper humanitate aut consulentibus, aut subsidium rogantibus.

Sed hae quotidianae, ut ita dicam, sportulae erant. Fuit etiam tempus, quum longe majorem argenti vim largitus est hominibus, quos eo discriminis adversa fortuna adduxerat, ut nisi quis misericordia permotus respiceret, praesensque auxilium ferret, rerum omnium suarum essent naufragium facturi. Uno, ut opinor, alterove ante obitum anno, quum in amoenissimo colle urbi proximo, cui a Vomere nomen fecere majores, rusticabatur, ut valetudinem podagra identidem afflictam, sensimque labentem salubriori caeli spiritu recrearet, apud eumque diversabatur optimus juvenis e provincia sua, jurisque prudentiae deditus; bene mane ad januam adstitit quodam die cum magna probitate homo, tum honesto loco natus, sibique adeundi Brunonis potestatem fieri postulavit. Quod ille statim atque audivit, hominem intromitti et adsidere ad lectuli spondam jubet. Quum autem sermo aliquanto longius protraheretur; juvenis desiderio, ut fieri solet, in-

citatus cognoscendi, quid intus ageretur, clanculum, ut verba sublegeret, ad cubiculi ostium accedit. Atque commodum accessit, quum hospes peroraret, lacrimisque obortis in haec verba orationem clauderet: se familiamque suam, nisi e vestigio cccc nummi numerarentur, funditus perituros. Heic Bruno hominem cohortari bono animo esse, molestiamque omnem abstergere: sese in urbe ad meridiem domi suae pecuniam illam numeraturum. Ille vero quasi a morte ad vitam esset revocatus, largius prae laetitia flere, manus gratias agens deosculari, neque, nisi plane jussus, exire e cubiculo atque abire. Plura profecto hujus effusae in egenos benignitatis exempla haberemus, nisi Bruno, qui illud Evangelii praeceptum probe norat: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, rimulas omnes, ne quid efflueret, summo studio obstruere curasset.

Illud vero heic commemorare a proposito minime dissentaneum puto, quod etsi minorem fortasse liberalitatem prae se ferre videtur, tamen majorem quamdam in proximos caritatem significare nemo unus pernegaverit. Nocte Bruno ingruente sese domum, negotiis expeditis, recipiebat: quum obviam fit quidam fame et frigore enectus, cumque rogat, ne quam omnibus praestaret, sibi aerumnoso benignitatem et misericordiam clausam velit. Bruno quidquid ipse, quidquid famulus, qui sequebatur, nummorum habebat, misero illi atque infelici porrigit. Ille autem, qui famem, inquit, depellam, porrexisti; quinam vero depellam frigus? Tum Bruno extemplo vestem, qua superindutus erat, sibi detrahit, hominique largitur, famulo leniter obmurmurante, non quod heri liberalitati modum vellet statuere, sed quia verebatur, ne quid (turbulenta enim erat ac perfrigida tempestas) ipsi importaretur mali.

In tanta animi ad humanitatem propensione, quam insevit natura, fovit auxitque religio, nihil est caussae, cur dubitet quisquam, illum injurias per improbos aliquando homines sibi illatas ultum nunquam esse; ultum autem dico? Ne meminerat quidem: adeoque eos ipsos, qui intulerant, beneficiis, ex Christi Salvatoris monitu, ubi primum res tulit, afficere non destitit. Is quidem ancillam domi habebat, quae amore juvenis cujusdam se implicuit, qui nuptias cum ea se velle inire pollicebatur. Illa oblatam occasionem actutum arripuit (nam aliquantulum aetate processerat), atque subverita, ne indotata fastidiretur, praedixit, sese cum dote non mediocri in matrimonium conventuram. Ea spe juvenis erectus non dubitavit ejus conditione usurum spondere. In omnem igitur partem animum versare coepit muliercula, quanam ratione, quam citissime posset, dotem conficeret. Interea nulla sibi brevior via visa est, neque expeditior, quam ubi domo pedem herus efferret, scrinium recludere, certamque in dies ferme singulos pecuniae summam surripere atque ad dotem seponere. Quod quum illa facere non intermitteret, temporis lapsu Bruno, etiamsi custos esset rei suae negligentior, tandem tamen suboluit: re autem deinde comperta, ut dubitare non quiret, ancillam ab se dimisit, postquam furtum confessa, et paullatim reddituram, quod abstulerat, pollicita esset. E vestigio ad nuptias diu desideratas convolavit, quumque a Brunone de pecunia non appellaretur, oblita est promissionis suae. Itaque genio indulgere ita coeperant novi conjuges, ut brevi tempore male parta male dilapsa non sine magno animi dolore cernerent. Heic autem, quum simul attenta et misera vita, simul labor, a quo desueverant, displiceret quam quod maxime; eo tandem rem deduxere inito inter se consilio vir atque uxor, ut judicem adirent, mendacioque

impudentissimo confirmarent, a Brunone pecuniam nequaquam parvam sibi deberi, tum quod plures annos uxor illi inservisset, tum quod mutuam dedisset, eamque in jure repetere. Judex non modo ab omni juris scientia, sed prope a communi sensu hospes et peregrinus, nec teste producto, nec tabulis prolatis, neque audito reo, debere Brunonem videri pronuntiavit, decrevitque, ut pecuniam petitori dissolveret. Quod ubi nuntiatum est, gravissime tulit Bruno non pecunia, sed infamia commotus. At amicus, jurisque consultus intervenit, susceptoque negotio, majorem judicem appellavit: qui sententia inducta, calumniatores ut carceri manciparentur decrevit. Quae quidem sententia ut ad Brunonem perlata est, dici vix potest, quantam ejus animo molestiam adsperserit. Quamobrem conquiescere neutiquam potuit, nisi multo labore suo perfecisset, ut illo supplicio eximerentur. Altero autem post mense contigit, ut mulier illa prius furax, deinde calumniatrix in graviorem morbum incideret, virque malitia non impar uxori ad Brunonem veniret, ac lacrimabundus rogaret, ne conjugem sineret omni ope destitutam vitam cum morte commutare. Nihil in Brunone fuit morae, quominus ad mulierem continuo properaret, eique opera et liberalitate sua adesset: qua liberalitate non solum aegrotantem, sed sanitati quoque restitutam, egestate illius cognita, prosequutus est.

Neque aliter cum hominis uxore se gessit ejus, qui anno cIↃIↃCCXCIX domum suam compilarat. Quum praedandi cupiditate inflammata plebs urbem circumcursaret, domosque civium diriperet, Brunoni tamen parcebatur. Adeo vel apud furiosam plebeculam vulgata erat illius in omnes benignitas, probatusque animus ab omni studio partium alienus. E vicinia tamen inventus fuit unus omnium teterrimus, qui nulla re prohiberi potuit, quomi-

nus domum invaderet, foribusque effractis despoliaret. Bruno ut redit, aedesque vacuefactas intuetur, mittit, qui praedonem rogaret, uti pretium mallet accipere, quaeque diripuerat reddere, quam apud se retinere. Ille arroganter superbeque hominem accipit, dimittitque re non impetrata. Interea uno alterove post mense ille ipse, quum pariendi difficultate conjux ad extremum vitae periculum adducta esset, noctu ad Brunonem venit repulsae timidus, singultim supplicique voce orat, ut uxori jam jam moriturae opem ferat. Vix ea loquutus erat, quum perhumaniter bene eum sperare jubet Bruno, exsilit e lecto, et semivestitus domum advolat, partum extrahit in lucem, mulieremque animam jam agentem a morte eripit. Tanta humanitate in eum usus est, qui non multo ante tempore hostilem fere in modum sibi domum eversam atque extersam reliquit. Quod profecto facere minime potuisset Bruno, nisi animum jam pridem ad Evangelii normam exegisset.

Etsi vero nemo esset, quin Brunonis singularem beneficentiam, effusamque liberalitatem admiraretur, ipse tamen adhuc officio deesse suo videbatur. Itaque eam rem ita constituit, ut singulos in menses viro pietate et doctrina clarissimo, congregationis S. Vincentii a Paulo presbytero, certum nec sane modicum argenti numerum clam omnibus traderet, qui ex animi sui sententia pauperibus dispertiendum curaret. Is autem presbyter patribus quibusdam, matribusque familias, quos norat in egestate vitam degere, argenti illius dividundi curam et officium suscepit. Hoc subsidio poterant illi liberos alere, atque erudire vel doctrinis vel artificiis, quibus instructi ornatique olim, quum aetas adolevisset, et sibi et civibus utilitati forent, neque aliena misericordia indigerent. Atque idem ille vir optimus confirmare minime dubitabat, si cuipiam in men-

tem veniret conficere tabulas, rationemque pecuniae per tot annos in pauperes erogatae subducere; illum certe quidem ad amplius xx millia nummorum aureorum hoc nomine Brunoni expensum relaturum. Eodem vero si accedat, quod hominibus ad se domum adeuntibus in diem largiebatur, quodque identidem certis quibusdam manu pleniore subministrabat; nae ingens atque major quam pro hominis privati opibus summa confieret. Bruno igitur, quum idem pecuniae contemptor exstiterit, idem sui in egenos profusus, mirari nequaquam debemus, si satis exiguam heredibus suis rem transmiserit. Est autem cur ii laetari potius, quam dolere debeant, quum amplissimam virtutis laudisque hereditatem, quovis patrimonio praestantiorem, relictam sibi fuisse intelligant. Omnes autem ex iis, quae cursim hactenus tetigimus, intellecturos arbitramur, quam altis in ejus animo radicibus defixa religio fuerit, quae tum eximiam in Deum pietatem, tum singularem in homines humanitatem atque beneficentiam pepererit. Illud sane maximo esset opere optandum, ut tanta virtus tam claro in loco posita, sicut plurimos excitavit admiratores sui, ita plurimos imitatores haberet. Tum enim jure huic saeculo gratularemur, quum divino ipsum munere auctum videremus ejusmodi, quo neque praestantius quidquam ad aeternam animarum salutem, neque utilius ad indigentium levamen dari mortalibus potest.

At enim, quum eadem in obeundis medici partibus esset sedulitas, idem ardor animi in praestandis religionis officiis, non idem vigor in homine, non firmitas eadem erat: sensim enim debilitari corpus ferrique in deterius videbatur. Firma quidem ille prosperaque erat usus valetudine usque eo, quod copiae regiae anno CIↃIↃCCXCVIII in Sangermani planitie tetenderunt: illuc enim missus fuit, qui medicis castrensibus ad tuendam militum sanitatem

delectis praeesset. Sed invitus demandatam provinciam suscepit, ea de caussa, quod cognitum haberet, naturam et situm loci maxime sibi incommodaturum. Atque vix primus abiit mensis, ex quo illuc venit, quum stomacho ita coepit laborare, ut toto fere tempore, quo inibi diversatus est, lecto infirmus decubuerit. Neque ex eo morbo, licet frugali semper mensa uteretur, ab omnique deliciarum genere abhorreret, plane sese confirmare in posterum potuit, habitumque illum corporis, quem natura sortitus sartum austero illo vitae instituto tectumque servaverat, recuperare. Hinc ejus valetudo modo podagra, modo chiragra tentari coepta est: quae quidem primo leviores, tum processu temporis graviores tanto impetu arripiebant, ut unum, alterum pluresque menses lecto adfigerent, domique continerent. Etsi vero maximo dolore afficeretur; tamen nec subirasci, nec queri, sed modeste qui se vel amicitiae, vel medicinae caussa inviserent, comiter, ut solebat, vultuque ad hilaritatem composito excipiebat.

Verum enimvero hae quaedam erant morbi, si fas est dicere, velitationes, e quibus victor digrediebatur Bruno; si tamen ea victoria dicenda est, unde viribus semper profligatior discedas, certa hosti, si paullo acrius institerit, praeda cessurus. Quod profecto citius accidit, quam timebatur. Nam anno proximo superiore, quum bene ipsi esset, neque ab opera quotidiana cessaret, dirus et exitialis morbus, quam αποπλεξιαν appellant Graeci, praeter omnium opinionem, omnibus veluti collectis viribus, in eum incubuit, ac prostravit mortui, quam vivi similiorem. Non enim mens, non ratio constabat: non oculi, non lingua fungebatur officio suo: dextera denique corporis totius pars obstupefacta sine motu, sine sensu jacebat. Ad hujus calamitatis nuntium doctissimi

ex urbe universa medici collegae et amico praesto fuere, omnia artis praesidia arcessere coeperunt, omnia tentare ac periclitari, unde si non salus aegro, aliquod certe levamen malo quaereretur. Sed tantae pestis vis minime frangi ac vinci potuit. Attamen aliquot post dies mens rediit, atque ad se adeuntes noscere coepit, quid dicerent intelligere, nutuque respondere. Illud vero dignum admiratione, quod, quum presbyter, quem vitae moderatorem habebat, Brunonem conveniret (neque quin conveniret ullum intermittebat diem) cumque eo de Religionis veritate, sanctitate, et praemiorum justis propositorum amplitudine colloqueretur, atque ad patientiam christianam excitaret; tum laetior quidam color et serenitas ore fundi videbatur: statimque ille oculis ad caelum sublatis, manuque sinistra (dextera, ut modo diximus, obstupuerat) ad pectus adducta, se pacem veniamque a Deo exposcere, et eamdem manum in Christum Jesum intendens in ipsius sanguine pro mortalium salute ac vita profuso spem omnem ponere significabat. Quod sane multo prae se clarius tulit eo tempore, quo sanctissimis Ecclesiae sacramentis refici voluit, et viaticum ad aeternitatis iter conficiendum sibi necessarium comparare.

Ergo ad VI fere menses jacuit semianimis, neque medicorum cura assidua et perdiligenti, neque, quod consilii postremo susceptum fuit, aeris purioris periclitatione levari quidquam ex illa morbi pertinacia potuit. Itaque Herculano, quo perductus spe valetudinis recuperandae fuerat, domum regreditur, ibique III non. Julias iterato ictu morbi virulentia Brunonem adoritur, et miseras illas vitae sensusque reliquias eripit. Ita LXIX aetatis anno supremum clausit diem vir incomparabilis, cujus vita sacrosanctis Religionis officiis, diuturna studiorum agitatione, perpetua in pauperes beneficentia, indefessa artis suae exercitatione traducta est.

Obitu autem illius pervulgato, vix credibile est, quantum omnes omnium ordinum homines jactura tanti viri condoluerint. Collegae decus et ornamentum, amici fidei et honestatis exemplum, omnes denique boni simulacrum morum antiquorum, pietatisque christianae e civitate sublatum esse querebantur. Pauperes vero parentem amantissimum lugebant, non solum miseriae perfugium, sed etiam praesidium valetudinis suae. Porro spectaculum erat miserandum, duo adolescentes optimos Brunonem et Franciscum Xaverium fratris filios, quos ille liberorum carissimorum loco habuerat, optimisque disciplinis erudiendos curaverat, videre corpori superfusos, vim lacrimarum fundere, atque externatos dolore manibus illis cum in omnes, tum in primis in se beneficentissimis oscula figere, parentemque suum interrupta singultibus voce conclamare. Licet autem summo moerore ex hujusmodi casus acerbitate confecti viderentur, nullum tamen officium justum et debitum illius virtuti et pietati suae praetermissum voluerunt. Nec propterea tantam per se gratiam patruo relatam esse arbitrati sunt, quantam omnino eximia ejusdem erga se merita postulabant. Itaque ex eo tempore non destiterunt in eo cogitationes studiumque locare, ut, quoad ejus fieri posset, patrui memoria honestaretur, et posteris mandaretur.

Postridie ejus diei elatus est ad Divi Vincentii a Paulo funere honestissimo, prosequentibus Regii Gymnasii Neapolitani professoribus. Presbyteri ejusdem congregationis post pie sancteque fusas ad Deum pro illius anima preces divina victima litaverunt. Vir clarissimus Aloysius Cassittius e Dominicana familia Regius Sacrae Theologiae Professor eum pro suggestu laudavit. Quibus ordine rituque absolutis, in communi Presbyterorum ipsorum sepulcro sepultus est, ut a quibus, dum vitam ageret, maxima ce-

perat documenta virtutum, cum iisdem post obitum compositus in pace requiesceret, ac mortuorum resurrectionem, repositamque sibi coronam gloriae exspectaret, quam Dominus erit in illa die justus judex redditurus.

Atque illud hoc extremo commentario addere mihi etsi ad exitum festinanti liceat; amplissimos, quos potuere, honores Brunoni e vivis sublato habitos a civibus suis fuisse. Is quidem, dum vitam vixit, patriam singulari caritate prosequutus est, nullamque illius tuendae praetermisit ornandaeque occasionem. Est profecto animis a natura sensus quidam ingenitus, quo quisque ad locum illum diligendum ducimur, ubi orti et procreati sumus. Ibi enim plurima passim praeteritae aetatis vestigia occurrunt, quibus excitamur, memoriaque pueritiae rudimenta repetimus et incunabula studiorum: tum parentum majorumque ora vultusque intueri, voces denique audire, oblata menti vana quadam, sed amabili specie videmur. Qua ex re fieri non potest, quin humanissima voluptate animus capiatur: unde in fictis etiam fabulis Ulysses, quo nemo fuit prudentior, dicitur tanto visendae patriae amore incensus fuisse, ut immortalitatem repudiarit. Id autem in illo cum primis hominum genere usu solet evenire, qui magna virtutis indole praediti, atque ab omni ambitionis studio remoti vitae rationem naturae maxime accommodatam persequuntur. Hinc ille Brunonis exstitit amor in patriam et cives suos minime vulgaris: unde profectum est, ut neque labori, neque impensae parceret, ubi eorum commodum, vel incommodum aliquod ageretur. Quum igitur ita res se habeat, facillime intelligimus; cur eum sui, quem nunquam sibi ullo in loco defuisse cognoscerent, neque, si tempus ferret, defuturum confiderent, tam prolixe amarent. Itaque ubi primum allatus est viri tam cari occasus, cogitari vix

potest, quantum e tam infausto nuntio dolorem universi susceperint. Ut autem sese collegere, magnificum, pro rerum copia, funus apparàrunt, inscriptiones apposuerunt, laudatione publice prosequuti sunt, nullamque grati in civem vita functum animi significationem posthabitam voluere. Quod illustri documento esse debet; nihil esse in vita ad demerendam hominum benevolentiam tam efficax, quam liberalitatem; nihil ad nominis laudem apud posteros propagandam, quam virtutem.

Cujus profecto veritatis lumen, quod ipsum per se tam insigni claritate lucet, si animos hominum pervaderet, eorumque praesertim, quibus affluunt copiae vel honesto labore quaesitae, vel majorum industria comparatae, tum laetari fruique incredibili quodam bono et prope singulari viderentur civitates. Quum enim liberalitas cum reliquis virtutibus consociata sese latius explicaret, latiusque quoquoversus funderetur; accidere quidem certe nullo modo posset, quin plurimos tam admirabili exemplo commoveri conspiceremus, atque ad idem vitae genus, eamdemque laudem conformari. Quod si nobis praestantissimo Dei munere obtingeret; gloriari sine ulla dubitatione possemus, habere nos, quod oratorum facile princeps Demosthenes Atheniensibus suis exoptabat praeclarissima illa sententia: Και γαρ και τ'αλλα ἀγαθα ἐυξαιμην αν ἐγωγε παῤ ἡμιν εἶναι πλειστα, και ανδρας ἀριστους και ἐυεργετας της πολεως πολιτας εἶναι.

EPISTOLAE

ET

DEDICATIONES

EPISTOLA I.

CAJETANO VERUSIO

TRIB. PLEBIS VIGILANTISSIMO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P.

Praeclare mecum agi existimavi, quum tu dato ad Parentem meum epistolio, mihi nihil tale suspicanti praecepisti, ut Inscriptiones, quae pro solemni Corporis Christi celebritate in Curia Populi figerentur, concinnarem. Itaque levidense quiddam (neque aliud ex hac ingenii exilitate elici poterat) pertexui crasso filo, et ad te perferendum curavi: non quo gloriolae (ecqua enim ea fuisset?) aliquid colligerem, sed ut plane, quanti tua apud me valeret auctoritas, intelligeres. Jam autem illae praeter opinionem meam, nescio qua de caussa, appositae non sunt: nisi forte ei stomachum fecerint, qui suas anteferri maluit. Ac persapienter is quidem: χρύσεα enim χάλκειοις. At ego, ne hoc meae in te observantiae argumentum, quantulumcumque id tandem sit, mihi deperiret, eas ad te formis expressas misi. Deus Opt. Max. te in laboriosissimo magistratu, quem summa abstinentiae, vigilantiae prudentiaeque laude Regi pariter ac civibus acceptissimus geris, ad populi utilitatem diutissime tutetur. Vale.

EPISTOLA II.

FRANCISCO DANIELIO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Josephus Castaldius idem tuus et idem meus, juvenis et moribus et litteris ornatissimus, ad me venit non multos ante dies, legitque mihi elegiam ad te belle sane conscriptam. Equidem prolixe, perinde atque res postulabat, hominem collaudavi; tum quod latinas musas, non illas quidem multatas exilio, sed infra mortuos jam pridem amandatas, ad vitam restituere; tum quod justo quodam in te debitoque pietatis officio fungi videretur. Atque haec ad Castaldium nostrum: nunc quid inde consequutum fuerit, cognosce. Carminis illius lectio, quo rerum tuarum praedicatio continebatur, musam mihi excitavit devexa jam aetate, et diuturno somno ferme consepultam. Itaque nescio quid reculae mihi insusurravit, quod ego in pluteum conjeci ea mente, ut esset blattarum et tinearum epulae, aut, sicubi usus foret, deferretur

. . . . . in vicum vendentem thus, et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

Quum autem elegantissimam de nummis Campanis dissertationem dono mihi a te missam oculis attente perlustrarem; repente mutato consilio, a nostra amicitia non alienum autumavi, versiculos illos exscribere, tibique sistere; non quo te hoc munere remunerarer, id profecto fuisset permutare

Κρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

sed quo meam de tua cum virtute, tum doctrina existimationem patefacerem. Tu igitur, qua soles benignitate, quantulumcumque illud sit excipito; sed ita excipito, quasi vetulam e somno modo expergefactam loqui tecum, et inter loquendum identidem dormitare existimes. Vale, meque, ut facis, ama. Neapoli pridie Non. Jul. cIↃIↃcccIII.

EPISTOLA III.

FRANCISCO DANIELI'O

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Domum tuam, Danieli praestantissime, ventitavi his superioribus diebus, quum Josephus frater tuus amantissimus aeger lectulo decubuit. Maximum equidem hausi dolorem, ubi e signis morbi ingravescentis, capi conjectura potuit, brevi nos tali et viro et amico carituros. Neque haec nos signa fefellerunt: isque paucis post diebus lucis hujus usura functus est; quae calamitas amicos omnes perculit sensu doloris acerbissimo. Sed statuere minime possum, an major esset illo ipso tempore animi mei aegritudo, quum in te oculos identidem converterem, videremque te, mi Danieli, ex fratris obitu lacrimis, squalore luctuque plane perditum. Atque, quod me maxime excruciat, dies ipsa, unde ceteris adversus dolorem solet medicina comparari, tantum abest, ut accepto vulneri ci-

catricem obducat; ut etiam, quasi venenatus unguis, exasperet. Id autem quantae sit amicis tuis molestiae, quantoque valetudini tuae detrimento vix potes, optime Danieli, intelligere. Adhiberem quidem aliquam tibi consolationem; sed, praeterquamquod ejusmodi genus orationis jamdiu tralatitium omnino sit, ego omnium unus minime sum huic rei accommodatus. Multo certe foret facilius, ut tu fratris, ita me amici jacturam lugere. Verum faciendus est dolori finis; quod profecto, ni fallor, una potissimum ratione fieri posse existimo, si illud velis, mi Francisce, cogitare; fratrem ex humanae vitae fluctibus ereptum in aeternae felicitatis portum esse perventurum. Quippe facinus est dubitare, quin Deus Opt. Max. hominibus, qui vitam ex Christi instituto duxerint, nihilque habuerint virtute antiquius, beatam immortalitatem proposuerit. Jam autem quae fuit Josephi tui pietas! qualis supremi Numinis reverentia! quanta in obeundis vel minimis Religionis officiis sedulitas! Hinc ille animus ita compositus, ut ad honestatem factus; hinc illi mores ita simplices atque ingenui, nulla ut unquam infuscati malevolentia viderentur. Neque porro pluribus hic aperiam, quam eximius ille fuerit justitiae cultor, et quantum a levicula etiam inferenda injuria refugerit. Qui vero eo sunt usi familiariter, norunt sane ipsius in pauperes liberalitatem: nunquam enim, quoad ejus facere poterat, aerumnosis ulla in re defuit: ac saepe de ipso audivi; se idcirco majores nonnunquam opes desiderare, quod major tum sibi foret copia sublevandae miserorum inopiae. Hic autem quispiam angetur, hominem, qui tot et tantarum virtutum exercitatione vitam ad ultimum usque spiritum traduxerit, e terreno domicilio demigrasse? An potius mirifice laetabitur, quod aetate pie casteque acta ad praemia sibi proposita evolarit? Quamobrem, si paullisper, ami-

corum optime, hanc cogitationem homine christiano dignissimam suscipies; confido equidem fore, ut praeclare cum fratre tuo actum esse tibi persuadeas; et lacrimas omnes luctumque abstergas. Plurimum enim abesset a gravitate tua, si ejus, quem feliciorem vitae conditionem nactum esse, et mortalitatem cum immortalitate commutasse autumares, vicem doleres, et discessum tantā vi lacrimarum defleres. At nescio quo pacto huc deflexerit epistola mea: ac timeo, ne, contra quam initio proposui, videar te consolari voluisse. Itaque ad ea, quae te his litteris volebam, veniamus. Tu quidem a me petisti, ut Josephi elogium conscriberem, quod sepulcro incidendum curares, atque extremo hoc tuae in illum caritatis officio defungereris. Etsi multis occupationibus distentus essem; tamen qua potui festinatione confectum ad te mitto. Vereor autem, ut sese tibi commendet cum aliis de caussis, tum maxime longitudine sua. Verum illud cogites velim, mi Danieli, tot amicissimi hominis laudes se mihi scribenti obtulisse, ut licet plurima subticerem, temperare tamen mihi nequaquam potui, quominus certas quasdam animi dotes, et initas studiorum rationes commemorarem; quibus adumbrata non corporis, sed mentis effigies posteris relinqueretur ad exemplum atque incitamentum. Sed quid est, quod me tibi hac in re purgem, quasi tu ignores, non unos apud Gruterum, Sponium, Fabrettum exstare sepulcrales titulos a Veteribus vel prorsa, vel versa oratione exaratos, qui nostro sunt prolixiores? Nonne tibi in illo tuo sanclementino Museo, non minore sumptu, quam labore comparato, quotidie ante oculos observantur complures inscriptiones bene longae, et graece et latine loquentes? Nemo igitur vitio nobis vertat, quod Antiquis impune abiit; liceatque nobis etiam stylo pro re nata moderari. Illud postremo te etiam atque etiam

rogo, Danieli ornatissime, obtestorque, ut consopitos quasi virtutis tuae igniculos excites; animum confirmes; valetudini, studiisque tuis consulas. Vale.

Ex Aedibus Seminarii neapol. x. Kal. Decemb. CIↃIↃCCCVII.

EPISTOLA IV.

JOSEPHO CASTALDIO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P.

Carolus frater tuus amantissimus mihi litteras tuas attulit, quae me non mediocriter delectarunt. Primum enim significarunt, te recte valere; deinde animo esse omni ferme molestia curaque soluto et libero. Quae duae res, ut optime tu quidem nosti, sunt ad bene beateque vivendum maxime accommodatae. Nolim autem inde suspiceris, me in Epicuri gregem transductum esse, qui summam hominis beatitatem in eo ponendam omnino sanxit, ut abesset a dolore, omnique jucunditate perfundetur; quam sententiam explicaturus, elegantissime, ut suus est mos, cecinit Lucretius:

. . . . Nonne videtis
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi utque
Corpore sejunctus dolor absit, mensque fruatur
Jucundo sensu, cura semota metuque?

Haec sane philosophandi ratio semper non solum a sententia mea, verum etiam a vita ab ineunte adolescentia suscepta longe abhorruit. Verum, ut ingenue quod sentio fatear, tam miti sum ingenio, atque ita natura ipsa com-

paratus, nunquam ut revera illa Stoicorum δογματα comprobaverim, semperque existimarim acerbiora, quam hominum natura ferre posset. Illorum doctrina, qui Platonem et Aristotelem, quales quantosque viros! sequuti, atque Academici et Peripatetici appellati sunt, intimo hominum sensui multo affiuior visa est, multoque aptior ad omnem humanitatem. Jam omnes hi statuere; virtutem quidem ad beatitudinem homini ducem esse debere: illam vero nec bonam valetudinem, neque honores, neque divitias, neque res ceteras, quae a fortuna proficisci dicuntur, si parta honeste sint, comites dedignari. At vide quo me alia omnia scribere cogitantem deduxit nescio quae mentis aberratio, quae maxime vereor, ne sint hoc et loco et tempore plane ἀπροσδιονυσα. Quare ad propositum revertamur. Carolus praeter tuas ad me litteras, illas etiam, quas ad amicum nostrum dedisti, tradidit: qua in re non mediocriter laetatus sum, meum consilium tibi probatum fuisse. Eas in amici manum tradere egomet constitui, sed domi id temporis non erat. Quapropter quum prospicerem difficile mihi fore eodem paucos intra dies (nosti enim quot curis distentus sim) redire; pluribus cum domestico quodam egi, ut statim atque se domum ille reciperet, tradendam curaret: quod facere rogatu meo gravatum non esse confido. Tu vero, mi Josephe, volo, bono fortique sis animo: omnia in tua virtute posita esse arbitrere; cui si non continuo, non multo certe post tempore suum persolvendum est pretium. Eodem accedit etiam opera amicorum tuorum, qui te in oculis ferunt, magnamque habent de industria tua conceptam exspectationem, sibique persuasere; hanc urbem principem esse veluti theatrum quoddam propositum, in quo sollertia tua debeat elucere. Vale, amicisque nostris dic verbis meis plurimam salutem. Neapoli ex Aedibus Seminarii VI Kal. Junias.

EPISTOLA V.

JOSEPHO CASTALDIO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. D.

Duobus ferme ante mensibus litteras tuas accepi humanitatis sparsas sale, et amoris insignes notis, quibus, quemadmodum amicitiae nostrae ratio postulabat, statim rescripsi. Jam ex eo tempore a te nihil litterarum: quae profecto res me non mediocriter sollicitum habet. Etenim quanam de caussa factum esse arbitrer, ut ad me tamdiu tu non scripseris? Num litterae ad te meae perlatae non fuerunt? At eam ob rem dare litteras debebas, ut, si nihil aliud, de negligentia certe mea mecum expostulares. An occupationes tuae te distinuere, quominus stylum in manus sumeres, et schedulam exarares? At nihil est hic illo sermone pervagatus, quam forum a litibus et litigatoribus omnino frigere, vosque plane ut ille cecinit:

> . . . . Somno, et inertibus horis
> Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae.

Itaque unum illud foret reliquum, ut existimarem, te aut oblivione amoris nostri, aut accessione dignitatis tuae scribere ad me gravatum esse: quorum alterum naturae, alterum moribus tuis maxime adversari exploratum habeo atque percognitum. Natura enim praeditus es prope mirabili ad laudem atque praeclara: quam, etsi sine doctrina per se ipsa ad honestatem plurimum valeret, optimis a te studiis conformatam, nec secundae, neque adversae

res a virtutis muniis obeundis retardarunt. Mores autem naturae tam bene comparatae mirifice congruentes effecere, ut neminem diligeres, quem non perspectum haberes: neque porro desereres, quem diligere semel coeperis. Atque haec mihi omnino persuadent; te litteras ad me dedisse, sed aliquo, uti fit, casu interceptas in itinere fuisse. Quod eo mihi videtur credibilius, quod publici cursus ratio non ita descripta est, ut non raro id accidere doleamus. Quidquid vero fuerit, hanc jacturam ut in posterum sarcias, te etiam atque etiam rogo: nihil enim litteris tuis mihi carius atque jucundius esse potest. Vale. Neap. Ex aedib. Sem. VIII Kal. Aprilis CIƆIƆCCCIX.

EPISTOLA VI.

EXCMO REVMOQUE DOMINO

JOSEPHO CAPYCIO-LATRO

SENIORI TARENTINORUM PONTIFICI

VIRO OMNIBUS POLITIORIBUS DISCIPLINIS ORNATISSIMO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

Ευχαιρειν και Ευπραττειν

INGENTES tibi ago, Vir amplissime, habeoque gratias, quod librum de gente tua Capycia tantopere quaerendum, ad meque mittendum curaveris: quem equidem, tanquam diuturnam famem expleturus, voravi incredibili aviditate.

Qui vero animi sensus in eo percurrendo sit excitatus, vel ex eo poteris intelligere, quod ad Musas confugerim, quae pro sua in te observantia, quid sentirem tibi meo nomine aperirent. Etsi quam bona cum gratia virgines illac delicatiores me exceperint, divinare non possum. Tu elegiolam (si hoc verbo uti fas est) legens, quae tua sollertia est, judicabis. Sed utut res ea cesserit, boni consulas rogo. Illud vero te quaeso obtestorque, ne aetas tua a scribendo deterreat. Singulis ferme saeculis vixisse μακροβιους minime ignoras, ex iisque non paucos extremam senectutem lucubrationibus non indoctis illustrasse multo, quam tu nunc es, natu grandiores. Ex remota antiquitate in mentem veniat, ut ceteros sileam, Isocratis, « qui eum librum, ut ait Tullius, qui inscribitur Panathenaicus, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur ». Ex aevo autem medio audi Cassiodorium de se memoriae prodentem: « Ad Orthographos excutiendos anno aetatis meae nonagesimo tertio, Deo adjuvante, perveni ». Sed cur vetera et aliena commemoro, quum nostra possum? Nostine Vincentium Curradum, hominem genialibus deditum studiis, neque a seriis alienum, quem animi corporisque viribus valentem per urbem juveniliter cursitare videmus? Nosti profecto: is octavum et nonagesimum annum jam jam initurus est; nihilo tamen secius se in christianae pietatis argumento elaborare, idque, quum perpoliverit, in lucem editurum confirmavit. Bono igitur praesentique animo sis, atque ingenium laetum ac fertile excolito, ut fructus pulcherrimos ferat, quibus aetas tua, quam in litteris summa cum laude et elegantia traduxisti, fiat clarior in dies atque illustrior. Verum illud precor atque obsecro, ut valetudinis cum primis rationem ad saeculi patriaeque decus habeas quam diligentissimam. Vale.

EPISTOLA VII. *

SANCTISSIMO DOMINO

DOMINO LEONI XII

PONTIFICI MAXIMO.

Vix Pontificatum auspicatus es, Beatissime Pater, quum tot ac tanta virtutis sapientiaeque christianae documenta praebuisti, ut, quam de te conciveras apud homines, exspectationem non aequaveris modo, sed longo etiam intervallo superaveris. Etenim, compositis publicarum rerum rationibus atque ordinatis, populos sublevasti: domus pontificiae sumptus prope eum intra modum, quem dignitas Pontificis pati posse videbatur, coercuisti: custodiae corporis, domusque tuae, ut ordo quidam esset ac modus, statuisti: auxisti Sanctorum cultum, aediumque sacrarum nitorem: pauperes alios aere alieno pressos, pecunia ex aerario creditoribus persoluta, ut ad nota opificia redirent, e vinculis liberasti; alios, quibus ad vitam alendam corporis debilitas viam omnem occluserat, ad mensam, cui tu adesses ac ministrares, adhiberi voluisti. Quae profecto, idemque genus non pauca clarissimo sunt argumento; te non ad perversam saeculi opinionem, verum ad illorum Pontificum, qui sese, Deique Ecclesiam

* Haec epistola Capituli et Canonicorum Metrop. Ecclesiae Neap. nomine inscripta, auctorem sibi vindicat Nicolaum Ciampittium.

celebrarunt, exemplum, gesturum fore Pontificatum, Magnique illius Leonis, Gregoriique vestigia persequuturum. Neque porro illud sine insigni laude praedicandum est; quod demissa Pontificis majestate, in rem praesentem sine ullo fere comitatu venire, atque improvisus Pauperum Hospitium invisere, atque omnia singillatim exquirere, omnia oculis lustrare, omnia manibus contrectare non sis dedignatus, quo majori diligentia suo quisque munere fungeretur. Atque eadem cura deinceps publica Urbis istius amplissimae opera, summa decessorum tuorum providentia instituta obiturus eras, nisi ardens animi tui studium gravissima repressisset valetudo, et ne tantae utilitatis propositum urgeres, intercessisset. Haec quidem certe quum per se illustria sint in summo Pastore, atque praeclara, tum vero mirum quantum Ecclesiae universae profutura sunt. In te enim, Beatissime Pater, tanquam in exemplari nobilissimo, defigere oculos poterunt omnes Ecclesiarum Praepositi, atque agnoscere in Crucis humilitate, perpetuaque animarum sibi a Christo Jesu creditarum cura Praesulum gloriam unice positam esse. Verum hae pontificatus tui laudes eximiae ad omnes virtutum tuarum admiratores pertinent: quae vero privatim ad nos spectant, nequimus, Pater Beatissime, sine ingrati quodam animi crimine praeterire silentio. Quarto fere abhinc mense sanctissimi decessoris tui litterae nobis denunciatae sunt, quae jubebant, canonicos ornamenta pontificalia, caeremoniasque ad decreti, quod iis adjunctum erat, Sacrae Rituum Congregationis praescriptum exigere oportere. Quod si Capitulo alicui majora, quam eo decreto praescriberentur, Sedis Apostolicae indulgentia permisisset; Canonici ipsam Congregationem adirent, quae rem cognosceret ac judicaret. Dicto, uti par erat, audientes monumenta in Capituli archivo adservata, quae Romam

per ferrentur, conquirere studebamus. Dum autem id satageremus; ecce prohibemur, ne pontificalia, usque eo dum caussa disceptaretur, usurparemus. Grave admodum id ac molestum omnibus visum est. Nam si hujusmodi interdicto obsequeremur, hominum vituperationem effugere minime poteramus, qui nos justissime reprehenderent; quod antequam caussam diceremus, perantiquam deseruissemus possessionem nullo unquam tempore interruptam. Quare id consilii cepimus, ut a celebritatibus peragendis abstineremus, ne de jure nostro decedere sponte videremur. Nulla autem mora interposita, collega noster, Canonicorum rogatu, Romam profectus est, qui Capituli nomine commune negotium gereret. At tantum non ea res accidit ad aures Sanctitatis tuae, statim rescripto pontificio edixisti; Capitulum, interea dum ea lis dijudicaretur, de juris sui possessione dejici non debere. Quod sane et aequitatis et benignitatis erga nos tuae non leve exstitit argumentum. Quid vero quod, licet ingenti gravissimorum negotiorum mole premereris, neque adhuc satis firma valetudine utereris, tamen ejusmodi controversiam cognitionis tuae esse voluisti? Id profecto nonnisi a parente filiorum amantissimo proficisci potuit. Postquam autem singula suis quaeque ponderibus per te ipse perpendisti: postquam cuncta pro Canonicis facere tua prudentia perspexisti; continuo litteras Capitulo sane quam honorificas exarari mandasti, per quas omnia honoris insignia, quibus a sanctissimis Pontificibus Pio V, et Benedicto XIII ornatum Capitulum fuerat, comprobasti, et summa auctoritate tua confirmasti. Neque id solum: sanxisti, ne cuiquam liceret, quaecumque ejus esset dignitas, aliter atque scriptae essent, litteras tuas interpretari. Adhaec; si quis secus, quae a te constituta sunt, interpretaretur sciens vel insciens, secusque judicaret, ina-

ne ejus fore atque irritum judicium decrevisti. Qua in re tuamne in nos beneficentiam, an caelestem sapientiam admirabimur? Tibi certe antiquiori curae non erat Canonicorum honor, quam Ecclesiarum, quibus vicaria Jesu Christi potestate advigilare et moderari debes, utilitas. Probe enim noras; ubi pax et caritas illa a Christo Domino Apostolis, atque ab Apostolis Pastoribus, et Christianis universis tantopere commendata radices egerit; quam multa in rem ecclesiasticam emolumenta pullulent et efflorescant. Quae profecto ad nihilum omnia sunt recasura, sicubi dulcissimum illud caritatis et pacis laxetur vinculum, vel abrumpatur. Huc animum advertisti in illa prolixae voluntatis tuae significatione, Pontifex Sanctissime, qui in omni vita nihil habes potiori curae, quam Ecclesiae bono inservire. Verum, ut ea fuerit sapientissimi consilii tui ratio, nihil tamen caussae est, cur nos tibi obstrictissimi esse non debeamus. Atque ingenue fatemur, Beatissime Pater, quum gratias tibi agere maxime gestiremus, orationem, quantum animo contenderimus, invenire non potuisse, quae beneficii tui magnitudini pro dignitate responderet. Dubitandum tamen non est, quin tantae munificentiae gratia, quamdiu Capitulum neapolitanum stabit, tamdiu perduratura sit ad hominum memoriam sempiternam. Nos vero, quemadmodum tristissimo valetudinis tuae nuntio perculsi ac prope exanimati ad Deum Optimum Maximum confugimus, ejusque opem incenso animorum studio imploravimus, ut te e praesenti periculo ereptum Ecclesiae suae sanum et valentem restitueret; ita in posterum nullum diem abire sinemus, quominus eidem omnium bonorum datori enixas preces pro tua incolumitate et felicitate ad fidei christianae decus et incrementum adhibeamus. Interea Beatitudini tuae advoluti pedes sanctissimos deosculamur; teque, uti nos fi-

lios obsequentissimos benedictione apostolica impertiaris, etiam atque etiam obsecramus.

Neapoli pridie Kal. Februarias An. CIↃIↃCCCXXIV.

SANCTITATIS TUAE

Humillimi, Addictissimi Devotissimique
CAPITULUM ET CANONICI METROP. ECCL. NEAPOLITANAE.

EPISTOLA VIII. *

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ALOYSIO RUFFO S. R. E. CARDINALI

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

Quum pridie quam hinc a nobis ad pontificia Comitia, Princeps Eminentissime, iter esses facturus, meministi qua obsequentis animi significatione Capitulum et Canonici tui te adierint, manumque deosculantes prospera, fausta et felicia fuerint ominati. Neque tamen hoc officio erga te persoluto contenti fuerunt; sed quotidie D. O. M. bonorum omnium largitorem deprecari nunquam destitere, ut itum moramque tuam in Urbe christianae Religionis arce ac praeside fortunaret, beneficentiaque sua tueretur. Dum vero, Comitiis absolutis, declaratoque summa omnium gratulatione Pontifice pietate, doctrina, pruden-

* Haec quoque auctorem sibi vindicat Nicolaum Ciampittium.

tia vere maximo, te propediem ad nos reducem exspectaremus, tristissimum affertur nuntium, te subita, gravissimaque morbi vi in amplissima beatissimi Apostoli Petri aede correptum, domumque reportatum lecto decumbere. Atque huc accedebat, quod ferebatur tanta esse febris violentia, ut de salutis vitaeque tuae periculo plerique pertimescerent; ac proinde ea de caussa sanctissimis Ecclesiae Sacramentis medici jusserint communiri. Haec majora fortasse quam reapse fuerint, rumor, ut fieri solet, per urbem differebat. Heic vel tacita cogitatione potes conjicere; quibus nos tanto a te intervallo disjuncti tristitiae fluctibus metum inter et spem jactaremur. Certe quidem non ita liberi de parentis amantissimi periculoso praesentique discrimine unquam doluere, ut nos de tuo angi conflictarique videbamur. Itaque in re tam trepida, quod unice supererat, ad Deum et Patrem Domini nostri Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis confugimus; eumque, qui moerentium preces non aspernatur, obtestati sumus, ut e tam ancipiti valetudine te eriperet, nobisque pro sua pietate incolumem reservaret. Neque id solum privatim fecimus; sed curatum quoque est, ut publice Deo precationes adhiberentur, quo faciliores admoveret aures votis plebis suae, quae in unum in Jesu Christi nomine congregata opem pro te atque auxilium imploraret. Benedictus Deus, qui humilium preces non despexit! Ex litteris tuo ad nos nomine datis, quas incredibili aviditate exspectabamus, intelleximus; te, divina benignitate, vi morbi perdomita febrique dispulsa, convalescere jam coepisse. Quibus profecto litteris perlectis, dici non potest quam celeriter timor ex animis nostris diffugerit, ac dolor in laetitiam conversus sit. Quemadmodum enim, sole oriente, nebulas, quae caelo incubuere, dispergi disjicique videmus, non aliter curas omnes de valetudine tua,

ac molestias detersas esse laetati sumus. Quamobrem ne tantula quidem mora interposita est, quominus maximas Deo, qui dives est in omnes, qui invocant illum, gratias ageremus, majoresque perpetuo haberemus pro tam prolixa eximiae in nos beneficentiae suae largitate. Tibi vero, Princeps Eminentissime, valetudinem divino munere recuperatam ex animo gratulamur, teque obsecramus, perdiligenter eidem consulas, quo fiat celerius, ut viribus redintegratis, pristinaeque saluti restitutus ad nos, atque ad Ecclesiam, quae sui pastoris desiderium libenter ferre nequaquam potest, advenias, et tuae incolumitatis rata sit ac perpetua laetitia. Interea manus deosculamur, omnigenamque felicitatem adprecamur.

Neapoli ..... CIƆIƆCCCXXIX.

Humillimi, Addictissimi Devotissimique
CAPITULUM ET CANONICI METROP. ECCL. NEAPOLITANAE.

EPISTOLA IX.

EMYGDIO CAPPELLIO

OPTIMAE SPEI ADOLESCENTI

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Accepi epistolam tuam museo sparsam lepore, et amoris insignem notis. Quod quidem me diligas et laudes, gratias ingentes ago; et cum amorem tuum, tum laudes, quibus ornatus a te sum, accepta unice refero humanita-

ti ac benevolentiae tuae; stultusque forem, si qua ex parte meritum esse existimarem. Quod vero te tantopere ament Musae, sinu complectantur, tibi vehementer gratulor: neque tamen (existimes licet, uti lubet) miror. Quidni enim virgines illae eruditae, adeoque omnis eruditionis altrices adolescentem diligant moribus suavissimis, ingenio praeclaro, bonarum denique artium perstudiosum? Videntur mihi officio fungi suo. At vide, quaeso te, ne illae illecebris suis ita alliciant et capiant, ut obliviscaris valetudinis tuae. En a nobis domum profectus, ut unius alteriusve mensis rusticatione animum annum ipsum litteris intentum relaxares, viresque reficeres, et firmior alacriorque ad nos atque ad studia tua redires; tu vero, quasi id pensi haberes, nullum intermittis diem, quin Parnassi rupes superes, Numina tua invisas, sacris operaris, neque, nisi hostia perlitata, ab ara discedas. Neque profecto is ego sum, qui inter te et Musas dissidium fieri velim, illas enim dilexi semper atque observavi; sed illud modo praecipiendum duxi, ita cum iis versari, ut tui quoque rationem habeas. Nam solent adolescentes magno disciplinarum amore incensi sibi minime parcere, neque valetudini perspicere; qua de caussa fit persaepe, in morbos ut incidant, adeantque vitae periculum. Id tu maxime vites censeo. Atque extrema hac epistola excusatum me habeas rogo, si serius, quam par fuit, litteris tuis rescripserim: postridie enim quam a Marchione patruo tuo, optimo eruditissimoque viro redditae fuere, Herculanum apud amicum et collegam meum diverti; ibique dies aliquot commoratus sum jucundissime beata illius regionis amoenitate illectus. Excusatum etiam habe, si atramento, quod e calamo properanti temere effluxit, illita sit epistola: non vacavit eam exscribere: malui humanitate tua confidere. Vale.

Neapoli xiv Kal. Novembris.

. . . .

EPISTOLA X. *

NICOLAO IGNARRAE

VIRO DE LITTERIS BENEMERENTISSIMO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. D.

Quantus e Salvatoris Aulae occasu dolor ad te, Vir amplissime, pervenerit, ego imprimis sum testis. Quum enim paucis ab illius obitu diebus ornatissimum sane juvenem Cajetanum Carcani officii caussa adiissem, tuque supervenisses; nulla alia de re, nisi de Salvatore nostro nobiscum plusculas per horas suavissime colloquutus es. Ex oculis autem, ore ac sermone ipso facile apparebat, te maximo amicissimi hominis, quicum una simul sub eadem Seminarii umbra, ac severissima, ut illa tempora ferebant, disciplina, tot annos conjunctissime vixisti, desiderio condolere. Extemplo intellexi, quam aptum praeclaros inter viros amicitiae vinculum virtus innectat, quod nemors quidem ipsa possit abrumpere. Jam vero vir optimus, qui apud me valet quamplurimum, enixe mecum egit, ut Salvatoris vitam litteris consignarem. Equidem, quum neque otii, quo longiorem scriptionem ingrederer, neque animi, quo illius auctoritatem declinarem, satis haberem; illud consilii cepi, ut

---

* Hac epistola auctor Nicolao Ignarrae vitam Salvatoris Aulae dedicavit.

prima quaedam quasi lineamenta ducerem, quibus hominem adumbrarem immortali memoria dignissimum. Hoc autem quidquid est reculae ad te misi; tum ut moerorem abstergerem commemoratione aetatis, officii, religionis ac studiorum agitatione traductae; tum vero, ut te rerum (fere enim omnibus vitae actibus vel affuisti, vel interfuisti) fundum atque auctorem darem; quod boni consulas etiam atque etiam rogo. Vale; teque ad litterarum incrementum serva diutissime.

Ex Aedibus Seminarii neapolitani IV Idus Septembres CIƆIƆCCLXXII.

EPISTOLA XI. *

CAJETANO ANGELINIO

SOCIETATIS JESU PROCURATORI GENERALI

JANUARIUS ET VINCENTIUS SIMONII

S. P. D.

Nemo ferme aequus rerum aestimator, Cajetane Angelini, exstitit in hac urbe frequentissima, quin maxima voluptate exsultaverit, postquam Societatem Jesu, longa jam annorum intercapedine nostris ex regionibus extorrem, quasi postliminio reducem, Regis sapientissimi providentia, ad lares suos revocatam fuisse rescivit. Id autem duplici cumprimis ex caussa accidisse prae se tulerunt uni-

* Haec epistola, quae exstat ante commentarios de re grammatica ab Emmanuele Alvaro concinnatos, etsi Januarii et Vincentii Simonii nomine est inscripta, auctorem tamen sibi adsciscit Nicolaum Ciampittium.

versi. Primum enim, ecquis non animi laetitia gestiret, quum tot operas, atque eas quidem optimas, cognosceret, uno veluti accitu ad excolendam Domini vineam accessisse? Nam etsi diligenter illa assidueque coleretur, tamen ex collato tam praestantium virorum labore uberrimos sane fructus in rem christianam redituros sibi quisque gratulabatur. Nec profecto dubium erat, quin Ecclesia Neapolitana tot tantisque aucta cultoribus in dies magis effloresceret, eoque tandem brevi deduceretur, ut reliquis orbis christiani Ecclesiis sanctimonia et pietate praestaret. Eodem porro addebatur (quod altera erat laetitiae caussa), Socios tuos, Angelini, juventutem, prout sanctissimi instituti ratio ferebat, litteris doctrinisque instituendam in se suscepturos. Perdifficile autem dictu est, quanti id hac praesertim tempestate aestimandum sit, in qua plerique omnes conqueruntur, ingens omnium artium optimarum fastidium animos adolescentium pervasisse. Etenim, qui paullulum aetate processere, nequeunt sine doloris sensu memoria repetere, quanta facta sit morum conversio, quantum juvenes a prisca severitate deflexerint, atque ad mollitiem desidiamque incubuerint. Nolumus autem heic adolescentium corruptelam persequi, ne satyram scribere videamur. Illud plane confirmamus, si quantum ipsi temporis industriaeque in corporis cultu, vestitusque elegantia adhibere solent, tantum in doctrinis ediscendis collocarent; nos optime moratam juventutem doctissimamque habituros. Quamobrem omnes intellexerunt, quam opportune, Angelini, huc advenerint Socii tui, quantumque sit ex eorum adventu in rem nostram boni redundaturum. Fore quippe sperant, ut illorum studio et contentione, mores ad severitatem revocentur, futilium rerum cupiditas evellatur ex animis, amorque inseratur bonarum litterarum. Idque iis factu facillimum esse animum induxe-

runt; quippe quod complures ex Societate viri ingenii doctrinaeque laude praestantes ad nos ex tota Italia vel confluxerint, vel propediem exspectentur. Quorum autem nomini conscriptis editisque voluminibus immortalitas est comparata; eorum certe in excitando et acuendo omnium animos ad litterarum studia quamplurimum valere debet auctoritas. Jam vero nos, quo in communi civitatis laetitia aliquam voluntatis in Societatem nostrae significationem ederemus, Commentarios de re grammatica ab Emmanuele Alvaro concinnatos, et ab Horatio Tursellino in compendium redactos typis describendos curavimus, quibus Socii ad imbuendos latinis litteris adolescentulos uterentur. Id autem consilii cepimus, Angelini, ut tuo inscriptos nomini in lucem ex officina nostra emitteremus: neque aliter nobis faciendum esse duximus. Tu enim Roma, ubi Procuratoris Generalis apud Pontificem munere fungebaris, huc profectus es; atque cum Rege nostre egisti, uti Societas in regnis Neapolitano, et Siciliensi instaurata constabiliretur. Quam quidem rem plurimis septam difficultatibus, qua polles prudentia et dexteritate, paucos intra menses ad exitum perduxisti. Itaque si tibi uni Societatis in hisce regnis restitutae gloria debetur, committendum non putavimus, ne liber is tibi inscriberetur. Illud demum te, quod fecimus, aequi bonique consulas, rogamus. Vale.

EPISTOLA XII. *

JOANNI ANDRESIO

E SOCIETATE JESU

VIRO DE LITTERIS UNIVERSIS BENEMERENTISSIMO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. D.

Fieri nequaquam potest, Andresi doctissime, quin virtus multos habeat admiratores et laudatores sui; utcumque saeculum, in quo excellere illa atque eminere visa sit, ad ignaviam et desidiam deflexerit. Quod magno argumento esse mihi solet, homines ad honestatem effingi naturà ipsa et comparari; secus enim nihil fóret omnino, cur tantopere commoverentur virtutis luce oculis, aut animo occursante. Id profecto, cum saepe alias, tum vero proximis hisce mensibus apud nos usu evenisse intelligere potuisti. Etenim postquam de Viti M. Juvenatii e Societate olim tua viri ingenio et doctrina praestantissimi obitu tristis Roma perlatus est nuntius; ecquis non modo ex amicis, quos heic habuit complures, verum etiam ex iis, qui vix hominem norant, ecquis, inquam, illius occasu non indoluit? ecquis desiderio non est affectus? ecquis denique summis in caelum laudibus non extulit? Danielium vero nostrum, cujus mores et eruditionem

* Hac epistola Elegiam in obitum Viti M. Juvenatii auctor inscripsit Joanni Andresio.

pro mutuo inter vos amore perspecta habes, ut in illo omni officiorum genere excolendo omnes anteivit, ita maximum e viri amicissimi interitu luctum cepisse tute testis es. Jam autem lacrymis lapsu temporis consumptis, et vulnere, quod acceperamus, coeunte, quum idem Danielius mecum domi suae dulcissime, quod fit saepenumero, de litteris et litteratis hominibus colloqueretur, ac sermo, ut aliud ex alio, in Juvenatium, ejusque non mitiora solum, sed severiora etiam studia incidisset; tandem eo rem deduxit, ut me ad scribendam in illius obitum Elegiam hortaretur. Equidem neque viri amantissimi auctoritatem, qua valet apud me plurimum, defugere; neque Juvenatii, qui me non mediocriter dilexit, laudi, quantulacumque proficisci a me posset, deesse minime potui. Itaque hos elegos exarandos, tibique inscribendos curavi; non quo hujusmodi scriptiunculam te dignam duxerim, novi enim quantam editis in lucem voluminibus πολυμαθίας tuae opinionem apud omnes excitaveris; sed quod socii laudationem ad socium mittere non abs re fore existimavi. Equidem confido, te, quae tua in omnes humanitas, meaque in te observantia est, id consilii non improbaturum. Denique pergratum mihi feceris, si non quid scripserim hoc carmine, sed qua voluntate scripserim tecum ipse consideraveris. Vale, Vir doctissime, teque ad litterarum decus augendum serva quam diutissime.

Neapoli pridie Non. Decembr. CIↃIↃCCCVI.

EPISTOLA XIII. *

JOACHIMO NAPOLEONI

UTRIUSQUE SICILIAE REGI

P. F. A.

LABENTIS DISCIPLINAE STATORI

INSTITUTIONIS PUBLICAE PRAEFECTUS

ET DUUMVIRI SCHOLIS REGUNDIS

Opus juventuti in litteris quoquoversus instituendae commodissimum, tua, Rex optime, liberalitate auspicioque susceptum, ubi primum e typis prodeundi in lucem copia data est, tibi confidentissime sistitur, ac tuae Majestati dicatur. Quum enim litterae ab auspicatissimis tui imperii primordiis, spatio ad haec tempora tam brevi, eo in civitate dominatus devectae sint, ut cum belli artibus tibi usque in vita carissimis de principatu in animi tui augusta sede locando contendant: quumque in ambiguo sit bellicaene foris pene infinitae laudes, an illae plane domi regnantes magis tuae sint dicendae; quid opportunius, vel cui gratius offerri poterat, quam tibi in ista artium contentione fovenda peraeque studioso? Itaque

* Haec epistola, quae exstat ante librum, cui titulus: *Universae disciplinae elementa in usum scholarum regni neapolitani,* auctorem sibi vindicat Nicolaum Ciampittium.

non demiramur, quum te dissitissimis terris aspera belli praepediant, nos domi quoque ad omnes litterariae promovendae rei opportunitates ubique praesentem persentiscere. Nunquam enim alias, quam hoc tempore, vidimus, neque bonas artes singulari patrocinio fidentius praegestire, neque ephebia auctibus ditata alacrius inflammari, neque litteratorum conlegia munificentia tua, quasi quodam affrictu ignescere, neque tandem, quod abnorme in scholis erat, fugato et extorri, per nos, quos disciplinae exactores, tuaeque in ea re voluntatis administros esse voluisti, tirocinia litterarum universa ad unam emendatamque rationem revocari. Habes itaque principes Classicorum, augustanos viros, totius latinitatis antistites, veraeque disciplinae adsertores, provolantes ad te diligentiae nostrae fidem diu oppignoratam ex parte soluturos. Tu vero, Rex invictissime, quod gloria tua jubet, patiare, ut in occursu primo sive ad hostes prodeuntem, sive nivali solo hiberna servantem, sive demum (quod Superi faxint) ad nos jam in via reducem, alterum a Napoleone M. *Sarmaticum* romano ore te illi salutent.

Neapoli Kal. Dec. Anno cıɔıɔcccxıı.

Tuae Majestati addictissimi

MATTHAEUS GALDIUS

NICOLAUS CIAMPITTIUS

ALEXIUS PELLICCIA.

EPISTOLA XIV. *

VIRO EXCELLENTISSIMO

ALOYSIO MEDICAEO

FERDINANDI REGIS A SECRETIS

ET ADMINISTRANDIS REGNI UNIVERSI VECTIGALIBUS

PRAEFECTO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Quanti nobilissimam domum tuam fecerit Franciscus Danielius, quantaque coluerit observantia, norunt universi. Quae autem ejus exstiterit in te praesentem voluntas, tute testis esse potes: qua vero honoris fuerit benevolentiaeque significatione absentem prosequutus, testes appellare possem quamplurimos. Quamplurimi enim persaepe illum audiere id temporis praedicantem, vix unum ex hominibus nostris alterumque reperiri, qui tecum ingenii praestantia conferri posset; qui vero anteferretur, esse neminem. Quam hominis singulari judicio, atque a tenuissima adulationis suspicione maxime alieni sententiam praeclarae illae maximaeque res, quas gessisti ac geris in hoc altissimo dignitatis gradu collocatus satis su-

* Hac epistola Aloysio Medicaeo auctor inscripsit commentarium de studiis scriptisque Francisci Danielii.

perque comprobarunt. Hujus equidem viri studia et scripta brevi complexus sum commentario: quem si ad te mitterem, minime ingratam me tibi rem facturum esse autumavi. Etenim ex eo si perpusillum subsecivi temporis nactus eris, licueritque illuc oculos conjicere, veterem amicum tui tuorumque amantissimum poteris agnoscere; eidemque veluti apud te diversanti non exiguam gloriam animi ingeniique virtutem comparatam identidem gratulari. Munusculum igitur levidense illud quidem, crassoque, ut ille inquiebat, filo, sed mutuae inter me ipsumque amicitiae debitum ne pro tua humanitate accipere dedigneris, etiam atque etiam rogo. Vive, excellentissime Vir, valeque quam diutissime.

EPISTOLA XV. *

AD FERDINANDUM I.

UTRIUSQUE SICILIAE REGEM.

Rex celsissime

Nulla debent monumenta Principum optimorum animo esse gratiora, quam populorum subditorum laudes et gratulationes caritate expressae litterisque consignatae. Statuas enim, columnas, arcus, etsi diuturnam aetatem ferant, absumit tamen conficitque tandem vetustas: illae vero senis avidissimi voracitatem adspernatae ad sempiternam posteritatis memoriam produntur beneficiorum

* Haec epistola exstat ante lucubrationes habitas in Regia Studiorum Universitate pro recuperata valetudine Ferdinandi I utriusque Siciliae Regis.

praestantiam et magnitudinem perpetuo praedicaturae. Quapropter quum in tanta omnium ordinum laetitia pro recuperata valetudine tua gestientium silere turpe nobis fore duceremus, has grati obsequentisque animi significationes edendas, tibique hoc faustissimo natali die tuo offerendas curavimus; quas ut placido serenoque vultu excipias, te, Rex indulgentissime, rogamus enixe atque obsecramus.

Majestati tuae

Devotissimi et Addictissimi

RECTOR ET PROFESSORES ARCHIGYMNASII NEAPOLITANI.

EPISTOLA XVI. *

VIRO EXCELLENTISSIMO

DONATO TOMMASIO MARCHIONI

S. FERDINANDI S. JANUARJ

DEIPARAEQUE SINE LABE CONCEPTAE

CINGULIS HONORATO

FRANCISCUS AMANTHAEA

P. S. D.

Nemo est, Vir excellentissime, in urbe tam frequenti, quin Brunonis Amanthaeae patrui mei obitum tulerit

* Epistola haec, quae exstat ante commentarium Brunonis Amanthaeae, etsi nomine Francisci Amanthaeae inscripta est, auctorem tamen sibi vindicat Nicolaum Ciampittium.

permoleste, cum pro doctrinae artisque praestantia, tum vero pro modestia, comitate morumque probitate singulari. Quanta autem acerbitate me, fratresque meos illius occasus perculerit, verbis adsequi nequaquam possum. Ipse enim nos a pueris non ut fratris filios, sed ut suos impense dilexit, habuitque perquam liberaliter, nullumque paternae adversus nos caritatis officium praetermisit. Qua de re ut tam gravis doloris sensum si non plane abstergeremus, at aliqua ex parte leniremus, illius vitam resque gestas litteris consignandas curavimus. Arbitrati enim sumus illum etsi vita functus esset, victurum tamen scripto expressum, et nobiscum quasi versaturum. Hanc autem scriptiunculam ad te, Vir excellentissime, mittere decrevi. Patruus enim, dum viveret, nulla alia de re magis, quam de sua in te observantia, deque tua in se benevolentia laetabatur, domesticisque saepe sermonibus solebat usurpare egregiam doctrinam et eximiam virtutem tuam. Quae quidem tanta exstitisse praedicabat, ut merito tuo tot tamque praeclaris honoris insignibus ornatus ad tantam dignitatem et amplitudinem perveneris. Illud autem te rogo ne subeat admirari, cur tanto post intervallo, quam promiseram, hic commentariolus prodeat in lucem. Etsi enim paucis ab obitu *του μακαριτου* mensibus conscriptus ille fuerit, praeloque jam paratus; tam multae tamen, quas, ne te morer, silentio praetereo, subortae caussae sunt, ut ad hanc usque diem dilata res fuerit. Quidquid vero de eo sit, te etiam atque etiam obtestor, ut eadem patruum meum, quam vivo praestitisti, benevolentia demortuum prosequaris; et me, qua es humanitate, sinas quantulumcumque hoc rei sit nomini tuo inscribere, neque parvam hujusmodi studiosae in te voluntatis meae significationem dedigneris. Vale, et vive quam diutissime.

EPISTOLA XVII. *

DONATO LILIO

ORNATISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Oblitum non esse te arbitror, Donate amicissime, quod proximo autumno accidit, quum in perjucundo paradisuli secessu essemus, primaque nocte, quod facere solebamus, inter nos, quidquid in buccam veniret, dulcissime colloqueremur. Ego profecto memini tibi narrare, me hieme superiore graviter ab oculis laborasse, ut simul atque ad lucernam lecturus aliquid, aut scripturus adsiderem, statim oculi humescerent, et pene illacrymarent. Itaque ne plane essem, illis praesertim longioribus noctibus, otiosus, elegiam in *Mariam Virginem* meditari coepisse. Ea de re quoties ab interpellatoribus vacabat, versiculos aliquot mecum ipse concinnare instituisse, memoriaeque infigere. Mane vero postquam lectulo exsurgerem, atque lucesceret, chartae memoria repetentem illinere. Quod quum iterum saepiusque factum esset, eum mihi plurium noctium fetum conceptum, eductumque esse, tempore ipso opem obstetriciam ferente. Hac narratione excitari tu quidem visus es, a meque, ut carminis

* Hac epistola Elegiam in Mariam Virginem Donato Lilio auctor inscripsit.

illius copiam facerem, postulasti; atque quum paucos post dies reddidisses, auctor mihi hortatorque fuisti, ut in lucem emitterem. Ego pro nostra amicitia a prima adolescentia, quum in Seminario neapolitano a doctissimis sanctissimisque viris bonas disciplinas erudiebamur, inita, et ne levi quidem friguscolo ad id aetatis intercepta, negare ausus non sum, atque tibi recepi cohortationi me tuae minime defuturum. Quanquam ille mihi scrupulus saepe injectus est, te non quod probari digna esset visa, elegiam illam probasse; sed quia Virginis Sanctissimae, quam a puero singulari amore coluisti, laudes complecteretur: eaque de caussa voluisse, ut id tuae meaeque in Dei Matrem pietatis monumentum exstaret. Verum ut ut res tulerit, tuo viri amicissimi consilio obsecundare malui, quam diutius pensitare, quid existimationis meae ratio postularet. Liberavi igitur fidem meam, et quidquid hujus carminis sit, praelo subjiciendum, atque ad te mittendum curavi. Vale.

VI. Kal. Decembris CIƆIƆCCCXII.

EPISTOLA XVIII.*

ADOLESCENTI NOBILISSIMO

FELICI DONATI TOMMASII MARCHIONIS FILIO

NICOLAUS CIAMPITTIUS

S. P. D.

Miraberis fortasse, Nobilissime Adolescens, quid caussae fuerit cur orationem proximo superiori mense a me in Gymnasii neapolitani aedibus habitam ad te potissimum miserim. Sed desines mirari, meumque factum boni consules, quum consilii mei rationem intellexeris. Ingenium quidem tuum, et amor prope singularis, quo ineunte vix adolescentia in bonas te litteras ferri pervagatus per urbem sermo est, me impulere, ut hoc quodcumque rei est tibi inscriberem. Etenim quemadmodum ex arbusculis fertili in agro satis, si quam forte fortuna maturius quam reliquas, et laetius in frondes se induere, ramulosque emittere cernimus, ominamur profecto uberiores ex ea fructus gratioresque tempore nos suo lecturos esse; ita ex tuis, ut ita dicam, crepundiis, qualis olim aetate corroborata futurus sis, et quid de te polliceri nobis debeamus, nec levi nec dubia conjectura auguramur. Atque licet domi habeas Parentem tuum virum amplissimum omnique lau-

* Hac epistola orationem babitam in neapolitano gymnasio an. CIↃIↃCCCXXV Felici Tommasio auctor dedicavit.

dum genere ornatissimum, unde virtutum omnium et doctrinarum exempla sumas; nequaquam tamen abs re fore putavi, his etiam vocibus aures tuas circumsonare. Tu vero, adolescens optime, ut coepisti perge, atque exspectationem tui, quam apud omnes excivisti, cura tuearis, atque adeo vincas. Quod profecto facile adsequere, si de via, quam pater a primo juventutis flore decurrit ne latum quidem unguem divertas. Ita fiet, ut ad idem gloriae honorisque fastigium, ubi illum merito suo locatum suspicimus, tu quoque labore studioque tuo perducaris. Vale.



APPENDIX

TRACTATUS*

DE PONDERIBUS, MENSURIS ET NUMMIS VETERUM GRAECORUM.

CAP. I.

DE PONDERIBUS.

Inter pondera graeca fama atque usu maxime praecellunt attica, quorum praecipuae species *Talentum, Mina, Drachma, Obolus*. Determinabimus primo *Drachmam*; hac enim cognita, nec reliqua nos latebunt. Qua quidem in re ex accuratissima Joan. Casp. Eisenschmidii disquisitione, quae tironum usui magis accommodata videbuntur, excerpemus, et fere κατὰ λεξίν huc transferemus.

Δραχμη, *drachma*, communiter denario romano veteri comparatur, quorum 7 in uncia, 84 in libra continentur. Plin. L. XXI c. ult. *Drachma*, inquit, *attica (fere enim attica observatione Medici utuntur) denarii argentei habet pondus*. Scribonius Largus ad Callistum: *Erit nota denarii pro graeca drachma : aeque enim in libram denarii 84 apud nos, quot drachmae apud Graecos occurrunt.*

---

* Hic Tractatus a Nicolao Ciampittio exaratus exstat pro appendice ad calcem operis Lamberti Bos, hac epigraphe consignati: *Antiquitatum Graecarum, praecipue Atticarum, descriptio brevis.*

Mina attica, Μνᾶ, centum fuit drachmarum, unanimi scriptorum consensu. Plin. L. XXI c. ult. *Mna, inquit, quam nostri minam vocant, pendet drachmas atticas centum*. Fannius:

> Accipe praeterea patrio quam nomine Graji
> Μνᾶν vocitant, nostrique minam dixere priores,
> Centum hac sunt drachmae.

Talentum atticum, Τάλαντον, sexaginta fuit minarum, seu sex millium drachmarum, iisdem, ut supra, testibus. Fannius iterum:

> Cecropium superest post haec docuisse talentum:
> Sexaginta minas, seu vis, sex millia drachmas.
> Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.

Drachmae atticae sexta pars dicebatur Obolus, Ὀβολός. Plin. L. XXI c. 43. *Eademque* (drachma attica) *sex obolos pondere efficit.* Supervacaneum esset plura auctorum loca adscribere, quum universi consentiant.

Χαλκοῦς, *aereolus*, sexta pars erat oboli. Suidas ex Diodoro: Ὀβολὸς παρ' Ἀθηναίοις ἓξ ἔστι χαλκῶν: *Obolus apud Athenienses sex est aereolorum*. Plinius vero *l. c.* decem chalcos obolo tribuit. Juxta Cleopatram et Pollucem L. IX chalci octo obolo obveniunt. Secundum Dioscoridem nonnisi tres. Adeo omnia sunt incerta, prae primis quum pondera et monetae diversi metalli, sed cognomines interdum soleant inter se confundi. Septem praeterea Λεπτά Suidas chalco adscribit. Sed ultra obolum ejusque dimidium Ἡμιωβόλιον, pleraque sunt dubia: itaque in eo et nos acquiescimus, concludimusque cum Fannio:

> Nam nihil his obolove minus, majusve talento.

CAP. II.

DE MENSURIS CAVIS ATTICORUM.

Cavae Atticorum mensurae vel ad liquida pertinent, vel ad arida, vel utrisque sunt communes. Ad utrumque genus spectant Χους sive Χοευς, *congius; Ξέστης*, *sextarius;* Κοτύλη, *cotyla*, seu *cotula;* Ὀξύβαφον, *acetabulum;* Κυαθος, *cyathus*. Ad liquida solum mensuranda in usu fuerunt Μετρητης, *metretes* sive *cadus*. Pro aridis Μέδιμνος, *medimnus;* Εκτευς, *sextans;* Χοῖνιξ, *choenix*.

Ex his considerabimus primo notiora, qualis est Κοτυλη, *cotyla*. Huic antiquitus pro pondere aquae, vel vini adscriptae fuere drachmae sexaginta, teste Plinio de mensuris atticis, seu Medicis agente L. XXI cap. ult. *Quum acetabuli mensura dicitur, significat heminae quartam partem, idest drachmas XV*. Jam vero Plinius ceterique scriptores passim heminam, quae mensura romana est, cum cotyla attica exaequant. Audi Fannium:

> At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
> Heminas, recipit geminas sextarius unus.

Quamobrem, si ex Plinio XV drachmae heminae, seu cotylae pars est quarta; certe drachmae sexaginta cotylam, uti diximus, aequabunt.

Ξέστης atticus duas continebat cotylas, quemadmodum sextarius romanus duas habebat heminas.

Χους, *congius*, mensura fuit sex ξέστων, sive sextariorum, vel duodecim cotylarum. Cleopatra in Cosmet. haec habet: Ο' Χους ἔχει μέτρῳ μὲν κοτυλας ἀττικὰς δωδεκα, ξέςας δὲ ἕξ. h. e. *Congius habet mensura quidem cotylas atticas duodecim, sextarios vero sex*.

Μετρητὴς, Κάδος, Κεράμιον, *metretes, cadus, ceramium:* attica mensura duodecim congiorum. Nicandri Scholiastes: Ο' μετρητὴς ἔχει ξέςας ἑβδομήκοντα δυο. h. e. *Metretes habet sextarios septuagintaduo.* Qui profecto congios duodecim conficiunt.

Αμφορευς Graecorum a Cleopatra et Scholiaste Nicandri traditur trigintasex sextariorum; adeoque metretae dimidium: aliis tamen pro ipso metreta placet sumere.

Reliquae atticarum mensurarum, scilicet Τέταρτον, *quartarius;* Κυαθος, *cyathus;* Ο'ξυβαφον *acetabulum,* eamdem ad ξέστην habebant rationem, quam eaedem apud Romanos mensurae ad sextarium habuere. Itaque Quartarius sextarii quarta pars fuit. At de acetabulo ex Plinio L. XXI. c. ult. discimus: *Quum acetabuli mensura dicitur, significat heminae quartam partem,* ideoque octava pars sextarii. Cyathus autem fuit ejusdem sextarii pars duodecima. Romanis enim sextarius, non secus atque As, in duodecim cyathos, quasi in totidem uncias dividebatur: unde Sextantis (2 cyath.), Quadrantis (3 cyath.), Trientis (4 cyath.), Quincuncis (5 cyath.) etc. nomina poetis in re convivali maxime usitata.

Inter mensuras atticas aridorum Μέδιμνος, *medimnus,* sex modios romanos capiebat; quod luculente docet Cornelius Nepos in Pomponii Attici vita: *Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam universos* (Athenienses) *frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur, qui modus mensurae Medimnus Athenis appellatur.*

Χοῖνιξ, *choenix,* ἡμεροτροφὶς, item ἡμερησία τροφη dicta, quod praestet victum diurnum unius hominis. Hanc quadragies octies in medimno contineri, unanimis est auctorum veterum consensus. Octo igitur choenices modio insunt, sicut duo sextarii uni choenici, cujus rei testem

habemus, praeter Marcellum et Paulum Aeginetam, Galenum, aut quisquis fuerit auctor libelli operibus Galeni adnexi *de Mens. et Pond.*, cujus verba merentur, ut heic apponantur: *Modius aegyptius et italicus habet choenices* 8. *Choenix sextarios* 2. *Sextarius* 2 *semisextarios, quas etiam heminas vocant. Hemina vero continet cyathos* 6. *Atticus autem medimnus habet hemiecta* 12. *Hemiectum capit* 4 *choenices: ut medimnus habeat modios* 6, *choenices* 48, *sextarios* 96.

Praeter enumeratas multae aliae occurrunt mensurae graecae et barbaricae, quas diligenter collegit Hostus. Paucas tantum percurramus.

Αχάνη, *achana*, mensura persica, teste Aristotele, capiebat medimnos atticos 45, ut habet Suidas. Alia est achana mensura frumenti in Boeotia, quae capit medimnum unum, apud Hesychium.

Αρτάβη, *artaba*, triplex a tribus regionibus fuit. Persica ex Herodoto cepit medimnum atticum, et tres choenices. Medica, teste Suida, idem erat, ac medimnus atticus. Artabae aegyptiacae Anonymus graecus (vulgo Galenus) adscribit quinque modios aegyptiacos, seu italicos, idest sextarios 80.

Καπίθη, *capitha*, apud Xenophontem L. I. Exped. Cyri, duas choenices atticas capiebat. Sed secundum Hesychium capax duarum cotylarum erat.

Αδδιξ, *addix*, Hesychio et Scholiastae Homeri Odyss. VII mensura est quatuor choenicum.

Αλαβάστρον, *alabastrum*, cujus fit mentio Marc. XIV 3. Luc. VII 37, Epiphanio est sextarii dimidium.

Κόφινος, *cophinus*, mensura boeotica, Polluci L. IV, et Hesychio capiens congios tres.

Λάγηνον, *lagena*, apud Athenaeum L. XI, mensura est 12 cotylarum.

Μάρις, Μάρης, *maris*, Polluci L. IV et X est cotylarum 6 capax.

CAP. III.

DE MENSURIS INTERVALLORUM.

Mensurae intervallorum non minus a corpore humano desumptae fuerunt apud Graecos, atque apud Romanos, qui haud dubie ab illis eas mutuati sunt.

Δάκτυλος μικρὸς, *digitus*; Δάκτυλος μέγας, *pollex*; ἡ Παλαιστὴ, sive ὁ Παλαιστής, alias Δοχμὴ, item Δῶρον, *palmus*, quatuor digitorum, vel trium pollicum; Σπιθαμὴ, *spithama*, *dodrans*, 3 palmorum, seu 12 digitorum, est intervallum a maximo digitorum ad minimum. Aliae ejus species sunt Λιχὰς, 10 digitorum, est extensio pollicis indicisque; Ὀρθόδωρον, 11 digitorum, est mensura a carpo ad digitorum summitates.

Ποὺς, *pes*, Herodoto τετραπάλαιστος: apud Suidam: Ὁ πους ἔχει δακτυλους ις'. *Pes habet digitos* 16. Quantus fuerit noscitur e stadio. Fuit hoc pedum 600 apud Graecos: at juxta mensuram Romanorum, fuit pedum suorum 625, quod testantur Plinius et Columella. Est ergo pes graecus olympicus, sive herculeus ad romanum in ratione 25 ad 24. Sed pes romanus antiquus habet $1324\frac{1}{2}$ partes pedis parisini. Ergo graecus $1379\frac{3}{4}$, seu rotunde 1380 partium earumdem, quae aequivalent partibus milles. pedis Rhinland. 992. Atque in hoc fundatur universa mensurarum graecarum ratio.

Πῆχυς, *cubitus*, quantum a flexu brachii pergit ad finem medii digiti, aestimatur digitis 24, aut sesquipede. Sunt praeterea aliae cubitorum decurtatorum species duae.

Πυγμὴ, quantum a cubito usque ad extremum metacar-

pium, 18 digitorum. Πυγων, mensura a cubito ad nodos medios digitorum, 20 est digitorum. Comparandus itaque palmipedi Romanorum.

Βῆμα διπλουν, *gressus duplex*, passus geometricus. Βῆμα ἁπλουν, *gressus simplex*. Ille est pedum 5, hic 2 ½.

Οργυιὰ, *orgyia*, ambarum manuum extensio, Herodoto L. II est mensura Τετράπηχυς, h. e. mensura 4 cubitorum: ab eodem Εξαπόδης dicitur a 6 pedum magnitudine. Aliis vocatur Ωλένη, *ulna*.

Πλέθρον, *plethrum*, apud Suidam habet pedes 100. Apud Herodotum est sexta pars stadii: latus jugeri quadrati. Apud Plutarchum in Camillo pro ipso jugero sumitur.

Στάδιον, Στάδιος, *stadium*. Herodotus L. II. Αἱ ἑκατον ὀργυιαι δἰκαιαὶ εισι ςάδιον ἑξάπλεθρον: *centum orgyiae justae sunt stadium sex plethrorum*. Constat etiam ex reliquis scriptoribus consensu unanimi, stadium longitudine 600 pedes sui generis habuisse.

Stadium antiquitus dicebatur etiam Αυλὸς; unde Δίαυλος, *stadium duplex*, seu cursus reciprocus.

Ἱππικὸν, ιππικὸς δρόμος, *cursus equestris*, Plutarcho in Solone spatium est 4 stadiorum, cui consentit Hesychius.

Μίλιον Ιταλικὸν, *milliare romanum*, ad graecas mensuras non pertinet; eo tamen saepe utuntur Scriptores graeci, quum de rebus agunt romanis. Octonum stadiorum fuit, quod comprobat Suidas: Τὰ δέκα μίλια ἔχουσι στάδια π'. h. e. *Decem milliaria habent stadia 80*.

Inter mensuras intervallorum externas celebrata est *Parasanga* Persarum, triginta stadia conficiens, tradente Herodoto L. II et VI. Idem patet ex Xenophonte Exped. Cyr. L. V et VII. Strabo tamen L. II parasangam stadiorum 40, imo 60 statuit.

Σχοῖνος, *schoenus*, apud Aegyptios fuit stadiorum 60 teste Herodoto L. II. Plinius tamen et Strabo schoenos faciunt etiam 30 et 40 stadiorum.

CAP. IV.

DE VALORE PECUNIAE ATTICAE.

Pecunia graeca, imprimis attica, duplici modo taxanda est: primum pretio vero; deinde habito respectu ad ejus pretium apud Romanos. Hi enim pecuniam peregrinam non inter nummos, sed inter merces ponebant: quod expresse testatur Volusius Maetianus: *Victoriatus enim,* inquit, *nunc tantundem valet, quantum quinarius olim; ac peregrinus nummus loco mercis, ut nunc tetradrachmum et drachma, habebatur.* Itaque mirum videri non debet, drachmam atticam aequalem aestimatam fuisse denario apud Romanos, utut eum pondere superaverit. Si ergo argentum graecum romano simile sumatur, et sola ratio ponderis expendatur, proveniet ratio drachmae atticae ad denarium romanum ea quamproxime, qualis est inter 9 et 8. Neque enim adeo scrupulose minutias sectari licet ob argenti diversitatem. Drachma itaque attica par erit 9 solidis Turon. Et quia drachma sex obolos, mina centum drachmas, talentum sexaginta minas continebat, omnia plana erunt.

Nummus tetradrachmus argenteus in specie *Stater* appellabatur. Sed stater aureus didrachmus fuit, valuitque propterea ducatos 2 $\frac{1}{2}$ cum tribus fere granulis: sed idem apud Graecos 20 drachmis atticis argenteis aequipollebat; quod fuit etiam *Darici* aurei pretium. Paullo autem ponderosiores erant stateres cyziceni, qui, teste Demosthene in Phormionem, 28 drachmas atticas argen-

teas in Dardania valebant: adeoque 3 ½ ducatos pendebant; siquidem utrobique eadem argenti ad aurum ratio fuit.

Ex argenteis nummis peregrinis aliquoties apud Ciceronem et Livium fit mentio *Cistophori* κιςοφόρου, qui apud Rhodios cudebatur. Is sane nummus non *ab effigie Canephorae insculptae cistam, cui sacrorum arcana inclusa erant, in sacris mysticis Minervae ferentis,* ut Hostus L. III, cap. 2 censuit; neque ut Isaacus Vossius testatur, et Spanhemius de Praest. et usu numism. ant. pag. 273 a balaustio, seu flore mali punicae nomen est mutuatus; sed potius ab eo flore, qui nascitur e frutice, qui a Dioscoride appellatur κίςος, cujus succus inspissatus magni olim usus erat in re medica et arte tinctoria: quod facile suaderi potest, tum ex floris ipsius figura, tum ex nummi denominatione. Nam κιςηφόρος dicendus esset, si ἀπό της κίςης deduceretur, quemadmodum ἀπὸ της νίκης νικηφόρος. Quandoquidem vero in universum nummi rhodii hunc florem praeseferant, cujuscumque metalli sint et magnitudinis, ideoque omnes Cistophori nomen habeant; Festi tamen auctoritas nos credere jubet, nonnisi minutam nummi argentei speciem hoc nomine venire. Ejus verba sunt: *Euboicum talentum nummo graeco septem millium et quingentorum cistophorum est, nostro quatuor millium denarium.* Alio autem loco de talentis disserens *Talentorum*, inquit, *non unum genus. Atticum est sex millium denarium: rhodium et cistophorum quatuor millium quingentorum denarium: alexandrinum duodecim millium denarium etc.*

Ceterum Romani denarium suum cum drachma attica, praecipue qua non pondus est, sed nummus, aequipararunt: unde 6000 denarii, seu 24 sestertia talentum atticum conficiunt. Patet id ex multis veterum scriptorum

locis. Unum seligemus locum Ciceronis pro Rabir. Postu. *Quid vociferabare*, inquit, *decem millia talentum Gabinio esse promissa? Huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avarissimum exoraret, sestertium bis millies quadrigenties ne magnopere contemneret.* Summa haec conficit 240000 sestertia, 60000000 denarios pro decem millibus talentum; quare singulis competunt 24 sestertia; seu 6000 denarii.

ERUDITO LECTORI *



Habes, Lector erudite, Papyrorum Herculanensium volumen alterum. Tamdiu post, inquies, quam primum editum in lucem fuit? Non diffitemur, ipsum multo serius, quam opinio non solum tua, sed etiam nostra tulit, in publicum prodire. Sed tute potes, vel nobis silentibus, per te intelligere quaenam caussae exstiterint, quae tam diuturnam huic papyro moram attulerint, quominus ante hoc tempus in hominum conspectum veniret. Nosti enim, quam misera fuerit ratio temporum proxime superiorum, quum reges potentissimi bellicosissimaeque nationes terra marique iterum saepiusque signis infestissimis inter se concurrerent. Universa ferme Europa, ut reliquas orbis terrarum partes praetereamus, belli incendio ardescere videbatur: neque ulla fuit tam reposita regio, quo non vel arma cladesque, vel armorum cladiumque metus pervenerit. Ac neapolitanum quidem nomen cum primis objectum fuit harum procellarum fluctibus. Nam semel iterumque omnia non solum externi belli, sed etiam intestini civilisque odii flammis conflagrare vidimus. Quamobrem si apud alias nationes litterae inter armorum strepitum, ut usu venire solet, militumque licen-

* Quae in praesentia sistitur praefatio, eam alteri Herculanensium voluminum praeposuit Nicolaus Ciampittius, quod papyrum ab ipso enucleatam complectitur.

tiam siluere; quid factum apud nos fuisse existimare debes, ubi litterae ipsae litteratique homines, veluti tot tantorumque malorum semen et stirps, dedita opera, traducebantur? Profecto doctrinae fere omnes vulgo invisae despectaeque viluere; earum vero cultores vinculis exilioque, ne quid gravius commemoremus, multati, aut domi abditi, et delatoribus obsessi ne mutire quidem ausi sunt. Quum igitur haec esset apud nostros litterarum existimatio, tantaque eruditi homines invidia premerentur; quae potuit papyros evolvendi, interpretandi, edendi cura homines tenere? Necessarium certe fuit, id litterarii laboris genus, ut pleraque omnia, interruptum ac pene oblitum diu languere.

Postquam autem Magnus ille Napoleo Francorum Imperator, et Rex Italiae, qui omnes omnium retro saeculorum principes domi militiaeque clarissimos, et bellicae virtutis, et civilis sapientiae gloria longissimo intervallo superavit, hostibus profligatis, pacem peperit Europae, atque harum pulcherrimarum Italiae regionum principatum Josepho Napoleoni fratri regiarum virtutum omnibus ornamentis instructissimo detulit; tum novus veluti rerum ordo apud nos nasci, novaque temporum conditio sese nec opinantibus offerre visa est. Rex enim sapientissimus vix regni gubernaculo adsedit, quum omnes reipublicae partes complexus in iis, quae vel belli impetu concussae, vel hominum incuria dilapsae erant, reficiendis restituendisque omnes animi cogitationes curasque collocavit. Quam laetam rerum conversionem litterae quasi persentiscerent, e diuturno, ubi consepultae prope fuerant, veterno excitatae caput erexerunt, gaudioque gestientes in tanti Principis fidem sese et clientelam receperunt. Hic autem explicari vix potest, quanta benevolentiae amorisque significatione illae fuerint non solum a

patrono sane quam munifico, sed a cultore etiam eximio exceptae atque honestatae. Namque etsi innumeris gravissimisque curis in republica constituenda premeretur, tamen nihil habuit potius, quam ut Academiam Historiae et Antiquitatum instituendam, censuque opulento ditandam curaret: quam deinde aliorum hominum scientiis artibusque praestautium accessione amplificatam in Regiam Societatem coalescere mandavit. Quae sane munificentia quemadmodum Regem immortali saeculorum memoriae consecravit; ita omnes, additis quasi calcaribus, acuit perpulitque ad studia impensius excolenda.

Interea dum ita se res haberent, rescitum est, ab Francorum Imperatore Josephum Napoleonem (quod Europae universae pax et tranquillitas postulare necessario videbatur) Hispaniarum, et Indiarum, Joachimum Napoleonem utriusque Siciliae Reges fuisse renunciatos. Verum tantum abfuit, ut ea nova res susceptum studiorum cursum retardaret, ut etiam vehementius incitaret. Etenim uno eodemque tempore rescivimus, in Joachimo Napoleone ita bellicae rei incredibilem virtutem cum singulari litterarum amore conjunctam esse, ut plane foret admirabile, victrices inter laurus oleas tam feliciter pullulasse. Hanc autem regiae in disciplinas voluntatis praerogativam, quam fama praedicabat, et Bergensium atque Clivensium exemplo confirmabat, nobis res ipsa satis superque declaravit. Quandoquidem, quum vir dignitate et doctrina excellentissimus Josephus Capycius Latro Archiepiscopus Tarentinus ab interioribus regni consiliis academiae praesideret, nosque ad Regem augustum deduceret, quo debitas nostri in Regiam Majestatem obsequii partes obiremus; palam omnibus ille professus est, se nihil unquam praetermissurum, quo minus suum litteris atque artibus decus, suum pretium constaret: probe enim cal-

lere, expeditam ei nationi ad felicitatem patere viam, ubi vigeant studia artium et doctrinarum. Quae plena sapientiae vox ab eo praesertim edita principe, cujus aetas maximis in bellis summa cum gloria versata semper est, perpetuoque insignium victoriarum cursu exacta, quibus sit praeconiis celebranda, dijudicent civilium rerum aestimatores.

Quae hactenus perstrinximus, te, Lector, edocere possunt, cur tam longa intercapedo papyrorum editioni obstiterit; cur hoc tempore ad eum laborem vires animumque contulerimus. Qui profecto labor a nobis magna alacritate susceptus testabitur universis, quantopere nos cum exspectationi tuae satis tandem facere, tum maxime egregiae in nos Regis optimi munificentiae, quoad ejus fieri potuit, respondere gestiverimus.

Accipe nunc, optime Lector, quid ex effossis papyris nunc in apricum proferatur. Paucis abhinc annis evolutum volumen fuit, quod hac epigraphe consignatum invenimus: Επικουρου περι φυσεως ΙΑ: *Epicuri de Natura XI.* Cognovimus illico unum ex XXXVII libris esse, quos refert Laertius ab Epicuro sub hoc titulo conscriptos fuisse. Subinde porro et alia decem, quae idem Epicuri nomen, et operis titulum praeferunt, in lucem prodiere: sed ex iis sex tantum numerum exstantem exhibuerunt, unum scilicet numerum II, alterum XI, tertium XIV, quartum XV, quintum XX, sextum XXVIII. E reliquis quinque unum non satis internosci quitum est, quo numero distinctum fuerit: in aliis quatuor numerus omnino evanuit. Ex omnibus tamen vix quinque sunt, e quorum laciniis aliquid expiscari lector diligens et peritus queat, ceteris adeo obliteratis, ut nonnisi auctoris nomen et desiderium reliquum sit. Nihilo tamen minus celeberrimum Epicuri nomen postulare a nobis jure visum est, ut in lucem publicam, omissis aliis, volumina

haec propediem vindicarentur. Epicuro igitur manum admovimus, et hisce residuis libris in rectum ordinem digestis, a secundo, qui est a primo proximus, ordiemur.

Quid porro in hac papyro adornanda, ut honeste, neque incompte in publicum prodiret, praestiterimus, non pluribus hic te, Lector, morabimur: quidquid enim in Philodemo annis superioribus concinnando operae industriaeque posuimus; eamdem in Epicuri cultu ornatuque diligentiam et sollertiam adhibuimus. Itaque papyrum ipsam suas in columnas dispertitam eadem magnitudine ac forma, eodem characterum ductu, contextuque verborum exprimendam curavimus, quae in αυτογραφω visuntur. Imo lacunas scissurasque easdem, quibus casu, quicumque is demum fuerit, dehonestata papyrus est, repraesentavimus: omnia demum, ut paucis rem expediamus, quae αυτογραφον praeseferebat, summa fide exscripsimus. Singulis autem columnis e regione respondet textus integer minusculo, ut ajunt, vulgatoque charactere; ea quidem ratione, ut versus cum versu congruat, neque ab αυτογραφω ulla in re discrepet, praeter interstitia notasque vocabulorum, commatum et periodorum, quae recentiores librarii solent adhibere. Praeterea litteras, syllabas et voculas etiam, quae detritae erant, de nostro supplevimus, sed rubrica pinximus, quo vel primo obtutu dignosceretur, quid per nos fuerit redditum auctori. Latine porro Epicurum convertimus, sed quoad ejus fieri potuit, κατα λεξιν: quum scilicet graecanicae linguae ingenium a latiali non abhorreret.

Breves cuique columnae adnotationes subjecimus, quum res postulare videbatur, ut vel auctoris sententia illustraretur, vel, si qua vocula suppleta foret, ratio redderetur.

Ad extremum autem librum rejecimus commentarios nostros, in quibus quaenam sit in unaquaque columna

philosophi mens et ratio clare proposuimus; tum integrum cujusque columnae textum liberiori quodam dicendi genere sumus persequuti, in eoque operam dedimus, ut Epicurus ad latialis linguae indolem propius accederet, quam quum idem, ut antea dictum est, *κατα λεξιν* versus a te perlectus est. Atque hic lacunas, quae in textu occurrerunt, quasque religio nobis fuit in *αυτογραφω*, vel conjectura ducti, vel ingenio complere, sine ulla dubitatione complanavimus, quum ipsa argumenti ratio nos eo veluti sponte sua deduceret. Ut autem quid de nostro textui admensum fuerit facile intelligeres, ***cursivo***, ut ajunt, charactere id exscribendum curavimus. Atque haec de epicurea papyro praefatos nos esse satis sit.

Verum est aliud, quod hic te, Lector erudite, volumus. Inter herculanenses papyros non paucas invenimus, et quidem voluminosiores, quae latinis characteribus exaratae fuerunt; quumque illae prae reliquis salivam nobis cierent, incredibile dictu est, quantum operis, industriae ac temporis insumptum fuerit in iis evolvendis, in quibus pretiosum aliquod romanae litteraturae *κειμηλιον* inventum iri sperabamus. Sed adverso fato oleum atque operam, ut ajunt, perdidimus. Hujusmodi enim volumina sive ex loci natura, ubi obruta diu jacuerunt, sive potius ex ipsa papyri fabricatione, quodam resinoso glutine adeo scatent, ut conspissata folia revolvi aegre admodum queant, atque evoluta nonnisi sparsim fugientes hinc inde vel voculas, vel syllabas, vel litteras exhibeant, abrasis aliis atque deletis. Quare nonnisi frustula et fragmenta exscribere licuit, e quibus nulla exsculpi potest sententia, etsi alias prorsa, alias versa oratione decurrere cognovimus: sunt enim, in quibus hexametrorum clausulae leguntur. Nec omnino tamen inutilia dixeris: ex iis enim romanorum characterum palaeographiam concinnavimus, quam

suo tempore dabimus. Sed tandem quinto abhinc anno dimidiati cujusdam voluminis fragmentum emersit, heroico carmine conscriptum, quod legere datum est: etsi auctoris nomen sors nobis invidit; quippe inscriptum de more oportuit in superiori margine, quo decurtatum volumen est.

Quoniam vero solemne nobis hactenus fuit in unaquaque editorum voluminum praefatione singulare aliquod κειμήλιον, quod cum reliquis recenseri non quiret, producere atque illustrare; idcirco latinum hujusce carminis fragmentum in hoc volumine, tanquam promulsidis loco proferre decrevimus, et cum litterato orbe communicare, ne diu ejusdem desiderio teneantur eruditi.

Habebis igitur hic et latinam papyrum: sed pauca ad eam commentari non abs re fore judicavimus, ne eam ad te sine aliqua symbola dimitteremus.

Ac primum quid hoc poemate contineatur, et quis ejus sit auctor, hoc loco definire oporteret; sed utrumque non ita factu facile haberi debet, ut vel paucis absolvi possit, vel nullus dubitationi locus relinquatur. Papyrus enim haec nostra superiori, maximaque sui parte exsecta prosiluit e tenebris: ea vero, quae ex calamitate superfuere, vix tertiam totius voluminis summam conficiunt, nec, quod magis dolendum est, continenti serie decurrunt. Sunt quidem certe reliquiae quaedam superstites in ima singularum columnarum parte exaratae, quae a superioribus, quibus adnectebantur, malo fato decisae, vix dici potest quantum caliginis offuudant lectoribus. Velut enim *disjecti membra poetae*, neque secum ipsa cohaerere possunt, nec facem cuipiam praeferre, cujus luce certis insistat vestigiis, aditumque sibi ad poetae artificium, ad poematis οἰκονομίαν, ad illud denique, quo opus universum referatur, aperiat. Atque ab eadem porro caussa

profectum est, ut lacunae, quae plurimae in hisce fragmentis vastaeque alicubi occurrunt, difficillime, nec nisi plane hariolando, complanari potuerint; nullam ipsius sententiae ductu opem afferente.

Verum enimvero vix ante quinquennium hujus papyri per urbem rumor dispersus fuit, quum duplex animis hominum nostrorum insedit opinio: scilicet eo poemate bellum ab Octaviano adversus M. Antonium susceptum, Actiacam victoriam, et devictam Aegyptum celebrari: ipsum vero poema Vario vati augusteae aetatis praestantissimo acceptum referri debere. Quam sane opinionem id temporis multorum sermone tritam et pervagatam nec rejicere omnino, nec calculis nostris comprobare audemus.

Quod quidem ad alterum attinet; ecquis praestare ausit, ejusmodi bellum et victoriam hoc poemate fuisse celebratam, cujus vix liber unus, isque capite truncatus, ac tertiam fere partem decurtatus ad nos pervenerit? atque pars haec tertia non uno tenore fluat, sed fragmenta sint a superioribus abrupta et decerpta? adhaec hiulca passim et lacera oculis usurpentur, ut alicubi sententia exsculpi nequeat? Eodem porro accedit, quod his fragmentis personae cujusdam, seu, si mavis personarum, quae fortasse in poemate non postremas agebant, intertextae sunt orationes: quae quidem, ut fieri solet, latius liberiusque evagantur, atque ad plurima digrediuntur, quae licet ad argumentum necessaria minime sint, claritatem tamen, aut certe ornatum non mediocrem afferunt poemati universo. Perlege, sodes, columnas II III IV: tute potes observare, inibi non poetam ipsum persequi argumentum suum, et quae rerum ratio poscebat, per se describere; sed personam nescimus quam inductam fuisse ad dicendum: cui certe licebat ad ea digredi, quae sibi videbantur ad rem non inopportuna. Quod si volumen integrum habe-

remus, ubi omnia perlustrare commodo nostro contemplarique possemus, quantum hae digressiones lucis, aut ornamenti parerent poemati facile dignosceremus: in papyro vero capite membrisque pluribus mutilata, cujus, ut ita dicamus, pedes tantum fatum servavit, ipsae hae digressiones fieri nequaquam potest, quin offundant tenebras spissiores.

Finge tantisper animo, Lector (liberae enim sunt mentes nostrae, et quidquid volumus, facillime possumus repraesentare), finge, inquam, unicum Virgilii librum ad nos perennasse; nec nisi quasdam ipsius libri lacinias in ima cujusque paginae ora descriptas te prae oculis habere; si tibi accurate perlegenti, alibi Junonis secum indignantis, alibi Aeolum alloquentis, alibi Aeneae tempestate jactati orationes intercisae illae quidem, tacitisque nominibus occurrerent; possesne divinare quidquid ex iis expiscareris, ad Aeneidem virgilianam pertinere? ac si forte fortuna conjectares, possesne tuto ac sine ulla haesitatione affirmare? Neminem sane, qui id faceret, in seseque reciperet, exstiturum censemus.

Verum quemadmodum non audemus, uti praediximus, tanquam exploratum compertumque pronunciare bellum ab Octaviano cum M. Antonio gestum hac papyro consignatum fuisse; ita non audemus praefracte id pernegare, si quis in eam sententiam divinando conjiciendoque adduceretur. Quod ex eadem fragmentorum nostrorum obscuritate consequi nemo non intelligit: ubi enim nihil certae lucis oboriri potest, alius aliud quasi per ipsam caliginem tentabundus investigare sibi videbitur, quod tu si non verum, veri certe simile esse fatearis necesse est, modo conjecturae non invalido plane tibicine fulciantur.

Ac ne dissimulare quid hic videamur, multus sane in his carminibus sermo est de Aegypto. Videsis columnam alte-

ram, ubi de Pelusio a Caesare vi capta injecta est mentio, atque illius intexitur oratio, qua milites a subruendis urbis moenibus dehortatur. Dio quidem lib. LV quum de Pelusii expugnatione loqueretur: ***Dum haec fiunt,*** inquit, ***Caesar Pelusium etiam vi quantum ad speciem, revera autem Cleopatrae proditione cepit.*** Plutarchus vero, qui M. Antonii res stilo uberiore in ejus vita persequutus est, Pelusio expugnata, rumorem Alexandriae disseminatum fuisse, scribit, Seleucum urbi praefectum clam a Regina admonitum Caesari illam prodidisse. Qui sermones in belli praesertim calamitatibus quam crebro exoriri soleant, quam temere credi, quam cito in vulgus differri, norunt universi. Licet enim urbs illa multo validoque praesidio firmata fuerit; quod, ut ex Hirtio de bello Alex. XXVI discimus, *Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio veluti claustris munita existimatur;* tamen quid romanorum militum virtuti impervium illa tempestate fuit? Cleopatra vero, quemadmodum idem scriptor memoriae prodidit, quo se de ejus rei suspicione Antonio purgaret, Seleuci conjugem liberosque ipsi permisit supplicio, si videretur, afficiendos. Haec autem ideo nos hic adnotare voluimus, ut saltem in dubium Dionis narrationem revocaremus, ne si quis Caesarem nullo militum labore, nulloque discrimine, sed Seleuci proditione Pelusio potitum arbitraretur, Caesaris ad militem oratio a poeta eo loco interjecta importuna plane et ridicula videretur. Neque culpandi erimus, si Plutarchum Dioni hoc loco praeferamus: nam quin ille Olympum Cleopatrae medicum et perfamiliarem, harum, ut ipsemet tradit, rerum scriptorem ac testem αυτοπτην prae oculis in pertexenda Antonii vita habuerit, dubitari non potest.

Porro, ut ad papyrum redeamus, si columnam III perlustraveris, Alexandrum urbis in Aegypto principis condito-

rem, et actiacos triumphos a poeta commemoratos invenies. Nec deerunt, qui Cleopatram ibi designatam fuisse arbitrentur: post enim *triumphos actiacos*, statim subnectitur:

> . . . . . cum caussa fores tu maxima belli,
> Pars etiam imperii,

et quae ibidem sequuntur. Quemadmodum columna IV eadem Cleopatra de Antonio loquuta esse videri cuipiam poterit illis verbis:

> . . . . Est mihi conjux
> Partos qui posset Phariis subjungere regnis.

Notae enim sunt Antonii militares in Parthos expeditiones; etsi postrema non solum successu caruerit, sed etiam copiae magna clade adcisae extremum pene periculum adierint. Jam autem perlegito columnam VII:

> Haec Regina gerit . . . .

inquit poeta: deinde inducitur illam

> Atropos irridens inter diversa . . . . . .
> Consilia interitus.

Quae non immerito in Cleopatram quadrare existimaveris. Illa enim, vix inita apud Actium pugna, quum neutram in partem adhuc victoria inclinaret, in Aegyptum aufugit. Ibi rebus suis diffidentem, ne Romam triumphi honestandi caussa, quod maxime erectae indolis foemina extimescebat, a victore perduceretur, plura iniisse mortis sibi consciscendae consilia testis est in vita Antonii idem Plutarchus. Siquidem facto complurium venenorum in capite damnatos periculo, quum partim celeriter quidem, sed magno cum cruciatu; partim vero licet sine acerbitate, serius tamen quam vellet, mortem afferrent; omnia repudiavit, aspidemque statuit, sicubi opus

foret, adhibendam; quae, levi quodam impresso morsu, somnum placidissimum induceret, ac sine ullo doloris sensu, brevi post tempore hominem sudore quodam per os et membra diffuso exanimaret.

Postremo quae eadem columna exarata sunt, observato:

. . . . cum parte Senatus,
Et patriae comitante suae cum milite Caesar
Gentis Alexandri cupiens ad moenia venit,
Signaque constituit sic omnes terror in artum.

Hic profecto si quis contenderet, poetam de Caesare Octaviano verba facere, non videmus, quo telorum genere de sententia deturbari posset. Plutarchus enim, quem saepe laudavimus, in Antonii vita commemoravit, Caesarem, hieme exacta ex Italia in Aegyptum profectum, atque exercitum Alexandriam adduxisse, ipsoque in hippodromo castrametatum esse. Nec praeterire volumus, quod ibidem auctor adtexuit, Antonium, quum statim Alexandria esset cum equitatu egressus, in caesarianos equites itinere fatigatos incubuisse, illosque plurimorum occidione fudisse, usque ad castra insequutum. Qua victoria elatus ad bellum strenue administrandum plurima militibus praemia dispertitus curam animumque convertit Antonius. Verum optime in illum posset aliquis, quod de Turno Maro postea X Aen. cecinit, usurpare:

Nescia mens hominum fati sortisque futurae,
Et servare modum rebus sublata secundis.

Atque haec omnia, quae cursim attigimus, nolumus, Lector, eam in partem accipias, quasi nobis persuasum sit, aut aliis persuadere satagamus, bellum in M. Antonium ab Octaviano perpetratum hoc poemate pertractari. Id unice palam facere statuimus, quod saepe declaratum no-

bis est, nos nequaquam intercessuros, quominus eam quisque sententiam, quae prae altera sibi arriserit, arbitratu suo consectetur. Etenim si uspiam quae sentis libere diccre, libereque probare licet, in his certe quidem rebus maxime licere debet.

Hactenus, quae de poemate nostro visa nobis sunt ad rem magis accommodata disseruimus: quid vero de ejus auctore, quod alterum propositum fuit, disputabimus? Poteritne ille saltem hariolando deprehendi, et tanquam ex inferis ad hanc lucis usuram revocari? Si in illorum sententiam, Lector, iveris, qui nihil e laciniis nostris, ne delio quidem urinatore, expiscari se posse autumant, quod quo poema referendum sit, aperiat; tum nullus omnino ad auctorem investigandum patere aditus poterit: atque poematis aeque sententiam, atque auctorem ignorabis. Fieri enim nullo pacto potest, ut e vetustatis tenebris eruatur, quasi manibus tentando, auctor operis illius, quod et capite mutilum, et membris lacerum nequaquam, quid contineat, satis patefaciat.

Sin autem eo tuus animus inclinarit, ut nostro hoc carmine Octaviani bellum esse comprehensum credas; eniti tum ipse poteris, latebrasque omnes perscrutari, et auctorem si non certa ratione, probabili certe conjectura et divinatione vestigare. Ne vero te sine duce, vel potius comite hoc difficile et salebrosum iter inire patiamur; quae sit nostra opinio, crudite Lector, accipito.

Vix de nostra hac latini oris papyro rumor per urbem dilatus ante triennium ferme fuit, quum ea nostrorum hominum animis insedit opinio, carmen illud Vario vati sane quam egregio, atque Augusti, Maccenatis, Horatii Virgiliique amicitia florentissimo vindicandum esse. Atque si quis quaereret, qua re adducti in eam sententiam quasi pedibus ivissent; vadem fundumque sententiae suae da-

bant Horatium, qui L. I od. 10 ad Agrippam scripsit:

Scriberis Vario fortis, et hostium
Victor Maeonii carminis alite
Qua rem cumque ferox navibus, aut equis,
Miles, te duce, gesserit.

Quibus e versibus colligebant, et actiacam victoriam ab Horatio designari, eamque fuisse a Vario carmine celebratam.

Nos quidem, si vera licet ingenue fateri, non idoneo testimonio fulciri eam sententiam existimamus. Primum enim venusinus poeta Agrippae eo loci confirmat, Varium bellicam ipsius fortitudinem, et relatas ex hoste terra marique victorias carminibus descripturum. Quis autem praestare in tanto veterum silentio poterit Varium reapse manum operi admovisse, et Caesaris Agrippaeque res gestas ingenii sui monumentis honestasse? Praeterea si quis attente illud Flacci carmen considerateque expenderit, is certe intelliget, nihil aliud sibi poetam voluisse, quam Agrippae persuadere, se, pro ingenii tenuitate, jocis, amoribus conviviisque concinendis unice aptum: nec magna et praeclara facinora, quae vel Caesar, vel ipse terra marique gesserat, quemadmodum rerum dignitas postulabat, posse heroico carmine celebrare: eam provinciam Vario deferendam esse, qui tanta in re poetica, maximeque in carmine epico, erat praestantia, ut cum Homero, cujus vestigia sectabatur, non immerito compararetur. Ecquis autem ex hoc venusini vatis loco colliget, Varium Octaviani bellum, quo M. Antonius victus est, persequutum reapse fuisse?

Neque hoc tantum carmine tam magnificum Horatii, viri sane *κριτικωτατου*, de Vario judicium exstat: plurimis in satyrarum atque epistolarum libris sese legen-

tibus produnt non absimilia de vate eodem testimonia. Quae quidem tanti apud nos ponderis sunt tantique momenti, ut potius Vario nostra haec fragmenta abjudicanda esse videantur. Defige tantisper oculos, Lector, in Epist. I L. II, atque inspicito quanta dexteritate poeta ingeniosissimus summam Augusti gloriam maxima cum Varii laude conjungat. Ibi enim Alexandrum Magnum non inurbane suggillat, quod, quum subtilissime de ceteris artibus judicasset, edictoque cavisset, ne quis se praeter Apellem et Lysippum vel coloribus, vel aere exprimeret; non eamdem sollertiam ad rem poeticam attulerit, et Choerilum poetam sane ineptum rerum suarum scriptorem probarit, atque ingenti vi pecuniae donaverit. Tum illa adtexuit:

Sed neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque Poetae.

Quid vero quod idem Horatius praestantiores aetatis suae vates L. I Satyr. 10 enumerans tantum Vario tribuit, ut epici carminis majestate omnibus anteponat, eique primas deferat?

.... Forte epos acer,
Ut nemo, ducit Varius: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.

E quibus Venusini versibus palam fit, nondum a Marone epicorum poetarum facile principe *divinum Aeneida,* ut Statius noster cecinit, sed Bucolica tantum, et Georgica edita in lucem fuisse.

Neque minoris faciendum autumamus, quod ab eodem Horatio in Arte de Vario consignatum fuit:

.... Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio Varioque?

Hic autem nobis imperare minime possumus, quo minus illud, quod te, Lector, animadvertisse jam remur, observemus, cum Vario Virgilium semper a Flacco fuisse conjunctum. Quod non solum ubi ingenii praestantia, sed etiam ubi morum simplicitas animique candor collaudandus esset, ille factitavit; quasi testatum omnibus facere vellet, nobilissimum illud amicorum par poeticae facultatis perinde atque virtutum laude floruisse.

Quod si maxima Varii fuit, ut ex tot Horatii testimoniis didicimus, in epica poesi gloria; non imparem in condenda tragoedia laudem adeptus est. Quintilianus quidem L. X cap. 1, postquam quotquot in Graecia vel prorsa, vel versa oratione non mediocrem nominis celebritatem posteris transmiserunt, subtiliter accurateque expendisset, eadem diligentia latinos auctores sive oratores, sive historicos, sive poetas ad critices trutinam revocavit. Hic profecto ecquid de Vario judicaret Fabius brevi, sed momentosa in primis sententia aperuit: ***Jam Varii Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest.***

Atque haec tam splendida Horatii et Quintiliani virorum sane ακριβεςατων judicia nos eo, quemadmodum praediximus, adduxere, ut fragmenta, quae nunc in manibus sunt, minime potuisse ex Varii summi poetae officina prodire crederemus.

Quod si quis hisce rationibus minime permotus in sententia adhuc perstiterit; fruatur is judicio suo. Verum unum illud rogatum eum volumus, ut animum ad paucos illos Varii versus, quos tanquam e naufragio Macrobius forte fortuna servavit, vel paullisper adjiciat, atque

ubi secum tacitus perpenderit, ne grave sit cum fragmentis nostris comparare: non dubitamus, ipsum illico mutaturum consilium, et nobiscum amice conjuraturum. Macrobius igitur Saturn. VI cap. 2 latinos poetas recensens, quos Virgilius mirifico quodam pulchritudinis studio incensus imitatus est, haec auro contra non cara Varii *de morte* carmina in medium attulit:

> Quem (*equum*) non ille sinit lentae moderator habenae
> Qua velit ire, sed angusto prior ore coercens
> Insultare docet campis, fingitque morando.

E quibus Macrobius Maronem suum illud Georg. III expressisse non immerito judicavit:

> Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere
> Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
> Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Tum autem ex eodem Vario *de morte* elegantissimam atque omnium leporum suavitate plenam canis venaticae comparationem adduxit:

> Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
> Si veteris potuit cervae comprendere lustra,
> Saevit in absentem, et circum vestigia lustrans
> Aethera per nitidum tenues sectatur odores.
> Non amnes illam medii, non ardua tardant,
> Perdita nec serae meminit decedere nocti.

Unde, quemadmodum idem Macrobius observavit, efficta a Marone est in Bucol. Ecl. VIII egregia illa buculae comparatio:

> Talis amor Daphnim, qualis quum fessa juvencum
> Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos,
> Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
> Perdita, nec serae meminit decedere nocti.

Nec praeterire volumus, quae superius eodem capite retulit ex Vario *de morte* idem scriptor:

> Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum
> Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.

Inde Virgilium illa hausisse monet Macrobius:

> Vendidit hic auro patriam, dominumque superbum
> Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.

Denique Varius *de morte* apud eumdem:

> Incubet et Tyriis, atque ex solido bibat auro.

Ex quo fluxit illud Maronis:

> Ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro.

Atque haec, pauca licet, Varii carmina Macrobii diligentia nobis servata, atque in illud L. VI caput conjecta, satis superque, ni fallimur, cuivis patefaciunt, quantum vates ille ad virgiliani stili nitorem elegantiamque in scribendis versibus accedat. Si vero eadem cum papyri nostrae carminibus contendere quisquam velit; nae is, ut modo diximus, statim intelliget, multum ea a variano lepore cultuque aberrare: adeo quidem, ut partus hujus, quo de agimus, alius a Vario parens quaerendus omnino sit. Haec autem non perinde accipi volumus, quasi infusam poetae nostri versibus barbariem existimemus: imo quaedam ibi nitere non diffitemur, uti planum legenti fiet; sed illud contendimus, minime posse cum variani, atque adeo virgiliani carminis dignitate componi.

Ignorabitur igitur, inquies, benevole Lector, ecquis auctor fuerit hujus poematis? Equidem quum universa sileat antiquitas, quid eam in rem non exploratum modo compertumque, sed ne verisimile quidem afferre possimus, non videmus: veterum enim poetarum historiam diligen-

ter attenteque rimantibus nihil factum est obviam, unde lux aliqua ad tantam caliginem dispellendam hauriretur. Verum sicubi conjecturis laxare habenas licuit aliquando atque hariolari, hic certe quidem licere vel difficiles ipsi morosique homines minime negabunt. Itaque si cui liberet hujus poematis lacinias C. Rabirio adscribere, is profecto nos habebit adstipulatores sententiae suae. Rabirius enim extremo Augusti principatu floruit, Ovidiique fuit aequalis, diciturque plurima versibus conscripsisse. Quod vero bellum Octaviani adversus M. Antonium, et actiacam victoriam celebraverit, si non aliunde, ex Seneca certe colligeretur. Quum enim philosophus L. III cap. 2 de Benefic. in eo totus esset, ut opes quamvis egregie fundatas hominis proprias existimari non debere declararet, easque saepenumero a fortuna horae momento eripi, alioque transferri solere: illas vero nostras unice appellari, neque fortunae injuriis esse propositas, quas humanitate et beneficentia adducti in amicorum bene de nobis meritorum sinum abdiderimus, sapienter affirmavit. Quod ut praeclaro aliquo testimonio, exemploque in illustri loco posito comprobaret: *Egregie*, inquit, *mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, quum fortunam transeuntem alio videret, et sibi nihil relictum praeter jus mortis, id quoque si occupaverit, cito exclamare:*

Hoc habeo, quodcumque dedi.

Hic autem nihil esse credimus, quod pluribus disseramus, ad eas incitas, ut *nihil praeter jus mortis* relinqueretur, non fuisse M. Antonium redactum, nisi post actiacam victoriam. Quare fateamur necesse est, bellum ab Octaviano adversus Antonium susceptum, et victoriam apud Actium reportatam C. Rabirium carminibus perse-

quutum fuisse. Atque haec ipsa fuit Vossii sententia in de Historicis Latinis L. I cap. 21. Ergo a veri similitudine nequaquam abfore crederemus, si haec fragmenta ad Rabirium, qui actiacum bellum pigmentis poeticis ornavit, pertinere dicerentur.

Ovidius quidem L. IV de Ponto eleg. ultima, ubi poetas fere omnes aequales suos non sine laude commemorat, perhonorificam Rabirii mentionem injecit:

Cum foret et Marsus, magnique Rabirius oris.

Ovidiano huic judicio ad Rabirii famam insigni atque praeclaro concinit etiam Vellejus Paterculus L. II. *Maxime*, scribit ille, *nostri aevi eminent princeps carminis Virgilius, Rabiriusque.* Quo in loco Vellejus, etsi Virgilio principatum carminis detulisse videri possit; tamen Rabirium vel in imperii societatem vocavit, vel certe minimo intervallo abesse a principatu significavit. Verum quanti horum duumvirum judicium facere debeamus, ecquis poterit hoc tempore statuere? Nihilo tamen secius Quintilianus, cujus in judicando ακριβεια criticis universis maxime probata semper fuit, auctoritate veluti sua intercedit, et non levem nobis injicit scrupulum, quominus Ovidio et Vellejo fidem sine exceptione adjiciamus. Is profecto L. X cap. 1 de poetica Rabirii virtute ita pronuntiavit: *Rabirius et Pedo non indigni lectione, si vacet.* Exilis plane, si ad ovidianam et vellejanam spectes, et ferme jejuna commendatio. Atque ne quis jurgari velit Fabium, quum Rabirium et Pedonem non indignos lectione dixit, κατα λιτοτητα dignissimos, uti fieri solet, significasse, satis superque e voculis *si vacet*, quas statim adlevit, quid summus ille rhetor de iis vatibus judicarit, vel luscitiosus facile pervidebit.

Quod si mireris, Lector, cur a Fabio tam diversi hac in re abierint Ovidius et Vellejus, caussasque vestigare velis, cur tam magnifico praeconio Rabirium mactaverint, non multum fortasse a veritate aberraveris, si tecum ipse cogitaris, Ovidium exulem, qui tam longe aberat ab domo, cujus desiderio maxime conficiebatur, curabatque omnes demereri, si qua ratione quispiam posset Augusti iram lenire, spe quadam, quae miseros semper alit, conciliandi sibi hominis, quem Augusto carum, neque injucundum esse autumabat, in extollendo ingenio fuisse liberaliorem. Vellejus porro nimiae in domum augustam adulationis, neque immerito, accusari solet. Sed tempori danda venia est: siquidem ille sub Tiberio multis erat magnisque domi militiaeque functus Reipublicae muneribus: ille sub Tiberio scribebat historiam. Qua de re a vero non absimile duceremus, si quis suspicari vellet historicum sub Principe, cui omnia suspecta erant, inter principes poetas Rabirium recensuisse, a quo poeticis ornamentis ea victoria fuit commendata posteris, cujus jure orbis universi imperium ad Augustum transmissum fuit. Quae quidem caussae, quum Quintilianum nequirent permovere; nemo pernegabit, ex animi ipsum sententia rem judicasse, et veritati unice perlitasse. Quod si quis haec omnia, quae de Ovidio atque Vellejo nobis animo occurrerunt, subtiliora, quam par sit, judicaverit; posthabeat, si velit, atque rejiciat. His enim, perinde atque indicta a nobis fuerint, praeteritis, conjectari illud poterit, hac re adductum fuisse Ovidium, ut ea laude Rabirium cumularet, quod prope eamdem, atque ipse, in scribendo stili rationem expresserit. Natura enim ipsa affert, ut eos, in quibus non dissimilis indoles, et quaedam veluti animi cognatio elucere videatur, maxime probemus, maximeque pro re nata collaudemus. Qua in re in primis valet, quod ipsemet inge-

niosissimus quidem, sed limae impatiens poeta L. II de Ponto eleg. 5 in universum cecinit:

> Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
> Et servat studii foedera quisque sui.

Neque secus de Vellejo sentiendum esse putaremus. Facere ille quidem non potuit, quin Virgilium in suo fastigio, quo beata illa carminis felicitas atque praestantia evexerat, et quo vates insequuti perventuros desperabant, collocaret; sed illi proximum statuit Rabirium, et tantum non parem fecit, quod illa scribendi ratio aetate sua jam late invaluerat, et inclinata ac sensim labente latinarum litterarum dignitate, nemini non probabatur.

Illud denique persuasum habemus, erudite Lector, si fieri aliqua ratione posset, ut hariolatio haec nostra tibi probaretur, atque haec fragmenta Rabirio adscriberes; te eadem illa lectitando, non Ovidii et Velleji, sed Fabii judicium calculo etiam tuo confirmaturum.

Atque ut uno veluti obtutu quidquid in hisce papyri nostrae fragmentis complexus est poeta, benevole Lector, conspicias, haec breviter habeto. Columna I exstat ducis cujusdam commendatio, urbisque obsidio atque oppugnatio: quae quidem urbs Pelusium fuisse non immerito ex insequenti columna potest existimari.

Tum columna II Pelusium a Caesare capta describitur, ejusque interseritur oratio, qua militum ferocientium impetum coercere nitebatur, ne moenia urbis, quae in potestatem suam jam jam veniret, subruerentur.

Porro in columnam III conjectus a poeta sermo est hominis cum Cleopatra colloquentis, eamque collaudantis, quo fortasse, inita iis laudibus gratia, Reginam ad omnia, quae contenderet, obeunda facilius perduceret: qui profecto sermo, si tibi a columna II vel etiam a I

seri coeptus esse videatur; nulla quidem ad id erit per me mora.

Columna deinde IV Cleopatrae ipsius oratio perscribitur, qua videtur homini, qui columna superiori secum loquebatur, respondere.

Jam vero columna V et VI horrendum sane spectaculum oculis legentium proponitur, et varia crudelium suppliciorum genera, quibus turba noxiorum hominum interempta est, describuntur.

Denique columna VII et VIII Caesaris cum victore exercitu adventus prope Alexandriam, urbisque obsidio continetur.

Ecce unum in locum collata, Lector, brevique spatio comprehensa, quae in subjectis papyri columnis tute perleges, non integra illa quidem, sed intercisa, ut casus tulit, atque discerpta. Quae autem hic perstrinximus, suis quaeque locis, si quidem opus fuerit, fusius persequemur.

PRAEFATIO *

AD ADOLESCENTES.

Jam tandem, quod diu optastis, opus, Adolescentes, coeptat e typis prodire in lucem Principis augusti tutela conspectissimum, utilitate prope nulli secundum. Est enim illud et ad disciplinam a primaeva in scholis puritate dilapsam ubique restituendam, et ad eamdem, quoad ejus fieri poterat, amplificandam exornandamque publice comparatum. Dolebamus enimvero antea, quum ceterae omnes doctrinae certa sua quaeque ratione procurrerent, litteras solas docendi magistras, veraeque disciplinae artifices nulla institutione teneri; sed scholastica quadam insolentia corruptas per devia plerumque, perque abnormia vagari. Quanta nimirum in instituendo varietas! quanta in ediscendo levitas! quanta dissensio in grammaticis; farrago in praeceptis; in ipso denique, quod maximum, latinorum delectu hebetudo judiciique perversitas; ut rivuli persaepe fontibus, puris impura vobis praegustanda tradantur! Itaque necesse certe quidem erat, ut isti nonnullorum vaganti licentiae frenis publica auctoritate injectis, ad certam, quantum liceret, emendatamque rationem scholae revocarentur, uno ut ore personarent.

Utrum vero nostrae, quaequae fuerint, curae tantum necne virium habiturae sint, doctorum judicium esto. Ce-

---

* Hanc praefationem volumini inscripto: *Universae disciplinae elementa in usum scholarum regni neapolitani,* praeposuit Nicolaus Ciampittius.

terum adeo stulti non sumus, ut magis id scholis, tanquam exemplum numeris omnibus absolutum proposuisse, quam juventuti in litteras succrescenti auxilium non mediocre comparasse credamus. Ut optimi Regis munificentia vestris commodis nihil non provisum; ita nihil illa duce et auspice a nobis non praestitum: adeo ut tanti laboris usque fervente negotio, praeter unam gloriolam, quod pauci sufficeremus ad omnia, nihil, quamobrem sumus magnopere reprehendendi, videamur commeruisse.

Totum hoc novae institutionis opus, Adolescentes, tribus coagmentatur partibus: prima ordini Classicorum, gratia honoris, uti par erat, data; altera rebus philologis, quae intime Classicis sociari solent, conflata est; tertia denique, scientiarum elementis attributa. Omnia eo modulo dimensa sunt, ut nihil abundet, nihil desit tamen. Ad quinquaginta nihilominus, parvae alioquin molis, volumina illud produci necesse omnino fuit. At longum sane. Quinimo justum, ne breve dicam, stadium juveni in scholis non oscitanti, sed propero pede, ut opus est, currenti, si vel decenne spatium, quod institutioni datur, vel diurnae lectionis laxata tempora, vel ipsa denique litterarum, qua late patent, confinia, perpendatis. Ad haec Classicos, qua parte selegimus, non veluti laceros, atque in frusta concisos, quales avare satis et illiberaliter operum scholasticorum collectores edere solent, sed integros habetis: nisi quando ab eo instituto discedere (uti mox de Livio fecisse fatebimur) necessitas omnino jusserit.

E Classicis porro Latini Grajis, Graji Italis praecedunt, singulorum vitae notitia et commentario comite. In quo conficiundo, ne injurii impudentesque traducamur aliena offerentes, praemonere juvabit, praeter nonnulla sane levissima e penu nostro deprompta, cetera ex integris interpretum commentariis excerpsisse; interdum iisdem verbis

exscripta ; plerumque nostris, quasi nostra fuerint, expressa ; illa nimirum seligentes, quae vel textus obscuritati lucem afferrent, vel historiam illustrarent, vel linguarum copiam alerent, vel vestris animis bona consilia instillarent.

De philologis autem rebus scholae inservientibus, quas ex voto mox typis daturos speramus, fieri non poterat, quin multa interturbarent, in primis grammatica. E quibus salebris ita brevi confidimus, Deo favente et Rege auspice, evasuros, ut nihil inde relictae per nos industriae conscientia remorderit. In habendo autem hujusmodi opusculorum delectu, has nobis ipsi leges imperavimus; primum ut, qui suas symbolas conferrent, non modo ceteris in re litteraria existimatione praeirent, verum etiam scholis magis ex usu forent: tum nihil prius cautum, quam, ne in selectorum opera manus inferremus, praeter quae (neque id immodeste factum) quum juventuti instituendae litterisque informandae commodiora visa sint, praestitutos tamen nostrae institutioni terminos vel prolixitate excederent, vel nimia brevitate non attingerent. Opera philologorum prodibunt e typis eo ordine digesta, ut grammatica mythicis, mythica geographicis, geographica historicis, historica antiquitatibus, antiqua tandem praecellentissimis Rhetoricae et Poeticae artibus praecurrant.

Dantur denique in extremo, quam tertiam partem esse diximus, tum Logica, Metaphysica, Ethica, tum Physica, atque universae Matheseos elementa.

Agite nunc, qui aurea latinitate Classici, quotque, et quo ordine non tam benigne excipiendi, quam enixe volutandi sint vobis, adolescentes, in antecessum accipite.

Primo loco comparent centum litterulae e tullianis decerptae. In quibus digerendis, quo tempore singulae scriptae fuerint ratione posthabita, brevitati ac facilitati

unice consuluimus. Verebamur enim, ne, si in primo latinitatis occursu vel puerorum captui minus accommodatae, vel prolixiores forent, vestris animulis, quibuscum delicate agendum est, vel difficultas offensionem objiceret, vel fastidium afferret ipsa prolixitas.

Accedunt his veluti comites *Phaedri Fabulae*; non tamen omnes, sed quae uno atque altero libro continentur, et eae labecula quavis detersae. Videte quam brevi volumine, quove modulo vobis ea studia auspicaturis dimensa latinitas. Quare praeceptores hortamur, ne longiore, quam quinis senisve versibus diurna lectione utantur; pro certo habentes, ut agri novales solent, quo parcius accipiunt, eo uberius reddituros.

Haec prima porro latini sermonis elementa proxime excipiunt *Cornelii Nepotis Vitae*, purissimi quidem illi latices ad extremas guttas adolescentulis ebibendi. Tum *Phaedrum*, quem dimidiatum primo volumine consulto dedimus; ne cui jocosi scriptoris desiderium vitio vertatur operi; integrum tertio dabimus: in quarto *Caesarem;* in quinto *Tullium* Latinorum facile principes; alterum de *Bello Gallico* et *Civili*; alterum de *Officiis* cum *Catone Majore* et *Laelio*, opellis duabus auro sane contra non caris. Ne vero juventutem litteris apprime informandam laudandi operis usura fraudasse dicamur, occurrunt praeterea in sexto *selectae ad Familiares*, et *ad Atticum Epistolae*, alterae quidem nobis curae, sed severiores prioribus: ut enim per illas, ne quid primulum scholastici laboris opus subeuntibus vobis offensioni foret, parce adlaboratum est; ita per alteras nihil magis consultum, ne vos ad plenam frugem properantes latiali quodam vigore, quo illac paginae diffluunt, careatis.

Succedunt proxime his Poetae (omisso tamen in iis, quod sane turpius erat), in primis qui vocantur *minores*.

Habetis itaque in septimo, praeter paucula *Martialis* conditiora, et *Catullum* elegantiarum patrem, et *Tibullum* singulari nitore micantem, et *Propertium* dignitate elegorum ceteris conspectiorem: tum in octavo *Metamorphoses*, opus ex ovidianis praeclarissimum, cum summa rerum varietate, tum mira quidvis exprimendi facilitate: in nono denique castigato ad unguem eloquio *Terentium* puro putoque quovis auro meliorem, *Plauti* duabus comoediis *Aulularia* et *Captiveis* mantissae instar adjectis.

Redit deinde *Tullius*, *Marone* socio, ambo quidem ad humaniores ditandas litteras divino quodam naturae munere facti. Prostant alterius volumine decimo ac undecimo *Orationes selectae*, non quales sunt in manibus, sed et numero plures (sunt enim ad sedecim) et eae pro diversis dicendi generibus digestae: Maronis vero *Bucolica* cum *Georgicis* in secundo et decimo; *Aeneidis* opus immortale in proximo sequenti.

Habetis praeterea in decimoquarto perillustrem sententiosa dictione *Sallustium*; in tribus subinde proximis *Livium*: quem profecto integrum ederemus, nisi tanti operis magnitudo, confectione latinorum praesertim properante ad exitum, deterreret. Itaque electa dabimus, scitu nempe digniora, adeoque continenter disposita, ut nihil prope deesse videatur. Erunt igitur in primo *Narrationes* praecipuae ab V. C. ad finem usque secundi belli punici; in altero ab eo confecto ad extremum belli macedonici, in tertio *Conciones* ceterarum nobilissimae.

Verum ne hac quidem tenus nostrae qualescumque de ca re curae conquierunt. Vadunt extremi, quasi princicipum latinorum agmen claudentes, duo illi nunquam pro merito laudandi *Horatius* et *Tacitus* prae se quidem in latinitate ferentes, delectu atque usu verborum exquisito, nescio quid maturitate sua plenum ac tempestivum;

quum quantum ille dignitatis versae orationi tribuerat, hic tantum, pro eo ac licuit, solutae concesserit. En caussa, quamobrem, quum uberiore commentario, quasi his unice vacaremus, utrumque opus plus aequo intumuisse videretur, operae pretium bipartiri duximus; ut in duodevigesimo volumine *Horatii Odae*, in posteriore proximo *Satyrae* et *Epistolae*: in vigesimo autem *Taciti Annales*; in primo denique supra vigesimum, qui Classicorum latinorum erit postremus, ejusdem *Historiae* cum *De moribus Germanorum*, et *Vita Agricolae* contineantur.

Haec summa primi laboris, Adolescentes: quod tantum praefari e re duximus. De ceteris vero partibus, ne oratio in longum iret, nihil heic moramur; rati illic opportunius, ubi operis ordo postulat, ut singulae prodeant, praefandi locum futurum. Regis augusti perpetua in vos ac studiosa voluntas, ejus munificentia in sumptus versa, nostra studia contentione sua nunquam destitura, editionis tandem ipse nitor ac munda facies, vel nulla, quod vero similius est, vel certe pauca vobis desideranda relinquunt. De opere vero quantivis sit, etsi pro vestra utilitate non frustra suscepisse nobis gratulamur; pro certo tamen habemus (malum in rebus humanis vulgare ac necessarium) rem aliis vehementer probatam, satis aliis non plane facturam.

LECTORI BENEVOLO *



Paucis a Francisci Danielii obitu diebus, quum primus habitus est academicus conventus, clarissimi viri Academiae erepti memoriam honestandam esse collegae censuerunt, idque mihi muneris de communi sententia demandarunt. Equidem etsi tanti hominis mihique amicissimi jactura eram animo perturbato, illud tamen onus suscepi non invitus. Quum enim collegarum voluntati obsecundare ad officium pertinere arbitrabar; tum vero nimium sane quantum discupiebam aliquod mutui inter me et Danielium amoris monumentum publice exstare, quod animum adversus illum memorem gratumque testificaretur. Festinandum igitur existimavi, quo celerius illae veluti inferiae piis collegae manibus mitterentur. Verum vix calamum in manus sumpsi, vix mentem operi adjeci, quum nec mens, nec manus munere fungebatur suo. Adeo totus aegritudine torpere videbar et languescere. Itaque illud mihi consilium necessario capiendum fuit, ut me sustinerem aliquantisper, donec doloris sese frangeret vis, ejusque morsu animus conquiesceret. Interea, dum hanc mentis requietem exspectarem ad scribendum peropportunam, ecce tibi capitis vertigine laborare coepi. Quae primum ita me vehementer arripuit, domo ut a prandio prodeuntem humi prostraverit. Atque ea valetudo alias gravior, alias levior annum ipsum me habuit sollicitum

* Hoc pacto commentarium de studiis et scriptis Francisci Danielii praefatus est auctor.

et a meorum studiorum ratione omnino abduxit. Illud tamen mihi solatio fuit, quod, me, contra atque desiderabam, silente, Danielii ab amicis virtus praedicabatur. Nam ejus vitam Josephus Castaldius appellationum judex brevem illam quidem, sed concinnam et expolitam conscripsit: Prosper autem de Rosa eques, itemque judex appellationum domi suae perelegantem de ipsius laudibus orationem habuit in doctorum hominum conventu, qui vario carminum genere eumdem illum celebrarunt. Ubi elegos ego quoque recitavi nescio quam bona cum Apollinis gratia exaratos: carptim enim memini me, quum a capitis molestia respirarem, raptimque chartae illevisse. Porro ea morbi pertinacia, si non plane, satis tamen edomita, aliis sum deinceps atque aliis affectus incommodis, quae ab illa, quam promiseram, me scriptione distraxere.

Jam autem non multis ante mensibus Joannis Andresii sanctissimi doctissimique viri mors novo nos luctu cumulavit. Quem laudatione quum collegae pro hominis dignitate prosequendum scivissent, Danielii est injecta mentio, a meque efflagitatum est, ut quod diu deberem, tandem aliquando persolverem. Heic vero, etsi culpa id mea factum non fuerat; tamen quidam me pudor minime subrusticus pupugit, compulitque cogitationem ad eum laborem curamque adjungere. Itaque hic a me de Danielii studiis scriptisque elucubratus est commentariolus, et de collegarum sententia evulgatus. Atque hae fuere, Lector benevole, rationes, quamobrem haec tamdiu dilata scriptiuncula fuerit, et nunc tandem, cum Deo bene juvante, lucem adspiciat: quas quidem rationes per me tibi cognitas esse volui, ne, si cognoscendi te desiderium incesseret, aliunde expiscari deberes. Vale.

AD BENEVOLUM LECTOREM *

Non deerunt fortasse, qui miraturi sunt, cur ea Ecclesiae neapolitanae Canonicos incesserit cura, ut monumenta, quae hoc libello continentur, praelo subjicienda, et vulganda censuerint. Sed mirari quemque destiturum non dubitamus, modo rationibus, quae Canonicos ad eam cogitationem suscipiendam perduxere, voluerit paullisper animum advertere. Ac primo quicumque, seu quod studiorum suorum ratio adegerit, seu quod non illiberalis quidam urbis, in qua natus altusque est, originem vicesque noscendi amor adlexerit, neapolitanarum rerum scriptores volutarit; is profecto perspexit, quam male et verbis aliquando asperioribus majores illi nostros accipiant arguantque negligentiae et supinitatis. Ipsi enim omnium securi, et quasi vitae bene beateque degendae unice intenti nihil earum rerum, quae vel sua, vel proxima superiore aetate evenere, litteris consignare ac memoriae posterorum prodere curae sibi studioque habuerunt. Ea de caussa, si quem morem, si quod institutum vestigatum eas, quod temporibus paullo antiquioribus in civitate obtinuerit; nae tu spissis universa tenebris offusa offendes, nec quidquam quasi pelago demersum, improbum licet exhauseris laborem, expiscari poteris ipse per te, sine delio natatore. Hinc variae illae discrepantesque sententiae,

* Monumentum privilegiorum Capituli Metropolit. Eccles. Neapol. tali praescribendum lucubratione curavit Nicolaus Ciampittius.

hinc illae rixae plenae saepe acerbitatis inter antiquitatum scrutatores profectae, qui semilacerum lapidem, aut nummum detritum litterisque fugientibus testem invocare ad lites dirimendas debent, atque rem hariolando conjectandoque definire. Age vero, quae ad civile urbis συςημα pertinent, missa faciamus. Num minor in re ecclesiastica versata est incuria? Minime gentium: idem peccatum et multo fortasse gravius peccatum est. Quis enim jure non admiretur, Ecclesjam neapolitanam, quae maximum sibi decus in eo positum existimarit, quod christianam fidem a Beatissimo Petro Apostolorum principe didicerit, primumque ab eodem Antistitem Asprenem acceperit, IX denique saeculo exeunte Joannem Diaconum nactam esse, qui Episcoporum seriem, et res gestas colligeret, scriptoque mandaret? Atqui ita plane factum est. Sed exstitere, inquies, Joannis aevo monumenta, quae in chronico contexendo ad manum ille habuit. Credo equidem exstitisse: alioquin dicere deberemus, ea, quae conscripsit, aut memoria repetivisse, aut ex ingenio finxisse: quod utrumque longe a veritate abhorrere tute vides. Verum ea monumenta quam pauca fuere, quam repertu difficilia, quanto porro labore conquisita! Hujus rei sane illud est argumento luculentissimo, quod diacono nostro vix in illa aetatis suae caligine licuit VIII Episcopos eruere, qui per ipsa Christi tria priora saecula neapolitanam Ecclesiam gubernarint. Quod quidem quam non veritati sit consentaneum, quis tandem erit, qui non intelligat? Neque vero existimo te animum induxisse, illa tempestate aut pueros, qui regendis Ecclesiis praeficerentur, delectos esse, aut admodum diuturniorem, quam vulgo solent homines, vitam vixisse. Verum haec neapolitanae Ecclesiae nascentis cunabula fuerunt, quum Christiani plus operae in fide moribusque excolendis, quam in rebus suis scribendis impendere consueve-

rant. Quid vero quod nemo e nostratibus testatum alicubi reliquerit, quo primum tempore Beatissimi Januarii sanguis e capitis regione positus coeperit liquescere? Atqui vix obito martyrio (anno scilicet cccv) cives civem Tutelarium suorum principem selegerunt, atque eximia semper perpetuaque pietate coluerunt. Nonne haec tanta tam admirabilis rei novitas, ubi primum oculis usurpata est, animos incredibilem in modum afficere debuit ac percellere? nonne omnium sermone celebrari? Ejuscemodi tamen portenti initium nusquam a nostris memoratum invenies. Qua de re Mazochius doctissimus ille collega noster, dum in id, ut e tenebris in lucem proferretur, insudaret, animo temperare minime potuit, quin exclamaret, silentium illud sibi prodigii simile videri. Nullum enim licuit antiquiorem Aenea Sylvio (qui postea Pontifex anno cIↃccccLVIII fuit) scriptorem, hominem scilicet alienigenam reperire, a quo sanguinis sacri in capitis conspectu ebullientis mentio injecta foret. Neque haec solum, sed innumera in medium afferri documenta possunt, quae eamdem majorum incuriam palam facerent. Cavendum igitur erat, ne posteritas eamdem nobis dicam impingeret, ac tanquam rerum nostrarum incuriosos traduceret, si quae hoc tempore non mediocrem Canonicis curam molestiamque attulerunt, typis mandare praetermitteremus. Postremo illud nonnemo erit nobis objecturus, esse scilicet in Capitulo Tabularium; ibi condi atque adservari haec αυτογραφα potuisse, ex eoque, quum ex usu esset ac res postularet, expromi. Factu quidem facillimum id fuit, libentesque eo consilio usi essemus, si rationibus nostris commode provisum iri creditum foret. Dicendum est enim, etsi nobis permolestum id et gravissimum est, Capituli Tabularium retroactis saeculis non ita sancte fuisse custoditum, ut multa laude adhibitam ad id diligentiam prosequi possimus.

Tempus enim fuit, quum capitulare Archivum magna vetustorum, et quantivis pretii codicum supellectile ornatum erat: sed hos nunc ibidem frustra quaeras. Qui si exstarent, quantam illi lucem historiae hujus Ecclesiae foenerarentur, quantum decoris capitulo afferrent, quam expeditam denique ad exstinguendas in ipso exortu controversias viam et rationem commonstrarent! Atque haec tam multa nobis commoda cum ipsis deperditis codicibus disperierunt. Nec quisquam suspicetur hanc nos rem sine caussa exaggerare, aut primos hanç acerbam capitularis Archivi vicem dolere. Ille ipse Mazochius, quum medio superiori saeculo Canonicorum caussam suscepisset, atque in Tabularii pulvere volutaretur, idem vulnus non sine magno doloris sensu refricuit. *Est* (1), ille ait, *fuitque semper in Capitulo neapolitano Tabularium: etsi antiquissima quaeque cimelia hinc atque inde distracta ac dilapidata dolemus; tamen scio istud ipsum patrum nostrorum memoria fuisse satis opimum. In eo . . . codices plurimos a se visos passim laudant Chioccarellus, Tulinus, aliique his duobus antiquiores.* Cave autem putes, benevole Lector, dum haec expostulamus, aliquid de antiquorum Canonicorum fama detractum velle. Optimis illis viris nil potiori fuit curae, quam Capituli honos et dignitas: persuasumque erat, ingens se facinus admissuros, si quidquam committerent, quo collegarum decus aut commodum vel minimum minueretur. Non illi culpa, sed bonitate et facilitate peccarunt. Quod integerrimis hominibus usu solet venire: quo enim quisque sanctior est, eo minus de aliorum moribus secus existimare autumat sibi licere. Itaque quum aliqua de caus-

(1) Maz. Disser. de Ecclesiae Neap. semper un. Part. II, Cap. III, pag. 194.

sa, quae justa videbatur, alienis hominibus aditum ad Archivum patere voluerunt, tam insignis jactura praeter ipsorum voluntatem facta est.

Atque haec eo fusius, quam par fortasse fuit, aut nostra quoque initio tulit opinio, hoc loco exposuimus, ut cognosceres, quae, quamque justae fuerint rationes, quae Canonicos impulere, ut haec monumenta typis excusa lucem adspicerent. Confidimus vero neminem fore, qui ambitiose id a nobis factum esse criminetur, sed curam potius probet ac diligentiam nostram. Non enim pertimescendum est, ne idem periculum, quo de paullo ante conquesti sumus, haec diligentius custodita, et formis typographicis expressa temporis lapsu aditura sint: eademque fortuna, quae nos modo exercuit, successores nostros sollicitos sit habitura. Quamobrem certi sumus, te, Lector benevole, atque universos aequos rerum aestimatores Canonicorum consilium comprobaturos, bonique consulturos.

Itaque hoc volumine habebis: I. Apostolicas Benedicti XIII P. M. litteras. In his exscriptus est Motus, ut ajunt, proprius S. Pii V, quo Capitulo et Canonicis Metr. Eccl. Neap. restituitur et redintegratur usus Pontificalium et vestium Protonotariorum Apostolicorum. Benedictus vero XIII eumdem Motum proprium confirmavit atque amplificavit. II. Rescriptum Leonis XII Pontificis feliciter regnantis, qui jubet Pontificalia a Canonicis usurpari debere, donec controversia, cujus narratio paucis adumbrata est in eucharistica Canonicorum ad eumdem Pontificem epistola, dirimeretur. III. Apostolicas ejusdem Pontificis litteras, quibus Pii V et Benedicti XIII concessiones confirmantur et amplificantur. IV. Ferdinandi I Regis mandatum. Post pacta inter Pium VII P. M. et Ferdinandum I Regem conventa paucis ante annis inita, dubitatio orta est, num Canonicis sarta tecta esse deberet simplicium canonica-

tuum simultanea cum Archiepiscopo collatio, uti ab ipsa eorumdem canonicatuum ex Capituli reditibus fundatione possidebatur. Ea de re definitum sanctumque est, Canonicos ab immemorabili possessione moveri non debere. Altera suborta est dubitatio, prioribusne, an posterioribus semestris alterius mensibus Canonici cum Archiepiscopo canonicatus simplices deberent conferre. Proposita in Principis consistorio controversia, Rex de Ministrorum sententia statuit priores semestris menses ad Canonicos una cum Archiepiscopo pertinere.

Vive, Lector benevole, et vale.

CARMINA

AD

CAROLUM MARIAM PEDICINIUM

IN CARDINALIUM COLLEGIUM COOPTATUM

ELEGIA.

Pulchrum, vulgus ait, Pedicine amplissime, pulchrum est
  Monstrari tyrio murice conspicuum:
Atque Pii, cui caelitus est permissa potestas,
  Qua sanctis orbem temperet imperiis,
Saepe latus tegere, atque frequenti saepe senatu
  Splendida jucundo promere verba sono
Magnis de rebus, quum Patres consiliantur,
  Ne detrimenti quid sacra res capiat.
Sed quisnam addubitet, quin longe pulchrius illud,
  Virtute haec eadem se peperisse sua?
Viles, ni Virtus per se cohonestet, honores:
  Laus, ni Virtutis filia, et ipsa jacet
Despecta, ac stulto tantisper grata popello
  Haud volitat vivax docta per ora virûm.
Tollere humo potis illa hominem, caeloque locare,
  Et seris nomen prodere postgenitis.
Jure igitur meritoque tibi gratamur honorem
  Tanto delatum Pontificis studio.
Tu namque in primis carus Phoeboque Minervaeque
  Utroque insudas sedulus in stadio,
Aetas vernaret quum florida: te neque somnus,
  Te neque perblandis mollia deliciis

Otia suscepto possunt deflectere cursu,
  Difficilis salebrae nec retinere viae.
Mox campo majore excurrere laeta juventus,
  Majus et adgredier fervida gaudet iter.
Ergo animum magno laudis percussus amore
  Tu patriosque lares deseris et Patriam:
Romuleamque bona plenus spe tendis ad Urbem
  Pollentem omnigenis artibus et studiis
Doctrinae, per quae plerique extendere certant
  Famam, et lethaei despicere amnis aquas.
At desiderio icta tui prospectat euntem
  Te Patria, et votis anxia et ominibus
Prosequitur. Quocumque trahit generosa voluntas,
  Dextro, nec doleo, *Carole*, perge pede.
Sed laetor magis: en te Roma amplectitur ulnis,
  Altrix virtutum Roma, virûmque parens.
Vix experta animum, vix mores ingeniumque
  Illa alia ex aliis summa obeunda fide
Munera mandabit: mora nulla capessere jussa
  In te sit: tantis nil erit implicitum
Nexibus, actutum quod non tu mente sagaci
  Pervadas, tua quod non manus expediat.
Si noctuque diuque gravi sub fasce laborum
  Atque inter curas ingemere ancipites
Obtigerit; ne animum desponde: obnitere contra:
  Nam solida ingenti gloria stat pretio.
Nec meritae laudi olim defore debita credas
  Fortiter emenso praemia curriculo.
Proh! quam laeta mihi, quam exoptata, o decus, o lux,
  Nate, mea, his oculis fulserit illa dies,
Quum fulgentem ostro, cunctis plaudentibus inter
  Adspiciam sacros, nate, sedere patres.

AD
JOSEPHUM CASTALDIUM

QUI JOANNIS ANTONII CASSITTI HENDECASYLLABOS EI PERFERENDOS CURAVIT

ELEGIA.

Quod mihi, amicorum longe dulcissime Joseph,
Hesterna misti luce poematium,
Quum sero cubitum discessi, nocte silente,
Ad lychnum, mos est ut meus, adpositum,
Legi iterum atque iterum; satias nec me ulla legendi
Cepisset (blanda totum adeo venere
Perlitum erat, prisco et sale, nativoque lepore
Sparsum), ni pennis somnulus humidulis
Leniter excussis furtim irrepsisset ocellis ·
Cuncta statim irrorans membra papaveribus.
Ergo sopito jam corpore, quum requietis
Insuetam exagitat fervida vis animam,
Atque modis miris conradens undique formas
Rerum, diversis pingit imaginibus;
Repere sum visus pedibus nitens manibusque,
Adrepto multas per salebras itere,
Ad Pimplae culmen. Media sed valle latenti,
Deprensum ne me Pierides agerent
Praecipitem, ast oculis late loca perlustranti
Singula proh qualis sese aperit species!
Montis qua vertex diffunditur aequore lato,
Rivus et illimi desilit e scatebra:

Herbaque in molli exhalant violae hyacintis
  Mistae, mista rosis lilia purpureis:
Et calthae, narcissique, et vaccinia, et omnes
  Quas ver telluris fundit opes gremio;
Vere caelestes, pulcherrima numina vatum,
  Vultu atque ornatu mi patuere Deae:
Et roseis partim digitis et pectine eburno
  Auratae tangunt dulcia fila lyrae:
Et partim pallam subcinctae ad crura fluentem
  Pulsant candidulis ad numerum pedibus
Floridam humum: partim deducunt carmina, ad aures
  Queis pote nil homini suavius accidere.
Carminibus parvus, tacita sed amabilis umbra
  Lucus avet teneras applicuisse comas.
Immotus siluit Zephyrus, nec commovet alas
  In sanctis fixus lumina virginibus.
At longe, laeta laurus qua plurima silva
  Adcrevit, turba secubat a reliqua
Calliope, ac foliis vicina ex arbore lectis
  Nectere virgineis serta parat manibus.
Felicem, ajebam tacitus, ter et amplius, haec cui
  Afferet aeternum texta corona decus!
Felicem, quamvis duro ingratoque labore,
  Quamvis immani parta stetit pretio!
His dum animus pendet, Pimplaeo culmine Phoebus
  Se medium pulchris pulchrior Aoniis
Intulit: atque ipsis circum glomerantibus ille,
  Accita ad sese ex tempore Calliope:
Quae modo te jussi studiose intexere, cinge,
  Inquit, Cassitti laurea serta comis.
Magna quidem magua, at non indebita, nostro
  Deferimus vati praemia, Pierides.

Nostis quam placido Cassittum lumina dexter
  Olim conspexi, fulgere lux niveis
Quum caepit prima alitibus, vitaeque reclusit
  Haec spatia infirmo cuique ineunda pede.
Sed puerum ipse alui, et teneris, aetatula donec
  Firmata est, finxi cautus ab unguiculis.
Formavi mores: et quale opere in faciundo
  Cultor non curae parcere, non operae
Adsolet, ut patrius large fruticetur agellus,
  Atque suo ubertim tempore poma ferat;
Sic equidem sollers puerili in pectore coepi
  Plurima doctrinae semina conserere;
Quae studio deinceps perculta, animoque sagaci,
  Auctu multiplici fundier in segetes
Ét vos, Pierides, miratae Heliconis in umbra,
  Quaque Medusaei labitur amnis equi,
Quum sacro juvenem persancte aluistis in antro,
  Puraque facunda labra rigastis aqua.
His adeo curis atque artibus adsurrexit
  Mens animi nostro edocta magisterio,
Ut, sive ille velit Tullî recludere fontes,
  Melle ipso hyblaeo dulcius ore fluat
Eloquium; sive ille attingere plectra, lyramque,
  Concinat aeterna carmina digna cedro.
Talia ubi Phoebus divino protulit ore,
  Pierides, fieri ut re solet in subita,
Quum quiddam nobis laetum summeque cupitum
  Obtigit, atque animus laetitia trepidus
Gestit, voce omnes plausum manibusque dedere:
  At somnum plausus dispulit ex oculis.
Heic quid tecum agitas, Joseph? num insomnia nostra
  Riseris, et nugas duxeris esse meras,

Nulla quibus constet ratio atque fides? Cave, Joseph,
  Faxis. Fatidica verior ex tripode
Nec responsa unquam Delphis Antistita cuiquam,
  Neve inscripta vagis edidit in foliis
Cumaeo ex adyto crines effusa Sybilla,
  Osque afflaturo plena animumque Deo;
Quam quae per placidam demisit visa quietem
  Descripsitque velut Delius in tabula.
Nonne tibi in mentem venit, haud procul urbe Lacones
  Quos quantosque viros! sternere Pasiphaes
In fano pelles, noctesque cubare quicto
  A curis animo, somniaque elicere,
Queis magnarum illi perdocti oracula rerum
  Et belli et pacis munia dispicerent,
Ut terrae pelagique potens Spartana clueret
  Pubes aucto, Hellas qua patet, imperio?
Quum tenebras terris offundens incubuit nox,
  Altus et evinxit languida membra sopor,
Degenerumque silet curarum examen ineptum,
  Nec vitae ingratam miscet amaritiem;
Insomnis tum afflat vates, panditque futura
  Delius, in somnis abdita saepe monet.

IN OBITU

GABRIELIS FRATRIS AMANTISSIMI

AD DONATUM LILIUM

AMICISSIMUM CULTISSIMUMQUE VIRUM

ELEGIA.

Quod me saepe tuis, o jucundissime Lili,
  Leniter et verbis increpitare soles,
Et sensim monitis mentem mulcere benignis,
  Ut desiderio sit modus et lacrymis:
Ne mea perpetuo tabescant lumina fletu,
  Neu misero assiduus exedat ossa dolor,
Pectore qui nostro infixus penitisque medullis
  Nullo non animum temporis articulo
Discruciat, prohibetque diu, aut requiescere noctu;
  Vita mihi ut filo pendeat e tenui;
Tu peramanter agis, sat, Lili candide, novi,
  Injucunda neque est, sed mage grata fides;
Mi tua, quae a puero multis perspecta periclis
  Praeclare hac in re cognita difficili est.
At nosti in quantum horribili fortuna procella
  Obrutum et immersum vortice tristitiae
Detulerit barathrum, fundoque afflixerit imo,
  Unde emergendi haud est mihi spes reliqua.
Heu quae mi poterit spes affulgere salutis,
  Signandae aut lucis candidiore nota;

Quum praematuro consumptum funere, frater,
 Te subito fera mors surpuit ex oculis?
Surpuit heu misero mihi te, dulcissime frater,
 Heu vita longe, frater, amabilior.
Illa mihi sensus tecum una surpuit omnes;
 Tecum una mentem surpuit atque animam.
Quale, ubi disruptis e nubibus, incubuere
 In pugnam insani quum Notus atque Aquilo,
Exiliens fulmen quercum radicibus altis
 Avulsam, et ramis sternit humi laceram;
Pastor, vicino qui sese exterritus antro
 Abdidit, attacto corpore, vivit adhuc,
Vivit, languidulos sed lentus vix fovet artus
 Spiritus, et vita haud conscius ipse sua est.
Temporis haec nostri facies tristissima, Lili;
 En ego subreptis sensibus obstupui,
Depressusque animus se nota ad munia vitae
 Conatur, sed non est potis erigere.
At praematuro prosternens funere frater,
 Te subito fera mors abscidit exitio.
Abscidit heu misero mihi te, dulcissime frater,
 Heu vita longe frater amabilior.
Illa mihi tecum una aegre solatia mentis
 Abscidit, illa omnes invida laetitias,
Quas, dum te mansit, mi frater, vita, fovebat,
 Quae culto enituit plurima dos animo.
Sed tua non virtus, non oris gratia, mores
 Ingenui, mens, quam musae aluere bonae
Non potuere atrox Libitinae avertere telum,
 Aut tardare avidas ad tua damna manus.
Ah ego, ne tantus superincideret mihi moeror,
 Tam caro neque lux occideret capiti;

In me quam vellem dextram falcemque rotares,
  Atque hanc mi vitam, mors fera, demeteres.
Frigida nunc frater componeret ossa sepulcro,
  Deferretque pias munera ad inferias;
Atque aliquis: *jacet hic fraterni cultor amoris,*
  Praeteriens olim non sine lacrymulis
Diceret: interea manes, cineresque sepulti
  Gauderent, sensus si quis inest cineri.
Quid? num Threicius cara pro conjuge vates
  Est caecas lethi visus adire vias;
Anne vicem moerens Theseus florentis amici
  Forti animam voluit pectore prodigere;
Pro socio est ausus Damon se dedere; vitam
  Pro fratre ipse meo fundere defugerem?
Hoc ultro caput offerrem, mortemque morantem
  (Necteret invisam sicubi lenta moram)
Urgerem, et totum exciperem vel corpore ferrum
  Laetus, dum fratri lux redimita foret.
Quid loquor ah demens? quo me rapit anxia cura?
  Me dolor ut vanis vexat imaginibus!
Stat sua cuique dies, aeternoque ordine sanctae
  Leges, et solido sculptae adamante rigent:
Nec cuiquam fas est hominum perrumpere, nec fas
  Est parvas inter vel posuisse moras.
Ergo quod misero restat, dum luminis hujus
  Vitales auras carpere fata sinant;
Nunquam, o pars animae melior, carissime frater,
  E memori nunquam pectore dulcis amor
Effluet, in vita qui aluit, nexuque tenaci
  Nos hedera implicuit fortius unanimes.
Ac si filioli cepere oblivia matrem,
  Quem plenis nondum depulit uberibus;

Si quando sponsam cepere oblivia sponsi,
  Cui multum optato est dedita conjugio;
Nulla meam erga te pietatem obliteret aetas,
  Expressamque animo deterat effigiem.
Ipse tuam semper conspergam floribus urnam,
  Et semper mutos adloquar ad cineres.
Ut veniente die olim, ut decedente canebat
  Orpheus dilapsam flebilis Eurydicen,
Flebilis: emotae at rupes silvaeque sequaces,
  Compressisque aderant flumina vorticibus,
Atque ferae oblitae catulos nemora avia circum
  Blandis mulcentes aspera corda modis;
Opprimet extremo sic mors me tempore: felix
  Quum cinis ad fratris contumuler cinerem.
Sed tu, quae nostrum, Lili, testentur amorem
  Insculptas memores fac super ossa notas.

LEGES

A FERDINANDO IV UTR. SIC. REGE

LEUCIENSI COLONIAE LATAS

COMMENDAT POETA

CARMEN.

Candida purpureo tandem Tithonia velo
Exsilit oceano Virgo, rebusque colorem
Afflat mortales revocans ad munia nota;
Cum Leuci insidit super aggere jura daturus

Fernandus, Siculis late qui maximus oris
Imperat, ac molli populos moderatur habena.
Leuciadae linguisque favent, animisque Coloni,
Atque humeris densi satagunt condiscere leges.
Interea solio Fernandus ita infit ab alto.
Semper adire Deum caste, genibusque minorem
Aris advolvi sacris, sancteque precari,
Ac superis deferre pios ex ordine honores,
Lex ea prima esto, penitusque infixa medullis
Haereat, ac nunquam vel sera obliteret aetas.
Proximus at Regis cultus: Rex proximus ipsi
Quippe Deo. Hinc Illi Majestas debita, resque
Publica permissa est: ex aequo dividit Ille
Virtuti, ac sceleri pretium. Venerare parentem
Nate: parens natum studiis, et moribus orna.
Non dos, sed dulci virtus connubia nodo
Vinciat, atque eadem thalamos fidissima custos
Observet, taedasque vetet temerare jugales.
Otia vitato foedae mala semina noxae:
Te veniens, te abiens ex alto Phoebus Olympo
Daedaleas operi instantem pensoque per artes,
Certantemque alios semper praevertere cernat.
Jamque fori salebras, atque indociles labyrintos
Sedulus aufugito: tum vero injuria si qua
Concordes laesura animos exarserit, unus
Comprimat e populo recti consultus et aequi;
Ambitio procul hinc esto et malesana cupido,
Nec quoquam crudelis amor perrumpat honorum:
Non auro illusas vestes, non splendida luxu
Tecta, neque Eoo devectas litore gazas
Miretur quisquam, cupidusve praeoptet in usus.
Haec vitae pulchros ingrata absinthia soles

Inficiunt, suavesque abrumpunt invida somnos.
Idem sit vitae status, et color omnibus idem;
Idem ordo, et rerum, nullo discrimine, vultus.
His longum studiis omnes, his artibus aevum
Degunto, has gremio leges oculisque ferunto.
Qui faxit secus, actutum bis extruditor oris.
Vix ea fatus erat FERNANDUS, cum ilicet omnes
Plausum Leuciadae manibus, laetoque dedere
Clamore. Ilicibus late sonat arduus altis
Tiphata, ac rapido torquens sub gurgite arenam
Vulturnus tumidas paullatim leniit undas,
Pacatoque adiit Thyrrenum flumine litus.
Longinqui resonant Colles, ipsumque palustri
Sebethum canna devinctum tempora plausus
Excivit. Placido pater ut caput extulit alveo
Laetitiae explorat causam, atque o Borboniae lux
Et splendor gentis, FERNANDE, ait, o decus ingens
Accessure meis, atque ingens gloria ripis!
Quae Caelo subiit animi penetrale sub imum
Lux delapsa, adeo sanctas quae condere leges
Perdocuit lectae facturas aurea genti
Otia? Quas cata mens animi, quas mascula virtus
Vires exseruere! Themis miratur et ipsa,
Et cognata sinu Tibi lilia fundit eunti.
Sic olim (memini certe) exaudita secundo
Rumore ad Caelum Samii jam oracula ferri
Sacra Senis, queis eximiae generosa Crotonis
Pubes, ac Metabi proles ditissima frugum
Floruit otî eadem studiis, atque inclita belli.
Sic merita Siculum mactavit laude Charondam
Felix, dum magnis agitat sub legibus aevum,
Thuria degeneri tandem pessumdata luxu.

Quid Locris memorem dictantem jura Zaleucum,
Foecundamque viris sedem, veterique Phalanto
Regnatam terrae quondam, pelagique potentem!
Certe his magna stetit tum Graecia, nunc tua Regna,
Fernande, ac tantum magnis inclaruit ausis.
Atque utinam tales pergas excudere leges,
Ac studia, et mores reliquas inferre per oras
Imperii quocumque tui se porrigit ampla
Moles: magna iterum nostra consurget in acta
Graecia virtutum nutrix studiosa virûmque.
At jam tantarum laudum, queis se Itala virtus
Ab longo nimium somno, vitiisque sepulta
Excitet, ac solers antiquum affectet honorem,
Te Te fama loquax, Fernande Auguste, parentem
Terrasque tractusque maris pernicibus alis
Pervolitans resonat centenis vivida linguis,
Ipsaque Te medio faustum mortalibus aegris
Luce nova sidus sacrabit Gloria Caelo.

AD VIRUM CLARISSIMUM

FELICEM PARRILLIUM

RECTOREM GYMNASII NEAPOLITANI

ELEGIA.

Quid me, Parrilli rerum dulcissime, rursus
  Avia Parnassi cogis adire juga,
Castaliosque jubes invitum accedere fontes
  Desuetumque sacro proluere os latice?

Pieridas colui (fateor) mea numina, Musas
Et Te, Musarum, Phoebe, ducem colui,
Inde usque a grato florentis vere juventae,
Quum vix prima genis serperet ingenuis
Lanugo: oblitumque mei, oblitumque meorum
Me memini sanctis orgia ferre choris,
Laurigerasque inter silvas rupesque silentes
Errantem placido lumine conspicere
Incensum studio juvenem dignatus Apollo est,
Dignatae Aonides saepe fovere sinu:
Fugit at illa aetas, et retro lapsa referri
Paullatim visa est fervida vis animi;
Jucundiqne simul lusus abiere jocique
Atque homini est usque si quid amabilius.
Quare devexum senio nec Cynthius audit,
Nec veniunt faciles ad mea vota Deae.
Heic ego quî possum superare cacumina montis
Abrupti et cantus jam citharaeque potens
Delectam aeterna decerpere fronde coronam
Per quam Fernandi regia frons niteat?
Atque hoc in primis, Parrilli, tempore, vatum
Quum pia turba aveat promere laetitiam,
Quod summi certatim ope Numinis implorata
Extemplo lethi vis fuerit domita,
Redditus et populo Patriae Pater, et decus ingens,
Salvaque sit, salvo Principe, Parthenope?
Ergo illi referant priscis celebrata poetis
Falciferi ut redeant saecla beata Dei,
Ut sit parta quies, ornatae moribus urbes,
Atque emendatae legibus, actus honor,
Actum doctrinis pretium, dum laeta benigno
Perpetuas cornu Copia fundit opes.

Haec vates referant decora: at Sebethus ab alveo
  Excitus parvo plaudat utraque manu:
Suave canens placida Siren caput efferat unda,
  Et vitreis nymphas evocet e specubus;
Tum choreas peramoena agitent Crateris in acta
  Inter se dextras implicitae niveas,
Miretur scopulo pulcherrima Mergelline
  Magno Sinceri pulchrior ingenio.
Sat mihi, Parrilli, sermone expressa soluto
  Si fuerit Regis gloria magnanimi.

IN

DOMINICI COTUNNII OBITUM

ELEGIA.

Quamvis signiferum Titan decurrerit orbem,
  Ex quo perpetuus lumina, sancte Senex,
Obruerit somnus vitai munia dulcis
  Absumens penitus; non tamen, ah misero!
Vis desiderii posuit, nec qui gravis imo
  Corde dolor me omni tempore discruciat.
Sed magis atque magis vulnus crudescere in horas,
  Et longa visa est crescere cura die.
Ac fuerit, neque me fallit, defixa medullis
  Usque diuturna convalitura mora;
Ni, quum aurora nigras coepit dispellere noctis
  Hesternae tenebras, nescio quis Genius,
Sed puro certe summoque ex aethere lapsus,
  Atque os adspicier candidus atque oculos

Praesens ferret opem in somnis, omnemque fugaret
  Importunam aegrae mentis amaritiem.
Plus oculis carus si cui deflendus amicus,
  Etsi mors aevi surpuerit saturum;
In cineres, ait Ille, pios, manesque sepultos
  Cunctis persancte functus es officiis,
Impensumque satis lacrimarum est: lumina tandem
  Terge, querelarum et desine flebilium.
Non obiit, mihi crede, Cotunnius. An tibi plebis
  Insanae volupe est somnia vana sequi?
Non illam, quae, non secus ac flos, sole oriente
  Tantulum ubi enituit, sole obeunte cadit,
Vitam rere hominis: sed quam clarissima saeclis
  Virtutis verae lux alit innumeris;
Sed quam per medias laudes, plaususque vehentem,
  Penna sublimem Fama rapit trepida;
Et populis alio longe sub sole repostis
  In patriam, atque hominum fortia facta genus
Ore sonat centumgemino; nec restitat, usque
  Dum caeli sedes efferat ad superas:
Heic ubi perpetuo felix ditabitur aevo
  Mortales deinceps non subitura vices.
Ex his quantus erit tu disce Cotunnius is, quem
  Deposuisse gemis corporis exuvias.
Illum aeternabunt naturae artisque retecta
  Arcana, et doctis sparsa voluminibus:
Illum laude nova semper per saecla vigentem
  Admirata leget sedula posteritas:
Illum perfecto virtutis munere functum
  Caelestum Pietas inseret ordinibus.

IN MARMOREAM

DOMINICI COTUNNII

EFFIGIEM.

Hospes siste: diu nec te moror. Adspice sodes
Marmore quae posita est e pario effigies.
Defixos obtutu oculos, praeclara minantis
Ora viri, austerum cerne supercilium.
Agnoscis? proh mens animi quam vivida! qualis
Et quam firma acies exstitit ingenii!
Quae natura nigra circum caligine sepsit,
Quaeque ars occuluit interiore sinu,
Perdius, et pernox, nec re deterritus ulla,
Nec lassus curae, neve morae impatiens
Leniter, ac pedetentim singula perscrutando
Quas sese raptim rimula parva daret,
Deprendit felix tandem, laetusque in apricum
Longe discussis protulit e tenebris.
Hinc jam depositos ex illacrimabilis orci,
Vi morbi edomita, faucibus eripuit:
Incolumesque dedit pergrata luminis aura
Vesci, et jucundos vitae agitare dies.
Hinc Fama extemplo tam praeclare excita factis,
Uno Fama diu nescia stare loco,
Praepetibus terra ex ima se sustulit alis,
Et qua oritur sol, qua mergitur oceano,
Deproperat, nomenque viri differre decusque,
Quod non post veniens obterat ulla dies.

Sed percrebrescens saeclis volventibus, usque
   Florebit docti laus celebrata senis.
Oh quam laevus ego, paucis te velle professus,
   Sum coeptum multis ecce moratus iter;
Omnia cum possem versu complectier uno,
   Hic Cotunnius Ille, hospes abi, atque vale.

IN OBITUM

CAJETANI BONANNI

METROPOLITANAE ECCLESIAE NEAPOLITANAE CANONICI

ELEGIA.

(De Cajetani obitu queritur Clericus Adolescentulus)

Quo Pater, o dilecte Pater, nunc aufugis? Eccur
   Ocior heu nostris, quam nebula ex oculis
Quum flavit Boreas, te proripis? Haud ego sane
   Impendere meo tam subitam capiti
Fortunam veritus sum, quum tu mensibus ante
   Vix paucis sanctae me dare militiae
Nomen es hortatus timidum victricia Regum
   Regis, uti jus et par erat, arma sequi.
Tum vero instare; atque haerenti subdere calcar
   Te fore pollicitus mi comitem atque ducem.
Heic animi demum laetus nomenque professus
   Ecce novus miles sub sacra signa steti.
Atque mihi bellique artes et munia aventi
   Noscere promissa haud defuit illa fides.

Nam qui stare gradu, qui pugnacem eminus hostem
  Aggredier, qui vir cominus ire viro
Strenuus atque ardens deberem tute docebas
  Et quanta vi, quali ordine, quo studio.
Magno ego tunc opere intentus praecepta sub imo
  Pectore, ne quando diffluerent animo,
Condebam, ac rebar jam jam contingere metam
  Exoptatam. O spes futilis! o hominum
Mens improvida! conatus quam saepe laborque
  Susceptus cursu frangitur in medio!
Ut terram ex alto adspiciens appellere naũta
  Tum navem ad litus credidit incolumem;
Infelix! subito septem demissa trione
  Tempestas una spemque ratemque mari
Obruit, incassum sortem deplorat iniquam,
  Lethumque ille horret pendulus e scopulo.
Sic, dum cuncta mihi fausta eventura putarem,
  Exorta extemplo dira procella, Pater,
Pessum te dedit, et luctu me mersit acerbo.
  Quo nunc me vertam? quid mihi nunc reliquum est?
Cujus opem implorem? Ad nihilum recidere per auras
  Omnia dispersa heu temporis articulo!
Arma equidem abjiciam, desertis transfuga castris
  Quo me cumque sors male fida, sequar.
Quid loquor? aut ubi sum? quae vis insana doloris
  Ab recto mentem tramite precipitem
Abstrahit, indignasque jubet disperdere voces?
  Ah anima, ah tandem desine sic furere.
Ille beatorum caelesti sede receptus
  Ille aderit dexter, majus et auxilium
Afferet e caelo non tardus, eritque roganti
  Omni in re melior dux meliorque comes.

IN

IDEM ARGUMENTUM

EPIGRAMMA.

Siste, faveque, Hospes, lingua: isto namque Bonannus,
Qualis vir! nuper compositus tumulo
Securus dormit. Vanis absiste querelis:
Haud turbanda sacris manibus alta quies.
Sed sparge et violas et purpureos hyacinthos,
Plena sparge manu lilia, sparge rosas.
Praesidet heic Pietas, quae dulcem ut mater alumnum
In cunis, sanctis nutriit uberibus.
Illa adolescentem, illa virum comitata, nec usquam
E cari avelli passa senis latere est.
Praefuit illa eadem studiis, rebusque gerendis,
Erraret ne mens devia per salebras.
Quum vero occideret vitae lux ultima, spondae
Adsedit, lacrimam ut sedula frigidulam
Tergeret, atque animam exciperet jam jam fugientem,
Appositaque oculos clauderet ipsa manu.
Custos nunc cineres servat, tuba magna per auras
Cum sonitu donec perstrepat horribili.
Induet excitus somno tunc membra Bonannus
Debita laturus praemia justitiae.
Haec equidem scires (scitu nam digna) volebam:
I nunc, et felix persequere, Hospes, iter.

AD TUMULUM

JOSEPHI POLI V. CL.

INFERIAE

ELEGIA.

Non erat humidulis etiam detersus ocellis
  Fletus, moerenti quem dolor ex obitu
Expressit dulcis Poli, quum forte ferebam
  Ad tumulum sanctis manibus inferias.
Dum lacte atque mero sacris operarer amici,
  Nardumque ex onyche funderem Achaemeniam:
Spargerem et inde rosas circa violasque sepulcrum,
  Liliaque, et plenis thura darem manibus;
Fungentem officio casta cum mente piaque,
  Inspersis ultro non sine lacrimulis,
Perculit humana vox quaedam major, ab ipso,
  Ni mens laeva mihi, reddita sarcophago.
» Ista quidem cineri munuscula grata sepulto
  » Fidae testantur foedus amicitiae.
» At situs heic Polus non est: neque clauditur urna
  » Tam parva. Aetherios Ille habitare domos
» Caelestum et suaves divini nectaris haustus
  » Ducere jam felix, ac meliore frui
» Assuescit vita. Praestans haec praemia virtus
  » Semper tum puero, tum deamata seni,
» Perpetuusque labor peperit. Noctuque diuque
  » Tendit scrutari quae tegit alma sinu

» Cunctarum genitrix rerum Natura, catusque
» Arcana offusis eruit e tenebris.
» Porro ardens animi studiosae profore pubi
» Mandat lectu iterum digna voluminibus.
» Non Samii schola muta Senis, non Porticus Illi
» Ante ignota tuum non, Academe, nemus.
» Quid quod Parnassi silvas, praeruptaque saxa
» Montis inoffenso est ausus adire gradu,
» Nec Phaebo invito aeternas decerpere laurus,
» Et sacra juvenis nectere fronte comas?
» Polo tam clara Virtutis luce nitenti
» Atque tot ornato laudibus ingenii
» Nunc immortales inter dat vivere Virtus,
» Inter mortales jam dedit ingenium ».
Poli (credo equidem) Genius sic ore loquutus
In nubem sese sustulit aeriam.
Heic qualis matutina qui decidit aura
Ros flexo jam jam deciduum capite
Narcissi recreat florem, vel florem hyacinthi,
Splendeat ut rursum primus honor foliis;
Talis moerorem Genii vox dispulit, ingensque
Exsiliit mihi tum pectore laetitia,
Macte exclamanti macte esto, atque utere sorte,
Pole, tua, o doctae Lux nova Partenopes!

AD EXCELL. ET REVER. DOMINUM

JOSEPHUM CAPYCIUM LATRO

SENIOREM TARENTINORUM PONTIFICEM

ELEGIA.

Macte esto virtute Senex doctissime! Nil me,
  Ut percurrendi copia facta libri est,
Quin exclamarem, tenuit. Te namque tot Aevi
  Securum Medii repere per salebras
Nos non miremur, magnoque ornare labore,
  Saeclorum exterso pulvere Capycios?
Qualis ubi in silva quercus contemserit Austros,
  Expandit ramos ardua multiplices,
Qui se complexi gratam pastoribus umbram
  Praebent in medio dum furit axe canis;
Sic gens illa novo passim ditescere foetu
  Gaudet et ex una gignere stirpe viros,
Quemque suo signatum agnomine plurima per quos
  Parta domi laus est, plurima militiae.
Tu non despondes animum, sed mente sagaci
  Omnia id aetatis non secus atque vigor
Per validos artus plane juvenilis oberret,
  Excutis et pulchro lumine quidque locas.
Hinc multis claris olim, sed nocte silenti
  Depressis priscus splendor honosque redit.
At quid quod miles ferus atque statarius hostes
  Audes aggredier cominus arma manu

Fortia non projecturus nisi victor opimas
  Prostratis referas hostibus exuvias?
Perge ergo, venerande senex, perge; illinc chartis
  Posteritas quae iterum docta iterumque legat.
Labetur sic laeta diu dulcisque senectus,
  Nec tua languescet strenua vis animi.
Vive tibi interea felix, et carus amicis,
  O saecli, o gentis gloria Capyciae.

AD

FRANCISCUM DANIELIUM

VIRUM DOCTISSIMUM

ELEGIA.

Saepe domi claram Capuam bellique potentem
  Laudavit priscis fama voluminibus:
Laudavit patulo porrectos aequore campos,
  Et quaesitum agris nomen ab uberibus:
Delicias inibi, et malesani semina fastus
  Nata, atque invicti robora fracta ducis.
Quis neget haec, veteris cum tot vestigia laudis
  Intento monstret ceu digito historia?
Quod vero argenti signato pondere et auri
  Dives, prae reliquis urbibus alta caput
Illa eadem extulerit; vix crediderim affore, dictis
  Qui velit indubiam nunc adhibere fidem.
Nusquam ea tam multis procusa numismata saeclis
  Recluso nobis protulit e gremio,

Quam sane gazam censu complura minori
  Passim fudere et largiter oppidulo.
Horum claret honos, et inambulet ora virorum :
  Tu, Capua, es turpi paene sepulta situ.
Haec licuit dixisse olim. En Danielius unus
  Perficit, ut patriae gloria sarta siet.
Neve urbi tantae male posthac dicere quisquam,
  Postferre aut parvis audeat oppidulis.
Nam qui Campani referunt insignia popli,
  Mira ille expressos edidit arte numos.
Queis cata mens animi ingenuas bene culta per artes
  Ornamentum ingens addidit, ac pretium,
Dum mores hominum cascorum, numina, ritus,
  Literulas dum ipsas despicit, atque apices.
Qui vir! quam acer! quam solers! ut odora canis vis
  Compositas caeca saepe feras latebra
Vestigat; sic ille aevi monumenta vetusti
  Venari densis vel solet in tenebris;
Paedore et terso mentis vi atque arte magistra
  Ad primum potis est dein revocare decus.
Ingenii at dotes longo anteit intervallo
  Virtus qua a teneris sufficere unguiculis
Jam pectus puerile parens adnisus uterque est
  Verae monstrantes carpere laudis iter;
Quam juvenis deinceps, quam vir labentibus annis
  Omni percultam sedulus auxit ope.
Arborem ita occulto succrescere conspicis aevo,
  Insudat gnavi cui manus agricolae,
Et laetam viridi late florescere silva
  Efferre et pleno poma legenda sinu.
Hinc animus recti retinens, hinc aurea morum
  Simplicitas, qua nil extat amabilius,

Fortius aut homines jucundo obstringere nodo,
   Incidat quem nec forfice parca truci.
Hinc didicit fortunae responsare superbae,
   Servare hinc sanctae foedus amicitiae.
Quare vive diu sospes tibi, sospes amicis,
   Queis multo ambrosiae dulcior atque oculis
Carior es, Danieli: tum quaecumque polivit
   Lima, atque occlusis pressa latent forulis
Praelo age sis committito, praeclareque mereri
   Perge, ut se obtulerit copia, de patria.
Illa vicem referet: nam haerebit pectore fixa
   Gratia, quam poterit nulla abolere dies;
Teque Peregrinum inter, Mazochiumque sacrabit,
   Phoebo atque Aonio nomina sancta choro.

AD

DOMINICUM JOSEPHI F. DANIELIUM

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.

Quid, praestans animi Juvenis, quid lumina circum
   Fers, atque antiquis nobile imaginibus
Atrium; et expresso hic contemplaris avorum
   Vultus? Quidve illo totus es in *Clypeo*,
Quem praeclara Tuae gestare *Insignia* Gentis
   Picta per egregium suspicis artificem?
Ah! noli in magnis, Danieli, ducere quae Fors
   Vel plena immeritis porxit amica manu.
Vulgus ut in multis, hic errat. Gloria nulla est
   A claro veniens sanguine, nullus honos;

Ni virtus etiam accedat, clarare parentes
Olim quae valuit militiae atque domi:
Tempore quo Martem spirantes ore oculisque
Hostes e patriae finibus exigerent:
Aut Themidos ferrent oracula, sive Senatu
Res tutanda foret publica, sive Foro.
Non quod (ita ille catus seniorque magister alumni
Ante alios omnes fortis et impavidi
Pectora formabat), non quod genus ab Jove summo
Deducas Hominum rege, Deûmque patre:
Undarum nec quod matrem pelagique potentem
Nereides omnes, ludicra turba, colant;
Magnus eris, Pelide: aut te volventibus annis
Aetas mactabit postera laude nova.
Si penitus pravi succisis stirpibus otî,
Sirenum et victis strenuus illecebris;
Hoc studiis belli, pacisque exegeris aevum,
Et virtus vitae dux erit atque comes;
Ac nemo cursu melior, nemo eminus hasta;
Nemo pugnaci cominus ire viro;
Tum tua florescet virtutis filia verae
Fama haud liventi proposita invidiae.
Divina haec, Danieli: At non incauta Tuorum,
Neve Chirone minus provida mens animi.
Is certe sapiens *Agnum* nive candidiorem
Qui jussit vestro pingier in *Clypeo;*
Et duplicem hinc splendere atque hinc *Stellam*, duplicemque
Jussit *Zonam* intercurrere *puniceam.*
Quanta sub his latitat signis prudentia! quanta
Exstitit auctoris copia consilii!
Hinc capere ille suos voluit documenta nepotes,
Omnibus ut vitae partibus, officii

Constaret ratio: et species ipsius honesti
Occursans animo nocte dieque satos
Mentibus igniculos Naturae extunderet. Ergo
Quid Tuus hoc jubeat *Stemmate*, quidve vetet
Gentilis, disce ex me, animoque infige, velut quae
Phoebea Vates ederet ex tripode.
Primum *Agnus* medio insidens umbone, vel ipso
Candore, inspersa ne qua animum macula
Dedecoret Tibi noxa, monet: sed candida mores
Nullo non ornet tempore simplicitas.
Zonarum porro quae splendet *purpura*, jam Te
Fortunae ad varias nil trepidare vices
Addocet, ac stare ut cautes Marpessia, vultu
Adliciat blando, aut territet illa truci.
Quid tandem, Danieli, quid per caerula templa
Prae se quae rutilant *Sidera bina* ferunt?
Haec mentem (nam aeterna illi et caelestis origo)
Ad Caelum et Caeli gaudia vera vocant.
Quam late lucem effundunt, iter ut salebrosum
Expediant! Pulsis excita mens nebulis
Despiciet terras imas, hominumque labores
Vanos, et rerum vilia despiciet.
Tum veluti vinclis exutam, praepete penna
Sublimem virtus evehet ad Superos.
Ecce Pater, Patruusque Tuus (nam exempla decorum est
Eximiae laudis tam prope habere domi),
Ecce Pater, Patruusque Tuus, par nobile fratrum:
Nil habuere prius quam statim inire viam
Monstratam majoribus, acer, anhelus uterque
Omni in re palmae praeripere usque decus.
Quanta viris semper pietas! qui cultus, amorque
Justitiae! morum qualis amabilitas!

Quam caste sancteque inter discrimina rerum
  Cuncta obita unanimae munia amicitiae!
Quid memorem ingenuas excultum rite per artes
  Ingenium teneris jam fere ab unguiculis?
Quid quod adhuc ipso vernantis flore juventae
  Ausi Pegaseo proluere os latice?
Atque ausi superare biverticis ardua montis
  Culmina, Pieridumque orgia ferre choris.
Jamque ubi firmata est paullatim his artibus aetas,
  Lustrarunt silvas, o Academe, tuas:
Et spatia illa olim sancto celebrata virorum
  Coetu, et divino nobilitata seni.
Hinc monumenta auro contra non cara, cedroque
  Digna exstant Patrui multa polita manu:
Ingenii monumenta, ubi cuncta exposta lepore
  Nativo, et docto cuncta ubi sparsa sale.
Aetatem illa ferent, et seris prodita saeclis
  Grata utroque probet pollice posteritas.
Hoc tanquam in speculo, Danieli, Te inspice; et istam
  Ad normam Tete moribus atque animo
Sedulus et solers effinge; et respue quod non
  Es; ne majorum alta indole degeneres.



IN OBITUM

FRANCISCI DANIELII

ELEGIA.

Si mihi, dum vixti, nemo extitit, o Danieli,
  Carior his oculis, carior hac anima;
Ac tecum melli sane mihi adire fuisset,
  Qua per hyperboream terra macet glaciem
A solis disjuncta via; aut qua proxima plusquam
  Par est, ignivomis percalet ab radiis;
Quid faciam, vel quo me vertam hoc tempore, cum tu
  Corporis abrumpens vincula, sidereas
Evasti superûm sedes, placidoque piorum
  Concilio, ipsa aura tenvior aetheria,
Adscriptus frueris merito securus honore,
  Et quaecumque bonos morte manent obita?
Me certe exorto, me occaso sole videbis
  Squalere in luctu perditum et in lacrimis.
Nam quae vi presso tanta mersoque doloris,
  Unde aut mi poterit fulgere spes reliqua?
Heu amissa mihi lux jucundissima vitae!
  Heu amissa mihi pars animae melior!
Obscurus veluti sola sub nocte viarum
  Per deserta suo qui duce fretus iter
Maturat; nec opinantem caligine in ipsa
  Fido fors si qua avellerit a latere;
Tum miser extemplo, quonam contendere gressum
  Ignarus, gelido cuncta per ossa metu

Contremere, atque ducem inclamare: at diditur auras
Nequidquam in liquidas vox, nec amica redit
Ignotae tutela viae quem perpulit error
Jam diversum aliis pergere tramitibus.
Sic mihi per caecos vitae calles salebrasque,
Fortunae casus inter et ancipites
Erranti, atque prope in diem et horas multa timenti
Ille aderat dux, quam strenuus! ille comes.
Et leni modo consilio, modo ope adjutare
Praesenti, modo dulce erigere adloquio
Curabat, quod ei facundo ex ore fluebat
Melle, vel ipsa suavius ambrosia.
Nonne et saepe meis ultro rationibus ivit
Consultum prompto, ut mos, animo ac studio
Incenso? quum equidem nec quidquam tale rogassem,
Et bene longo post tempore rescierim
Tam cari officii partes non arte paratas,
Sed quas natura inseverat a puero.
Et mihi vir talis non est lugendus ademtus?
Non semper virtus tanta colenda mihi est?
Quid porro quod ad extremum discrimen inique
Sicubi amicorum res fuit atque salus
Adducta; ille suum caput objectare periclis
Visus, et ignem se se ruere in medium;
Ut, qua oblata esset via, tutaretur amicos,
Et tristi eluerit pectore amaritiem?
Virtutum foecunda parens, altrixque virorum,
Graecia, praestantum militiae atque domi,
Ne jactare velis mihi Thesea, Pirithoumque,
Quotquot et insignis foedere amicitiae
Heroes inter saeclis clarere vetustis
Fabula, vel verax prodidit historia.

Audacter quovis contendam pignore nullum
Prae nostro his titulis enituisse virum.
At tu stelligeri considens vertice Olympi
Parce, precor, nostri plurima carminibus
Si decora illa tui, Danieli, animi ingeniique
Indicta, et nullis laudibus aucta sient.
Sunt qui illud curae sibi habent, arcessere divas
Laurifero e Pindi culmine Pieridas;
Et magno celebrare ausu te sacra obeuntem
Palladis a teneris unguibus, ac Themidis,
Quo nomenque tuum laudesque oblivia nulla
Carpant, atque aetas postera suspiciat.
Nunc mihi collibitum est aperire fidelis amici
Quam caste et sancte exsolveris officia;
Unde novum atque ingens nostro decus additus aevo es
Exemplum inter nos unicum amicitiae.

IN OBITUM

VITI MARIAE JUVENATII

ELEGIA.

Candida liquisti, Juvenati, lumina vitae,
Obtexitque tuos ferrea nox oculos;
Cum te vi morbi compressa, convaliturum,
Atque intra paucos munia nota dies
Functurum incolumem cunctos spes dulcis alebat,
Quos tecum sancta mitis amicitia
Conjunxit cultus studiorum. Promti alacresque
Signum quisque suae prodere laetitiae

Certabant, et jucundum rebantur, amico
  Servato a mortis limine, desipere.
E cunctis DANIELIUS ille antistes amicis,
  Qui, fratrem ut frater diligit unanimem,
Te dilexit, ubi melius tibi inaudiit esse
  Jam factum, prae se gaudia quanta tulit!
Heu mihi quam fallax ea spes, quam gaudia vana,
  Quam laeva, et fati nescia mens hominum!
Ut simulans abitum multo dux milite vallem,
  Quam vetus ex omni silva tegit latere,
Insidet, incautum deinde improvisus in hostem
  Irruit e caeca desiliens latebra;
Haud aliter, posita mors falce, quiescere visa est;
  Tam caro plane parceret ut capiti.
Excubat interea securis perfida nobis
  Missura in sanctum tela cruenta Senem.
Tela cruenta manu jam perfida conjicit, et jam
  Uno defixum vulnere te perimit,
Optime VITE tuis aeternum flebilis, atque
  Toti adeo, qua se porrigit, Italiae
Flebilis. Ecquis enim potis est edicere quanta
  Jactura exstincto facta sit hoc homine?
Quantaque sit clades studiis illata bonarum
  Artium? Et ipsa eadem, munere quae superûm
Imas delata est olim sapientia terras,
  Cultore in primis nunc caret egregio.
Vix puerûm is disciplina ludoque profectus,
  Virtutis tam acres extudit igniculos,
Ut magnum quiddam a tenero portenderit ungui
  Perculeritque ipso lumine Loyolidas,
Quos et consilio multum et pietate cluentes
  Excellens quaedam id temporis ante alios

Cunctarum ornabat prope gloria doctrinarum
  Sparsis in vulgus parta voluminibus.
Ergo praestantem juvenem optavere, suisque
  Rebus praeclare consuluisse rati
Sunt, illo adscito. Ratio nec vana fefellit,
  Spemque hominum longe laetior exsuperat
Exitus. His namque auspicibus Vitus ducibusque,
  Aetatis cum animum fervida vis ageret,
Doctrinae omnigenae penitus penitusque reposta
  Templa adiit. Parvae non fuit ulla morae
Res juveni, aut somnus piger, aut malesuada voluptas,
  Oppositae susceptum aut per iter salebrae;
Quo secius laudis studio succensus obiret
  Injuncti partes strenuus officii;
Et longo aequales praeverteret intervallo,
  Currenti dum adhibet saepe favor stimulos.
Qualis equus generosa e stirpe duellica proles,
  Florida cui multum roboris atque animi
Suggerit aetas, si Elaeo certamina campo
  Sint ineunda; omnes ilicet intremere
Ille artus, oculis spirare et naribus ignem,
  Et quatere alternis acer humum pedibus,
Donec carceribus volet: omnes arduus ante
  Tam longo nusquam restitat in spatio,
Ni stadio tandem decurso, attingere metam
  Optatam, et palmam sit pote praeripere.
Olli qualis honos inerat, quae gratia, quae vis,
  Cum latii flumen funderet eloquii!
Sive tuam, Tulli, ubertatem suaviloquenti
  Ore, et divino promeret ingenio,
Ardentesque animos dictis mulceret, et illuc
  Quo res visa esset poscere, pertraheret;

Sive tuos, quos ipsa tibi natura, Catulle,
  Dictavit, teneros exprimeret numeros;
Queis nil cujusquam sane jucundius aures
  Allabi posset gratius, aut animum.
Cur reliquas ipsis sapientum e fontibus haustas,
  Collectasque alto pectore opes memorem,
Queis magno nomen Juvenati inclaruit auctu,
  Grataque ei primas detulit Italia?
Sed talis tantusque vir huic decus additus aevo,
  Doctorum columen et nova lux Italûm,
Occidit extorris patria, sub paupere tecto
  Duriter et parce recula in exigua
Vix vitam tolerans! Fortunae crimen iniquae,
  Immensa quod non eluat omnis aqua
Oceanus. Quamquam quid tecum nunc queror amens,
  O Fortuna, quasi ferre sinu atque oculis
Eximios homines, donisque ornare soleres;
  Et non tu potius proruercs pedibus,
Eque statu deturbares, si multa virum quem
  Et magna in cives extulerint merita?
Non bene Roma (tua dicam pace, inclyta Roma),
  Contra quam solita es, consulis historiae.
Tu complexa viros semper, quos interiores
  Literae honestarent, diaque mens animi
Secresset populo, tu munifica atque benigna
  Consuesti plena congerere usque manu
Non modo divitias, meritis sed honoribus auctos
  Ultro in sublimi saepe locare gradu.
Quid manes excire sacros, umbrasque virorum
  Magnorum e laetis nunc juvet Elysiis?
Unus sat Leo erit, sat Paullus, nominis alter
  Jam Medicaei, alter gloria Farnesii.

Commeminisse potes (neque rem ulla obliteret aetas)
Illo quae claris tempore, Roma, viris
Praemia detuleris, quanto mactaris honore;
Ad te concursus cum fierent hominum
Praestantum ex oris longe lateque remotis
Terrarum. Cuncti fervere tum studiis,
Solertesque instare operi, et proferre in apricum
Quae collaudat adhuc sedula posteritas.
His tua, Roma, ingens nunc claret gloria rebus:
Aeterna haec laudis sunt monumenta tuae.
Ejectum vero Vitum (nec gratia facti
Defluet ex animis) excipis hospitio:
Sed sinis hoc quodcumque aevi traducere, tanquam
E multis unus, nullaque multiplicis
Esset doctrinae per multas didita gentes
Fama, neque oras excederet Ausoniae:
Ast ipsi potius Fortunae ea culpa malignae
Assignanda est, quae tempore difficili
Extrusit Vitum ad te, cum argumenta liceret
Nulla tuae, ut velles, edere lautitiae.
Susque tamen deque ista fuere, et rebus in arctis
Ille Deae tumidas ore animoque ferox
Risit despexitque minas, atque irrita saepe
Vidit et ante suos tela caduca pedes.
Quid? cum alia atque alia ingentis membranula Livî
Adfixa antiquis glutine codicibus
Alite sat fausta sese obtulit insperanti,
Sordidus haud vili pulvere dum forulos,
Angellosque omnes scrutatur bibliothecae;
Quanta perfusus laetitia est animi!
Gaudio ut exsiluit Vitus pene ebrius! Olim
Non ita vementer gestiit Antiocho

Alter Scipiadûm victo atque fugato, Asiaque
Romani adjecta finibus imperii.
Atque lubens operis parva isthaec frustula magni
Praeferret perquam ditibus exuviis,
Quas tum Asia victor vastata abduxit avarus,
Et, lauro evinctis tempora militibus,
Circumfusa urbis per compita convectari
Pubes suspexit, nescia, vae miserae!
Ante oculos sceleris circum contagia ferri,
Improbaque aeterni semina dedecoris.
Heic dubitet quisquam, aetatis quin tristia Vito,
Mistaque manarint tempora amaritie,
Cum dives tot floruerit virtutibus, ac tot
Fulserit erecti dotibus ingenii,
Et quae miratur stulte plebecula avetque,
Nullo unquam sapiens duxerit in pretio?
Quare vel vanis aliquando erepte superbae
Fortunae tandem, sancte Senex, jaculis
Aeternum placide, composta pace, quiesce,
Virtutisque tuae munere, uti es meritus,
Perfruitor coetus inter victure piorum,
Re bene queis gesta Caeli adaperta via est.
Nos heic ad tumulum sacro, volventibus annis,
Spargemus cineri lilia cum violis.
At vivet nomen; laudum nam fama tuarum
Trans Alpes et trans evolat Oceanum,
Lumine dum terras perlustrans Phoebus ab oris
Eois currum flectet ad Hesperias.

IN OBITUM

BARBARAE CANDIDAE

MATRIS OPTIMAE

ELEGIA.

Tune Deûm aeternas sedes pacemque piorum
  Deseris, o suavi suavior ambrosia
Mater dum vixti? et dispellere coepit ut umbras
  Emersus vasto Lucifer e pelago,
In somnis ades improvisa, avidisque fruendam
  Insperanti offers provida tete oculis?
Tun' desiderio perfixum, et vi lacrimarum
  Absumtum blando comiter alloquio
Solata extremam curas avertere pestem,
  Mortisque ex nigris unguibus eripere?
Sic est: nec vana me lusit imagine gratus
  Error, nec finxit somnia sera quies,
Quae multo tandem post tempore fusa per artus
  Tantisper luctum pectore sopierat
Tum primum: nam Caucasea sub rupe Promethco
  Devincto ut rosit viscera vulturius;
Sic morsu noctes lento lacerare diesque
  Nunquam cura animum destiterat miserum.
At qualem adspexi! sancta et veneranda senectus
  Mi prope qua Mater numinis instar erat,
Jam ne parva quidem vestigia pressa relinquens
  E vultu et toto corpore vanuerat.

Ales ut Eois fertur Titanius oris
  Suaveolente senes abjicere exuvias
In strue: at indicto confestim e funere oriri
  Pulchrior, et tranare aethera vividior ;
Sic olli juvenilis erat vigor et decus oris,
  Quale exoptato cum puer in gremio
Reptabam, dulcesque jocos, dulcesque serenti
  Fabellas caris cara super manibus
Oscula figebam laetus. Jam proxima lecto
  Adstitit haec mecum Mater adorsa loqui:
Sit desiderio tandem modus, o mihi Nate
  Dilecte ante omnes, sitque pudor lacrimis.
Nam quid nunc animi sensus depascitur omnes
  Perpetuo gliscens vulnere cura vorax ;
Anne dolet, quod decursa jam aetate lubenter
  Vincla fatiscentis corporis exuerim ?
Invisasque diu terras, hominumque scelestos
  Vitarim coetus, institerimque viam,
Qua mihi stelliferi late rutilantia Olympi
  Templa, et caelestum fas adiisse domos ?
Mecum praeclare actum est. Atque utinam placitum Dîs,
  Ne tot protraxet nostra senecta moras !
Non ego vidissem diras ab sede sorores
  Excitas stygia concutere e manibus
Ardentes taedas, et crines anguibus atris
  Innexas foedam spargere ab ore animam,
Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum
  Actutum tetris inficere halitibus.
Hinc mala traxerunt hominum contagia mentes
  Motae : hinc sacra cohors incubuit scelerum
Cunctorum, cunctaeque ex eodem fonte nocendi
  Defluxere artes. Relligio ipsa Deo

In terras demissa omnes elidere noxae
Humanae stirpes sub pedibus jacuit
Obtrita, et nullo pietas pretio numeroque
Vulgo habita. Hinc et mos concidit ingenuus,
Priscus et hinc cultus, legumque verenda potestas
Pessum abiit. Durae in praelia saeva manus
Armatae sese cognato commacularunt
Sanguine: nec sanctae parcitum amicitiae.
Tot tamque immanes clades perscindere quirent
Obsita praedura pectora vel silice.
Quid vero quod ego infelix heu! funera Mater
Produxi gnatos, pignora cara, duo,
Queis deinceps annis florentibus intervallo
Sat parvo stamen forfice parca procax
Discidit? ipsa animam ore excepi et morte natantes
Pressi oculos misera vix tremebunda manu.
Quî non, hoc aerumnarum sub fasce gravata,
Moerore et tanto perdita corruerim,
Nescio: sed nosti singultibus externata
Quas tum detulerim manibus inferias.
Hisce carere malis poteram, ni fata senectam
Vivacem haec usque ad tempora distulerint.
Jam me tot brevia et syrtes, tot inhospita saxa
Emensam, et caecis fluctibus atque fretis
Ereptam late spumantibus in statione
Tuta defessam, Nate, locasse ratem,
Is nempe admotus stimulus te semper adurget,
Cogit et assiduos solvier in gemitus?
Ut res humanas modulo metimur iniquo!
Ut longe a vero devius error agit!
Atqui felices me animae, functaeque periclis,
Queis caelo virtus fervida stravit iter,

Excepere. Ego, natique heic, quos funere acerbo
Olim lactentes, et modo quos rapuit
Effera mors, complexu haerentes degimus aevum
Aeternum, aeterna vescimur ambrosia.
Fortunaeque vices, hominesque erroribus actos
Passim praecipites in scelus et facinus
Despicimus celsis e sedibus exposcentes
Afflictis Divorum a Patre rebus opem,
Ut bona mens saeclis mortalibus insinuetur,
Radices ut agat Relligionis amor:
Pullulet unde seges virtutum uberrima semper,
Priscorum et vireant fortia facta virûm.
Sunt ista, o Mater; nec sane oracula Divûm
Arguerim falsi. At nusquam ego te adspiciam
Posthac? At nusquam dulci sermone roganti
Voces haurire, et reddere mi liceat?
Hoccine ut ipse feram forti, mitissima Mater,
Nunc animo aeternum et flebile discidium?
Ah nequeo: nec enim pendentibus ardua saxis
Rupes, nec rabido naufraga Scylla mari
Me genuit duro vinctum praecordia ferro.
Quonam te recto tramite, Nate, dolor
Transversum insanus deflexit? Tune vocare
Hoc potes aeternum tam breve discidium?
Falleris incautus. Properare ut vita laboret
Ad calcem emissa a carcere nonne vides?
Non tam nube celer dimittitur ales ab alta
Praedator, trepidamque involat in volucrem
Accipiter, prensumque tenet, frustraque gementem
Rostroque uncisque dilacerat pedibus,
Quam rapida insequitur, nec quidquam tale timenti
Mors persaepe avidas injicit atra manus.

Quid vero cum vergenti in senium imminet illa
  Curva falce ? super non mora longa fuat.
Ut demum quam quisque diu velit, extrahat aevum?
  Degendae aetatis quantulum erit spatium?
Quin has, Mater, age, ingratus disrumpe catenas,
  Queis deorsum ingenti pondere vita premit
Invitum, terrisque affigit, spiritus oras
  Ne levis et liber devolet ad superas.
Quo tu cumque jubes, sequar: est mihi dulce supremum
  Carpere, Mater, iter, te duce, me comitem.
Cum Superis visum, Fili, haec lux occidet, atque
  Delato postquam munere functus eris;
Ordine quo rerum edixit Sator atque hominum Rex,
  Uni calcandam cuique sequere viam.
Nec miles quonam excedat statione, priusquam
  Auditum summi sit ducis imperium.
Saltem hujus, Mater, per caeca silentia noctis,
  Inter et innumeras rictu inhiante feras
Erranti, per et intutos calles, dubiaeque
  Casus per varios, perque pericla viae
Propitia atque volens adsis: et sicubi mens, aut
  Pes fallat, praesens tu rege praesidio,
Tu monitis ... Roseo hcic Mater placidissima vultu
  Adrisit, tenuem et lucida per nebulan
Attollens sese libravit in aere puro.
  Continuo tristes tum lacrimae ex oculis
Abstersae illius paullatim voce rigare
  Occoepere genas: et mihi plura loqui,
Extremamque oram vestis comprendere dextra
  Conanti, somnus lumina deseruit.

IN OBITUM

ANTONII CAESARIS

ELEGIA.

Te quoque tam carae discindens stamina vitae
Plus saeclo e plena stamina nenda colo,
Te quoque Parca rapax italo nimis invida caelo,
Ex aura, Antoni, surpuit aetheria?
Non pietas, non antiqui mores, animique
Tot reliquae dotes, tot decora eximia
Illam flexere? Et musae grajaeque latinaeque
Et tuscae, quas Tu strenuus a teneris
Ad senium pectus dulci percussus amore
Oblitus nunquam et mente pia colere,
Illius haud potuere iram mollire superbam,
Atque arcere avidas in tua damna manus?
Parca ferox lybica longe crudelior ursa,
Caute aspra longe surdior et scopulo!
At quo me recrudescens sub pectore amati
Jactura capitis nunc dolor abripuit?
Et voces (pudet heu!) tam stultas fundere adegit,
Quas mare per scythicum differet aura levis?
« Stat sua cuique dies » quae duro sculpta adamante
Ut nigra et misera est exoritura malis,
Sic felix et fausta bonis veniet, neque luctu
Illa quidem et lacrymis, sed mage laetitiae
Candidulis signanda notis, atqui inter amicos
Coetu in solemni ritu agitanda sacro est.

Atque aliquis clara redimitus tempora lauru
  Stans medius doctis splendida carminibus
Facta canat, per quae egregiis Antonius aevo
  Traducto assidue et gnaviter studiis,
Obstructum infirmis animis ad lucida caeli
  Templa sibi planum jam patefecit iter,
Heic ubi caelitibus mixto, sanctoque senatu
  Adscripto aetatem degere perpetuam
Delicias inter castas, almoque licebit
  Aeternum summi Numinis ore frui.
Cuncti autem tumulo dein ordine circumfusi
  Sacrato violas atque rosas cineri
Liliaque et non mortales fundant amaranthos ;
  At quisque extremum clamet Havc atque Vale,
Antoni, nostri lux o clarissima saecli,
  Virtutique tuae debita dona cape.

IN

DIVAM MARIAM

HYMNUS.

  O caeli terraeque potens, pelagique profundi
Diva, nites celso astriferi quae vertice Olympi,
Da faciles nobis aures : advolvimur aris
Ecce tuis, et mente pia sacramus honores.
  Te Pater omnipotens, cui rerum aeterna potestas,
Unam e virginibus Davidis sanguine cretis
Principio eximiam Verbi legit Genitricem,
Quum tempus ferret saevis ex unguibus orci
Eripere humanam sobolem, caeloque vocare.

Te Verbum, qui digna Deum complectier alvo
Virgo fores, tantis voluit virtutibus auctam;
Ut nil, dum immensus saeclorum volveret ordo,
Seu majus, seu conspiceret par aetherius sol.

Te Patris Verbique aeternus Amor sibi sponsam
Connubii sancto dilectam foedere junxit,
Divina penitus succendens pectora flamma.

Ergo ut mane novo croceis Aurora capillis
Candidulam spargit lucem, perque aera sudum
Laeta vehens solem venientem nuntiat orbi;
Sic labis pura, anguineo nec tincta veneno
Tu dias oreris pulcherrima lucis in auras
Solem justitiae mortalibus allatura.

At qui per mediae, obscuraeque silentia noctis
Emicuit splendor? quae toto gaudia caelo
Personuere? Paris jam, Virgo, hominemque Deumque,
Fatidico cecinere sacri quem carmine vates.
Is post decursam miro plane ordine vitam
E cruce quum pendet, sacratum sanguine foedus
Caelum inter feriet terramque, et Numinis ira
Restincta, populis pacem optatam afferet aegris,
Instituetque viam partae calcare salutis.

Jam vero functam mortalis munia vitae,
O Virgo Materque Dei, tua te inclyta virtus
Evocat ad palmas meritas, justumque triumphum.
Felicem! si illo me tempore terra tulisset,
Quo tantae spectare potis miracula pompae.

Aligerum conferta cohors rutilantibus auro,
Gemmisque intextis succincti vestibus omnes
Sidereas linquunt sedes, terraeque propinquant.
Hoic dextra ac laeva duplici sese ordine pandunt,
Et Dominam accipiunt mediam, pennisque librati

Aërias repetunt oras, et nubila tranant.
Splendidior solis radiis, lunaque vel ipsa
Longe candidior superas illa advolat arces.
Pugnata qualis pugna, quum magna draconem
Frustra exertantem lingua virusque vomentem
Stravit humi Regina avium, plaudentibus alis
Tollitur, et rapido gaudens secat aethera nisu.
« Panditur interea domus Omnipotentis Olympi, »
Et vates, regisque pii, patrumque senatus
Effusi portis, et laetitia exsultantes
Adclamant omnes Divam rumore secundo,
Ad latera et densi circum se fundere certant.
Ingreditur templa stellis fulgentibus apta,
Et thronum inaccesso radiantem lumine Virgo
Accedens, humilis tantis in laudibus, ultro
Submittitque genu humi, et supremum Numen adorat.
Tum Natus dulci Matrem complexus amore
Ad dextram sibi sede locat, capitique corona
Imposita late dat Reginam imperitare,
Gentis et humanae precibus, votisque vocatam
Auxilium ferre, et rebus succurrere lapsis.
Heic autem extemplo, qua qua patet, ardua divum
Regia concentu passim resonare suavi.
Caelicolae, Aligerumque chori nova gaudia miscent,
Debitaque aeterno praeconia regnatori
Alterni celebrare student, gratesque referre.
Exinde augustae incoeptant bene facta parentis,
In terris dum ageret, laeto percurrere cantu,
Virgineumque decus memorant, et Matris honorem,
Quaeque manent cunctis meritorum praemia saeclis.
Salve igitur divum, o Virgo, regina, hominumque
O Mater salve, cui credita tanta potestas,

Cui frons est immortali decorata corona.
Perfruere, ut vere merita es, tot honoribus: at ne
Filiolos, Mater, munuscula parva ferentes
Nunc sperne, et parvam ne dedignere coronam,
Quam nos, qua potuisse datum est, imitarier aulae
Caelestis pompam conati imponimus aureis
Crinibus ante oram proni, genibusque minores.
Et quamvis summa caelorum parte locata es,
Hoc tamen obsequii monumentum et pignus amoris
Excipe propitia atque volens: tu vota secunda,
Tu voces audi pacem veniamque precantum,
Tu pure casteque actae post tempora vitae
Divini Tecum vultus da Luce beari.

IN

MARIAM VIRGINEM

SANCTISSIMAM DEI GENITRICEM

ELEGIA.

Si qui stellifera caeli delapsus ab arce
Aliger admota tangeret ora manu:
Et mihi sacrato linguam detergeret igne,
Omnemque elueret nequitiae maculam:
Atque animo adjiceret male firmo robur, ut oestro
Elatum insolito ferveret ingenium;
Ingentes tum oras evolvere, Diva, tuarum
Laudum haud indignis possem ego carminibus.
Quam vellem cantu citharaque animosus eburna,
Quam vellem, alma Parens, jam tua ferre sacra
Per gentes, prima quas lustrat lampade Phoebus,
Aut ubi decurso solvit equos spatio:

Mirati audirent populi decora alta canentem,
  Perpetua quos trux obsidet Ursa nive
Vertice se attollens summo : quos dira furentis
  Austri, depresso cardine, vis macerat.
Namque Dei eximium quis non miretur amorem,
  Quo tot posthabitis unica virginibus
Communis noxae horribili miseraque procella,
  Omnium et erepta es colluvie scelerum?
Quare hominum genus antiqui dum sorde parentis
  Squalet ; Diva nites vel nive candidior.
Infernus veterique odio atque nova excitus ira
  (Monstrum horrendum atrox) infremit ore Draco;
Infremit ore, timetque sibi, ne ille exoriatur,
  Qui capite obtrito dejiciat solio
Praecipitem: hinc rabies, hinc atrum illidere dentem
  Molitur: vani sed cecidere doli.
Num potes, ah demens, Numen contendere contra?
  Anne Dei temnis fulmina missa manu,
Impia quum stulte miscentes praelia adegit
  Sub phlegethonteum teque tuosque lacum?
Isthic aeternum amissos lugebis honores,
  Improbe, et aeternum digna feres meritis.
At Virgo ingreditur vitalis limina lucis
  Pura, et virtutum clara satellitio.
Noctis ut excussis tenebris Aurora sine ulla
  Nube ex eois roscida litoribus
Os aperit roseum, sertisque comas redimita
  Laetos purpureo lumine inaurat agros:
Uvidulis circum Zephyrus dum lusitat auris,
  Et matutinae dulce canunt volucres.
Concluso aut qualis florum pulcherrimus horto,
  Nulla ubi mortali semita trita solo,

Nascitur: aurae illum placidae, sol mitior illum
  Nutrit, caelestique educat imber aqua:
Intactus pueris micat, intactusque puellis,
  Etsi avido cupiunt pectore praeripere,
Mirificum et longe lateque exhalat odorem,
  Quo pote nil melius naribus accidere.
Jam Te Divus Amor tot muneribus ditatam
  Te sibi avet, Virgo, jungere conjugio
Donis aucturus majoribus, ut tibi nulla
  Femina praestiterit, par tibi nulla siet.
Aethere (cerno equidem) properat plaudentibus alis
  Nuncius atque Eurum praeterit ac Boream.
Olli caelestis decor eminet ore, oculisque
  Lux nitet ut geminis candida sideribus:
Ex humeris pendet tenui mundissima lino
  Auroque intexta, et defluit ad teneros
Palla pedes, ambit vivo quam murice zona,
  Graudique adstringit fibula chrysolitho.
En tecti subit angusti penetrale: repente
  Effulget tremula parvula luce domus.
Heic tu miranti similis, similisque timenti
  Haeres: curas mens scinditur in varias
Anxia scrutari, si qua cognoscere fas sit,
  E caeli quidnam sedibus ille ferat.
Sed te solatur, dictis et adortus amicis
  Aliger, e trepido corde metum pepulit:
Felix! prudentes una inter lecta puellas,
  Quam sibi inaudito foedere Sanctus Amor
Spondet: vix suo obumbrabit te Numine, quum tu
  Uno eodemque simul tempore Mater eris,
Et Virgo: Jam parce metu: discrimina carae,
  Crede mihi, impendent nulla pudicitiae:

Nunquam nota viro, novies ubi cornua luna
  Implerit, terris es paritura Deum.
Non aliter fons, qui parte obsignatus ab omni est,
  Interiore salit purior e scatebra
Semper. Non illuc successit languidus aestu
  Pastor: lanigeri non adiere greges:
Non cerva e silva fugiens, quam saeva canum vis
  Exactam notis insequitur latebris,
Libera at illa via deerrans cursuque metuque
  Defessa urentem depulit inde sitim.
Sed lympha scatet illimi, nitidusque videri
  Perjucunda hilarat lumina munditie.
His erecta, oculos at humi dejecta modestos,
  Atque minor genibus, pronaque in obsequium,
Accipio, agnoscoque Deum, inquis: me modo fiat,
  Ut dixti: Dominum, quo jubet, ipsa sequar.
Ecce gravis, dictu mirabile! jam gravis alvus,
  Abdit jam sese Virginis ecce sinu
Ille Deus, qui, nondum irent quum saecla, Parentis
  Aeterni sancto splenduit e gremio:
Et terras, pelagoque, et caeli lucida templa
  Per summum e nihilo condidit imperium.
Tramitibusque suis orbes decurrere certis
  Legibus, atque statas sidera obire vices
Jussit: tum volucres pernicibus aera pennis
  Tranare, et pisces aequoris ire vias:
Per valles riguas, et apricos gramina colles
  Tondere obstipo quadrupedes capite.
Illum utero nunc, Diva, geris: fastidia nec te
  Afficiunt, tantum te neque laedit onus.
Laeta animi, morsuque levi nec pressa doloris,
  Quem votis semper, quem prece, quem lacrymis

Patres efflictim per saecula compellarunt,
Auras edes in luminis aetherias.
Proh quantam tum, Diva Parens, mortalibus aegris
Haud fluxae attuleris laetitiae segetem!
Fortunata dies! qualis non fulgere visa est
Tam niveis unquam faustior alitibus.
Per memores fastos te sacro insigniet ortu
Fundator pacis, justitiaeque Stator
Artus indutus mortales, ut via nobis
Obstructa ad superas esset aperta domos.
Omnia nam delens veterum vestigia fraudum
Rem lapsam nostri restituet generis.
Hoste profligato, spoliis et onustus Averni
Constituet magni regna beata Patris.
Per populosque dabit jura excisurus avitos
Cultus ac ritus stirpitus ex animo.
Tum surget bissena cohors delecta virorum,
Impavida, et perquam strenua militiae.
Quas res illa geret cunctas invecta per oras
Tanti freta Ducis numine et auspicio!
Europae atque Asiae penitus penitusque repostas,
Arentesque tuas, Africa terra, plagas
Lustrare, herculeaeque viae contemnere metas
Ausa, atque undisonum despicere Oceanum.
Exleges victrix homines, silvestria corda,
Divino plane molliet eloquio:
Perque insueta trahens rerum miracula coget
Non invitos in foedera justitiae.
Et qui romanas olim repulere secures,
Subjungent Christi libera colla jugo.
Exin grata prius studia aversatus ut acer
Antehac ignotum quisque iter arripiet.

Quae pietas! quam casta viris mens! quam bene mores
  Isdem compositi! quae fuga dedecorum!
Illos proposito haud potis absterrere pericli
  Vis, haud transversos verbera, crux agere.
Concordes animas pax vinclo dulcis aheno
  Obstringet miseri nescia discidii.
Omnibus idem amor, intemerata fides, alacerque
  Extremam alterius alter adire vicem.
Hanc rerum attonitus faciem admirabitur orbis,
  Atque e tam vili saecla oritura luto
Aurea prospiciens palmas ad sidera tendet,
  In signa effusus vivida laetitiae
Laudes concinere, et grates natoque, tibique
  Gestiet, o Virgo, pendere perpetuas:
Evertensque Deûm simulacra arasque scelestas,
  Uni curabit templa sacranda Deo.

IN OBITUM

HORATII CAPPELLII MARCHIONIS

ELEGIA.

Etsi plenum annis te mors et honoribus auctum,
  Cappelli, ex aura surpuit aetheria;
Non tamen est desiderio modus: haeret inustus,
  Consumptis lacrymis, moeror adhuc animo;
Et tristes abeunt soles noctesque, neque omnem
  Detergit somnus pectore tristitiam.
Egregii capitis tam candida stamina non hoc
  Tempore, crudeli forfice debueras

Rumpere, Parca procax! niveo sed ducere filo
  Ultra quam Pylio fata stetere seni.
Nescis quantam hominum saeclo in pejora ruentum
  Pestem tali ausu et perniciem attuleris?
Nam cunctarum in eo virtutum exempla, velut si
  Vivida apellea picta forent tabula,
Spectare, inque suam poterat rem vertere quisquis
  Recto affectaret tramite laudis iter:
Artibus inde bonis alere atque ornare juventam,
  Et sophia penitus disceret inficere;
Et quae miratur vulgus, postponere honesto;
  Nec justo abduci vel prece vel pretio.
Nescia si flecti, saevisque immota procellis
  Vis animi ad summum evexerit usque gradum;
Non ideo efferri, fastuque tumescere, neve
  Despicere adducto cuncta supercilio;
Aut infra positam, at dulcem, at sine labe, diuque
  Perspectam nihili ducere amicitiam.
Tum prius extremo caput objectare periclo,
  Obstrictam Regi quam temerare fidem.
Atque alia atque alia eximiarum insignia laudum
  Cui non indidem erat perfacile arripere!
Ecce ea tam magno ex usu nunc commoda nobis,
  Atropos, ecce tua disperiere manu!
Disperiere? meus quo me dolor abstulit! o quam
  Falsus ego, isthaec qui jam bona crediderim
Cappelli occasura obitu! sed te mage lusit
  Praeceps, o Parca improvida, mens animi.
Si tantum extinxes lumen, decora illa putasti
  Actutum uno eodemque obruere in tumulo.
Te certe heic fugit ratio, te vana fefellit
  Spes, et disjecit per mare vota notus.

Namque ut tot rebus praeclare atque ordine gestis
  Ante fuit sancti vita imitanda senis;
Sic Lex Naturae bene doctis tradita chartis,
  Ingenii et claris illita luminibus
Erudiet post mortem homines vertentibus annis,
  Atque ad magna acres adjiciet stimulos.
Interea extento vivet Cappellius aevo,
  Ridebitque tuas, invida Parca, manus.

AD VIRUM CLARISSIMUM

PAULLUM DE ARETIO

EPIGRAMMA.

Quod fuco haud tinctis majores laudibus ornas,
  Paulle, tuos, factum credo equidem egregie.
Postulat hoc pietas, et res dignissima cura est,
  Antiqui ut vivax gloria stet generis;
Et seros exempla acuant praeclara nepotes
  Sive domi olim, sive edita militiae.
Haec belle. At quod me laudas, quod nomine nostro
  Nunc in conspectum carmina vis hominem
Prodire inscripta; id vero factum male; pace,
  Paulle, tua plane dicere mi liceat.
An ratus es doctis sic lucem adspergere chartis?
  Longe a vero mens discrepat et ratio.
Ex dura quamvis exsudes atque labores,
  Scintillam vi vix extuderis silice.

ANTONIO VINSPEARI

CONJUGI PARENTIQUE AMANTISSIMO

CONJUX ET LIBERI.

In te virtutis verae dum vita superstes
  Effulsit lux quam splendida quantus honor!
Ut mors etsi aetas ad seram adducta senectam est
  Nobis te pueris visa sit eripere;
Defixus tamen haerebis sub pectore erisque
  Perpetuae inter nos vinculum amicitiae.
Ut te homines suspexere ut dileximus ipsi,
  Sic exoptamus te placuisse Deo.

IN
IGNARRAE EFFIGIEM

Ignarram adspicito vestigia magna legentem,
  Quae saecli impressit gloria Mazochius.

(*VEL*)

Ignarrae ut species nativo expressa colore est!
  Qu is mores, quis opes exprimet ingenii?

IN

DANIELII EFFIGIEM

Est potis effigiem Danieli abolere vetustas:
Non abolere animi tot monumenta potis.

(*VEL*)

Nativo ut species Danieli expressa colore est!
Quis mores, quis opes exprimet ingenii?

(*VEL*)

Haec facies homini. At si animus quitus ipse fuisset
Pingi; quae se lux funderet e tabula!
Heic cata mens, verique tenax, candorque fidesque
Luceret, magni tum vigor ingenii.

PARAPHRASIS *

Vitam, quisquis es, infido ne credere pergas
Neptuno, curae si modo vita siet.

* La eroica azione di Ugone Elliot del dì 9 luglio 1804 meritò i più segnalati encomii. Quindi fu a lui intitolato il seguente Sonetto da Francesco M. Berio, che il Ciampitti parafrasò.

Gonfio al fischiar di procellosi venti
Il mar soverchia le sebezie sponde:
Mostran dal lido le atterrite genti
Un uom già quasi assorto errar per l'onde.

Ei cerca invan tra' vortici frementi
Tutte spiegar le forze moribonde:
Fiera lo assale, e i dolorosi accenti
Con l'ondoso fragor morte confonde.

Nec te decipiat blandi pellacia ponti;
Illa heu! incautos opprimit atque rudes.
Namque licet levibus circum lenissimus alis
Advolet, ac placidas crispet aquas Zephyrus;
Dira tamen nec opinanti, surgentibus austris,
Vis tempestatis saepe coorta minas
Intentat, volvensque ex imo caerula fundo
Obruit intortis, nec mora, vorticibus.
Naufragus en mediis jam jam moriturus in undis,
Cui modo fregerunt aequor et aura fidem,
Huc illuc exspes propellitur impete vasto,
Debetque irato ludibrium pelago.
Concidit et vigor et vox: affusaeque per actam
Turbae vix tremulis poscit opem manibus;
Nequidquam sed poscit opem; sibi quisque timere
Ediscit damno cautior alterius.
At praetervectus curru quis desilit, ac se
Laturus praesens auxilium misero,
Projicit in tumidos fluctus, aestumque furentem
Acer, atrox, animae prodigus egregiae?
O Heros, misit quem magna Britannia ad oras
Parthenopes, gentis gloria prima tuae,
Tu servas hominem, spoliis et onustus opimis
Ipso vel major Hercule litus adis.
Maxima si Alcidae laus est devicto Acheloo;
Nunc tibi devicto major erit pelago.

Ma chi sbalza dal cocchio, e al comun pianto
Scagliasi in mezzo ai flutti, e i figli suoi
Lascia, e l'incerta sposa al mare accanto?

Elliot tu sei! tu salvo il rendi a noi:
Emulatore dell'erculeo vanto
E di rara pietà specchio agli Eroi.

AD

FRANCISCUM DANIELIUM

IN MORTEM

MARCHIONIS CAROLI DEMARCO

ENDECASYLLABI.

Te per ossa parentis utriusque,
Aut si est sanctius ossibus parentis,
Abstergas rogo, Danieli, ocellos
Suffusos lacrymis die atque nocte
E desiderio Senis beati,
Cui te pluribus obligavit annis
Culpari metuens fides, amorque
Fortunae comes utriusque fidus.
Ni caves, bone Danieli, ocelli
Turgentes tibi mane vesperique
Tabescent, maciesque tristis omnes
Serpet pallidulos brevi per artus.
Quod certe ille negat Senex beatus,
Quem haud decent lacrymaeque naeniaeque.
An rere illum obiisse, cum suprema
Die lumina perditus tremente
Dextra claudere vix Tibi imperasti?
Virtus haud obit, haud potest obire,
Sed vivax petit astra agente penna.
Senex optimus et labore et annis
Fractus jam placidas iuit piorum
Sedes, despicit unde nos homullos

Nugis implicitos ineptiisque.
Indidem, mihi crede, Danieli,
Forti sis animo jubet bonoque,
Ne tandem lacrymis perempti ocelli
Obducant maciem brevi per artus,
Et malum tibi dent tuisque amicis,
Queis nil te prius est suaviusque.

IN

NICOLAI FERGOLAE

EFFIGIEM

Scrutari veteres felix, felicior idem
Ante novos omnes ire Mathematicos.

IN TUMULO

FRANCISCI LAURIAE

Hoc flos ille virum situs est Lauria sepulcro:
Tu pleuis, Hospes, lilia da manibus.
Illum, dum occulto sensim pubesceret aevo,
Casto certatim Pierides gremio
Ingenii felicem aluere. At Pallas in altis
Naturae et veri dogmata porticibus
Erudiit juvenem. Toto dein pectore aventi
Ipsis scrutari jura sacris adytis
Dedignata imos non est aperire recessus,
Sepositas et opes pandere sancta Themis.

Nec minus ad Tulli ac Demosthenis ille fluenta
Largo haustu, multa laude sitim pepulit.
Et mirum miseris laturus opem atque salutem
Consessu in magno si rapidus rueret
Ceu torrens praeceps, assuetusque impete vasto
Moles obstantes sternere et abripere!
Curia nunc tantum heu desiderat ornamentum
Moesta, Forum lumen, praesidium miseri!
Hospes, honorata cineres dic pace quiescant:
Dic, anima in primis inclyta, ave atque vale.

VATICINIUM LEOPHRONIS

LIBERA PARAPHRASIS.

Leophron. At quae repente, quae me surpuit mihi
Divinior vis? Per liquentes aetheris
Campos vehor, Divum domos caelestium.
Caliginosa nocte, quae premit Deus
Arcana mî patent. Favete mentibus
Linguisque, dum fata eloquar: nec discrepent
Modis lyrae, vel tibiae discordibus.

CHORUS.

Fata, dispulsis tenebris, recludit
Ore divino Pater. Obstrepentes
Concidant Euri, placideque ponto
Rideat unda.

Leoph. Foecunda virtutum, virumque fortium
Parens et altrix Italia, armorum potens

Legumque, tristitiae modum tandem tuae
Nunc fige. Deus en ipse caeli vertice
Fulmen rubente torquet actutum manu.
Reges superbos, servitio qui te gravi
Nimium diu pressere, pallentes metu
Videre videor conjicere sese in fugam:
Tibique veterem restitutam gloriam
Et dignitatem praepotentis imperi.

CHORUS.

Fata, dispulsis tenebris, recludit
Ore divino Pater. Obstrepentes
Concidant Euri, placideque ponto
Rideat unda.

Leoph. Heu quam indecoris te male multatam modis
Egere cives sub jugum atque principes
Multo getulis saeviores tigribus!
Sed lacrymarum jam satis. Rerum novus
Ordo exoritur. Heros, retro cui saecula
Neque extulere, neque post efferent parem,
Te servitutis eripiet tenacibus
E vinculis! Regina tu late tuis,
Illo jubente, jura scribes urbibus:
Qua Phoebus effert, aut nitidum occulit caput,
Populi volentes te reverentur ultimi.
Bindecus. O Italia, o tellus superis gratissima,
Unde tibi tantum praesidium et tantum decus?
Philt. Quis tantus heros? quinam genus? unde is domo?
Leoph. Caelestis olli origo fuat, caelestibus
Delapsus ex oris generi mortalium

Orbem universum sanciet virtutibus:
Ille sinu geret horrida bella
Et laetam pacem. Arsit ubi ira,
Marte ferocior intonet armis:
Si placido clementia vultu
Riserit, orbis ubique renidet.
Victus inermis
Si sibi sceptra
Poscat adempta;
Victor inermi
Sceptra lubenter
Donat adempta.
Si male fidus
Rursus ad arma
Proruit amens;
Turbinis instar
Decutit alta
Sede superbum:

Atque virum in solio belli pacisque decorum
Artibus et multa insignem pietate locabit.

Bind. O fèlix ter, et amplius
Aetas, qua Pius aurea
Reddet saecula gentibus!

Philt. Tunc fraus exsulet omnis et
Terror: tunc amor et fides
Cum rege adsideat suo.

Leoph. Proh quale portentum se oculis offert meis!
Heus tibiae horrendum lyraeque personent:
Non usitato more mentem agitat Deus.

CHORUS.

Fata, dispulsis tenebris, recludit
Ore divino Pater. Obstrepentes
Infremant Euri : furiosa ponto
Mugiat unda.

Leoph. Undantem innocuo sanguine regiam
Pererrat furiis excita foemina :
En circa solium strata cadavera
Prostant trunca suis, heu scelus! artubus.
Hic illa insidet, ac torva tuens feram
Expirat rabiem et terrificas minas.

CHORUS.

Fata, dispulsis tenebris, recludit
Ore divino Pater. Obstrepentes
Infremant Euri : furiosa ponto
Mugiat unda.

Leoph. At jam jamque scelus poena premit comes.
Disruptis fremitu nubibus horrido,
Involvensque nigro turbine regiam
Vibrat tela manu Juppiter ignea :
Extemplo in cineres disjicit aridos
Tot tantisque gravem criminibus thronum.
Oh! fati series quam mihi candida
Objecta est oculis. Emicat en novus
Antiqui e cinere, et splendidior thronus :
Miris ecce sedet foemina dotibus,

Qua non visa homini est clarior altera.
Ut caelo Ausoniae laetior enitet
Titan! ut populis gratior it dies!

BIND. O felix ter, et amplius
Aetas, auspice quum Dea,
Pax alma Ausoniae plagis
Regnet laetaque faustitas.
Tunc fraus exsulet omnis et
Terror: tunc amor et fides
Reginae adsideat suae.

LEOPH. Tuque, o Jovis Filia, Minerva praepotens,
Tun' perditorum hominum improbis calumniis
Agitata semper exsulabis regia?
Numquamne rebus praesidentem publicis
Populus bona spe plenus intuebitur?
Numquamne te belli domique consulent
Magni duces late imperantes gentibus?
Huc e supernis, huc, Minerva, sedibus,
Adsis, Senisque scita sancti provehe.
Te Rex sinu complectitur justissimus,
Te fert in oculis. Sola leges fixeris,
Sola et refixeris salus quum postulet
Populi. Italas rumor per oras sonet.

LEOPH. BIND. PHILT.

Cara Jovis soboles solio consedet in aureo,
Et late populos aequa moderatur habena.

CHORUS.

Rex est par superis, qui sapientiam
Adscivit comitem et justitiam. Is suos
Securo populos temperat otio
Segnes mutua dissolvere foedera.

ACTORES OMNES.

Commota ex Erebi Tisiphone specu
 Funestam horribili concutiat facem
 Dextra: misceat et praelia, et ultimo
 Pessum regna paret exitio dare;
Ille, Ille impavidus, mole vigens sua,
 In pugna trepidas temnet Erinnyas:
 Clarescetque novis auctibus in dies
 Laetos ancipitis Martis ob exitus.



INSCRIPTIONES

INSCRIPTIONES
DEO AC SANCTIS
DICATAE

IN ACADEMIIS NOMINE JESV HABITIS

I.

NOMEN . JESV . SANCTISSIMVM
CVJVS . NVMEN . ET . MAJESTAS
VBI . PRIMVM . ORBI . TERRARVM . AFFVLSIT
POTENTISSIMVM . DAEMONIS . IMPERIVM
QVOQVO . VERSVS . PROPAGATVM
EVERTIT . FVNDITVS . PLANE . QVE . DELEVIT
ET . GENTEM . MORTALIVM
E . TETERRIMA . SERVITVTE . EREPTAM
IN . LIBERTATEM . FILIORVM . DEI . VINDICAVIT
DEBITA . LAVDVM . PRAEDICATIONE
IN . COETV . HOMINVM . LECTISSIMORVM
HAC . IN . AEDE . CELEBRATVR
AVSPICE . FERDINANDO . BORBONIO
PRINCIPE . REGIO
FRANCISCI . CALABRIAE . DVCIS . F.
FERDINANDI . REGIS . N. NEAETHI . DVCE
CIVIS . HOSPES . INGREDERE
GRATES . QVE . HOMINVM . SERVATORI
LVBENS . VOLENS . PERSOLVE

II.

AVGVSTISSIMI
CHRISTI . JESV . NOMINIS
DIVINAM . VIRTVTEM
PER . QVAM . TETERRIMA . DAEMONVM
SVPERSTITIONE . PROSTRATA . PENITVS . QVE . DELETA
CAELESTIS . IN . SPIRITV . ET . VERITATE . DEVM
ADORANTIVM . RELIGIO . CONSTITVTA
CVNCTAS . ORBIS . REGIONES . PERVASIT
VATES . PIENTISSIMI
DEBITO . LAVDVM . PRAECONIO . CELEBRATVRI
PRAESTITVTA . DIE . CONVENERE
SVB . AVSPICIIS
ALOYSII . MEDICEI
CVM . AVITAE . NOBILITATIS . HONORVM . QVE . FASTIGIO
TVM . RERVM . GESTARVM . GLORIA . CLARISSIMI
SIVE . CIVIS . SIVE . ADVENA
INGREDERE
GRATI . QVE . IN . DEVM . ANIMI
OFFICIVM . PERSOLVE

III.

ANNIVERSARIA . REDEVNTE . LVCE
AVGVSTISSIMO . NOMINI
CHRISTI . JESV
SACRA
QVI . PENDENS . E . CRVCE
PRINCIPATVS . ET . POTESTATES . INFERNAS
ADMIRABILI . PRORSVS . VICTORIA
DEBELLAVIT
ACADEMICI . DE . MORE
NOBILISSIMVM . TRIVMPHVM
VNICE . QVE . HOMINVM . GENERI . SALVTARE
SVB . AVSPICIIS . SANCTISSIMIS

PII . VIII
OPTIMI . MAXIMI . QVE . PONTIFICIS
CELEBRATVRI . CONVENERE
QVIS . QVIS . ES . INGREDERE
VICTORI . QVE . TRIVMPHANTI
PLAVDITO

IV.

SACROSANTVM . JESV . NOMEN
SIMVL . ATQVE . APOSTOLICA . TVBA
VNIVERSAS . TERRARVM . ORAS . PERVAGATVM . EST
SPLENDIDISSIMA . COEPIT . LVX . HOMINVM . GENERI . OBORIRI
QVAE . CALIGINOSA . ERRORVM . NOCTE . DISPVLSA
ET . DETECTA . TETERRIMA . VITIORVM . FOEDITATE
MORTALES . ANTEACTAE . VITAE . PVDORE . SVFFVSOS
AD . JVSTA . PIETATIS . ADVERSVS . DEVM . OFFICIA
CERTAM . QVE . BEATAE . IMMORTALITATIS . SPEM
EREXIT . PLANE . QVE . INFLAMMAVIT
VATES . PIENTISSIMI
AD . GRATES . DEO . PRO . TAM . SALVTARI . CLEMENTIAE
IN . NOS . MVNERE . STATA . DIE
SOLEMNI . LAVDVM . DEBITO . QVE . PRAECONIO . AGENDAS
HANC . IN . AEDEM . DE . MORE . SE . CONTVLERE
QVIS . QVIS . ES . INGREDERE
CASTAS . QVE . PRECATIONES . CARMINIBVS
LECTISSIMIS . ADMISCETO

V.

JESV . CHRISTI
VNIGENAE . SVMMI . PARENTIS . FILII
ANTE . SAECVLORVM . PRIMORDIA
IN . SPLENDORIBVS . SANCTITATIS . GENITI
NOMEN . SANCTISSIMVM
ANNIVERSARIA . LVCE . REDEVNTE
ACADEMICI

JVSTO . LAVDVM . PRAECONIO . CELEBRATVRI
IN . HOC . TEMPLVM . SE . COLLEGERE
ANNO . SECVNDO . IMPERII . FERDINANDI . II
REGNI . VTRIVSQVE . SICILIAE . REGIS
. QVIS . QVIS . ADES
HVMANI . GENERIS . SERVATOREM
PIE . CASTE . QVE . OBSECRATO
VT . QVOT . ANNI . FERDINANDO . I . FLVXERVNT
TOTIDEM . OPTIMO . PRINCIPI . FERDINANDO . II
FLVANT . FELICISSIMI

VI.

NOMINIS . SANCTISSIMI
E . CAELO . PER . ANGELVM . IN . TERRAS . DELATI
OMEN . MORTALIBVS . FAVSTISSIMVM
JESVS . CHRISTVS . FIRMATVRVS
DECRETO . ADVERSVS . NOS . INDVCTO . CRVCI . QVE . ADFIXO
PRINCIPATIBVS . ET . POTESTATIBVS . TRIVMPHATIS
HOMINVM . GENVS . A . MORTE . SERVAVIT
TANTVM . DIVINAE . CLEMENTIAE . MVNVS
LECTISSIMI . CIVITATIS . VIRI . LAVDIBVS . PROSEQVVTVRI
DE . MORE . FREQVENTES . CONVENERE
SVB . AVSPICIIS
CELSITVDINIS . REGIAE
LEOPOLDI . BORBONII
SALERNI . PRINCIPIS
CIVIS . HOSPES . VE . INGREDERE
PIA . QVE . MENTE . ADESTO

VII.

D. O. M.

SOSPITATORI GENERIS HVMANI.

QVOD . AN. CIƆIƆCCXCIV . CVM . E . VESVVIO . IGNIVM . TORRENTES . ET AQVARVM . DILVVIES . E . MONTE . PROXIMO , SESE . INGENTI . VI

PREMITV . QVE . ET . FVNDERENT . ET . PAGIS . CIRCVMPOSITIS . EXTREMVM . EXITIVM . AFFERRENT . AB . OPPIDO . SVMMANORVM . CLADEM ET . VASTITATEM . SVBJECTIS . AGRIS . ET . AEDIFICIIS . IMPENDENTEM AVERTERIT . POPVLVS . VOTVM . LVBENS . MERITO . SVSCEPIT . VTI QVOTANNIS . IN . PERVIGILIO . SS. CORPORIS . CHRISTI . INCOLAE POSTERI . QVE . EORVM . AB . OMNE . GENVS . OBSONIO . ABSTINERENT EO . QVE . DIE . PANE . TANTVM . ET . AQVA . VICTITARENT . VVIRI AVTEM . ANNALES . NE . BENEFICII . IMMORTALIS . VOTI . QVE . PVBLICE CONCEPTI . MEMORIA . LAPSV . TEMPORIS . INTERMORERETVR . TITVLVM HEIC . LOCI . PONENDVM . CVRAVERE . AN. CIƆIƆCCCIII.

VIII.

CIBORIVM
SANCTISSIMO . CHRISTI . JESV . CORPORIS
ADSERVANDO . COMPARATVM
ANTEA . LIGNEVM . ET . VETVSTATE . SQVALIDVM
NVNC . VERSICOLORI . MARMORE . DECORVM
PARIETIBVS . ANTERIORIBVS . AERE . INAVRATO
OMNI . EX . PARTE . CONVESTITIS
PORTVLA . QVE . E . SOLIDO . ARGENTO
CVM . VARIIS . IMAGVNCVLIS
PRO . ARAE . MAXIMAE . DIGNITATE . EXORNATVM
ANGELVS . MARIA . DE . SIMONE
HEBRAICAE . LINGVAE . IN . GYMNASIO . NEAP. PROFESSOR
DE . SVA . PEC. FACIENDVM . CVRAVIT
A. R. S. CIƆIƆCCCXXVI

IX.

HOC . SACELLVM
QVOD . SS. D. N. J. C. CRVCI
HERCVLES . CIAMPO . EX . MVTII . CINQVINA . FREQ. EPISCOPI
AVCTORITATE . AN. CIƆIƆCII . DEDICAVIT
ET . ADORNA . MATTIA . ANT. CIAMPO . VXOR
MAJORI . DEINDE . CENSV . ADAVXIT
QVVM . IN . CATHEDRALIS . HVJVS . RESTAVRATIONE
A . JOANNE . TORTI . EP. SACELLO . S. MARIAE . DE . LIBERA

ADJVNCTVM . TRANSLATVM . QVE . HVC . FVISSET
JOSEPH . CIAMPO . ANT. F. CVM . SEPVLCRO . FAMILIAE
ATRIO . SEDILI . ORNATIVS . RESTITVIT
POSTEA . QVVM . IN . BENEFICII . TITVLVM
CONFERRI . ESSET . COEPTVM . RECTORIBVS
JANVARIVS . CIAMPO . JOS. F. DE . S. R. C. SENTENTIA
ET . $\overline{\text{V}}$VIRVM . S. CLARAE . SANCTIONE
AD . CAPPELLANIAM . LAICALEM . REVOCANDVM
FAMILIAE . QVE . SVAE . AN. CIϽIϽCCLXXX
FABIVS . DENIQVE . JAN. F. VTI . EX . MAJORVM . TABVLIS
SACRA . QVOTIDIE . DE . MORE . FIERENT
ALTARE . CVM . PRIVILEGIO PERPETVO
A . PIO . VI. P. M. IMPETRANDVM . ET . LAPIDEM
MEMORIAE . TESTEM . PONENDVM . CVRAVIT

X.

TV . DIVA . CAELI
TERRARVM . QVE . POTENS
N. N.
ORIS . SVI . SERENITATE
PROVINCIALES . EXHILARANTEM
PRAESENS . PROPITIA . SOSPITARE
VTI . PRINCIPIS . INDVLGENTISSIMI
INCOLVMITATE . SAPIENTIA . BENIGNITATE
RES . NEAPOLITANA . NIMIVM . DIV
TETERRIMIS . ATTONSA . CLADIBVS
TANDEM . REFLORESCAT
ET . LAETIORIBVS . IN . DIEM . INCREMENTIS
LOCVPLETETVR

XI.

IN AREA DOMVS PVELLARVM SS. CONCEPT. PROPE AEDEM NOVAM DIVI EPHREMI.

SIMVLACRVM
DEIPARAE . SINE . LABE . CONCEPTAE
QVOD . IN . PATRVM . OLIVETANORVM . COENOBIO

INCVLTVM . OBSOLESCERE . SENSIM . VIDEBATVR
A . FERDINANDO . REGE
PVELLIS . SVB . EJVSDEM . VIRGINIS . TVTELA
HIC . DEGENTIBVS . DONO . DATVM
DOMINICVS . MARIA . VENTAPANE . EPISC. THIEN.
HVC . TRANSFERENDVM
PYRAMIDI . QVE . ELEGANTIORI
IMPONENDVM . CVRAVIT
AN. CIƆIƆCCCXVII

XII.

DIVO . FRANCISCO . SALESIO
GENEVENSIVM . EPISCOPO
IN . QVO . CARITATIS . CHRISTIANAE . EFFIGIES
OMNIBVS . EXPRESSA . LINEAMENTIS
ET . AD . COMPARANDAM . ANIMARVM . SALVTEM
VNICE . CONFORMATA
ADMIRABILEM . PLANE . IN . MODVM
AGENDO . SCRIBENDO . QVE . SEMPER . ELVXIT
ALVMNI . HVJVS . SODALITATIS
VTI . EANDEM . ILLAM . VIRTVTEM
RELIQVARVM . OMNIVM . PARENTEM . ET . ALTRICEM
SIBI . VNIVERSO . QVE . CLERO . NEAPOLITANO
A . CHRISTO . JESV . EXORET
LVCEM . HANC . SACRAM
MAJORI . QVA . POTVERVNT . HONORIS
AMORIS . QVE . SIGNIFICATIONE . CELEBRANDAM
CVRAVERE

XIII.

DIVO . FRANCISCO . SALESIO
SOLEMNIS . HONOS
SOLE . LVCEM . FESTAM . REFERENTE
PERSOLVITVR
HVC . INFER . QVIS . QVIS . ES . PEDEM

ET . TANTVM . APVD . J. C. SEQVESTREM
PIA . PRECATIONE
TIBI . DEMERERE

XIV.

DIVO . FRANCISCO . SALESIO
ANTISTITI . SANCTISSIMO
QVI . QVVM . TOTO . PRAESVLATVS . SVI . DECVRSV
AD . ABSOLVTAM . AETERNI . PASTORIS
IMAGINEM . SE . SE . FINGERE
CVRAE . SIBI . STVDIO . QVE . VNICE . HABERET
CARITATE . PLANE . ADMIRABILI
INCREDIBILI . QVE . LABORVM . MOLE
INNVMERAS . OVES . ERRABVNDAS . ET . DEVIAS
IN . DOMINI . CAVLAM . ADDVXIT
CONSCRIPTIS . VERO . VOLVMINIBVS
CAELESTI . SAPIENTIA . RESPERSIS
ITER . AD . PIETATEM . CHRISTIANAM . TVTVM
ET . EXPEDITVM . OMNIBVS . COMMONSTRAVIT
CLERICI . NEAPOLITANI
TVTELAE . SVAE . PRAESENTISSIMAE
HAS . DEVOTI . ANIMI . SIGNIFICATIONES
DD. DD. DD.

DIVE . LVBENS . HVMILES . QVAE . NVNC . INCENDIMVS . ARA
LVCE . SACRA . A . NOBIS . DEBITA . THVRA . CAPE
NEC . PVBIS . TIBI . DEVINCTAE . CHRISTO . QVE . DICATAE
FVSAS . ANTE . ARAM . DESPICE . DIVE . PRECES

INSCRIPTIONES FVNEBRES



XV.

IN FVNERE PII VII P. M. IN FRONTE TVMVLI TEMPORARII.

PIO . VII . PONTIFICI . MAXIMO
CVM . PRIMIS . AETATIS . ILLIVS . BEATISSIMAE
PASTORIBVS . COMPARANDO
QVI . IN . EXTREMA . ECCLESIASTICARVM . IVXTA
CIVILIVM . QVE . RERVM . PERTVRBATIONE
ET . INTER . FORMIDOLOSOS . BELLORVM
RENASCENTIVM . TVRBINES
QVVM . ECCLESIAE . GVBERNACVLO
INCREDIBILI . OMNIVM . ORDINVM . GRATVLATIONE
MANVM . STRENVVS . ADMOVISSET
TANTA . PRVDENTIA . MODESTIA . FORTITVDINE
VNIVERSAM . REM . CHRISTIANAM . SIBI . CREDITAM
IPSO . PROPE . ANNORVM . XXIV . SPATIO . ADMINISTRAVIT
VT . NON . MODO . SARTAM . TECTAM . QVE . SERVAVERIT
SED . PRAETER . HOMINVM . EXSPECTATIONEM
AVCTV . QVOQVE . MVLTIPLICI . AMPLIFICAVERIT
HVIC . PARENTI . SANCTISSIMO
PRAECLARE . QVE . DE . SE . MERITO
ALOYSIVS . RVFFO . S. R. E. PRESB. CARDINALIS
ARCHIEPISCOPVS . NEAPOLITANVS
PARENTALIA . LVBENS . MOERENS
PERSOLVIT
VIXIT . AN. LXXXI . DIES . VI
DEPOSITVS . IN . PACE . XII . KAL. SEPT.
CIϽIϽCCCXXIII

XVI.

AD PILAS TEMPLI.

(I)

NON . OPIBVS . SAECLI . ARMATO . NEC . MILITE . FIDIS
O . PIE . IN . VNO . SPES . CERTA . REPOSTA . DEO . EST

(II)

CAELESTI . PLANE . FIRMATVS . ROBORE . PECTVS
VINCVLA . SECVRVS . SPERNIS . ET . EXILIVM

(III)

IN . PATRIAM . REDVCEM . EXCELSI . TE . DEXTERA . VICTRIX
INCOLVMEM . QVE . TVO . SISTIT . IN . IMPERIO

(IV)

JAM . PIE . MORTALIS . VITAE . DEFVNCTE . PERICLIS
ET . SANCTIS . NOVA . LVX . ADDITA . CAELITIBVS

(V)

CELSA . E . SEDE . TVO . VT . REXIT . DVM . SPIRITVS . ARTVS
SIC . ADSIS . DEXTER . PROPITIVS . QVE . GREGI

XVII.

ALIBI IN EJVSDEM FVNERE.

PIVM . VII . P. M.
QVOD . CREDITAM . SIBI . PETRI . NAVICVLAM
INSANIENTIBVS . PELAGI . FLVCTIBVS
TANTA . REXERIT . ANIMI . MAGNITVDINE
VT . EX . PERLONGA . JACTATIONE
IN . PORTVM . REDVXERIT . INCOLVMEM
ET . IN . TVTA . STATIONE . LOCAVERIT
VATES . LECTISSIMI
DEBITO . LAVDVM . PRAECONIO
PROSEQVVNTVR

ANIMIS . ADESTE . CIVES
ET . LINGVIS . FAVETE

XVIII.

IN FVNERE LEONIS XII P. M.

LEO . XII
VIX . DVM . INITO . PONTIFICATV
IN . COMPONENDIS . OMNIVM . ORDINVM
AD . EVANGELII . NORMAM . MORIBVS
APOSTOLICAM . PRAE . SE . SEVERITATEM . TVLIT
NE . VBI . CHRISTIANAE . FIDEI . PRINCIPATVS
AVCTORITATE . DIVINA . ESSET . CONSTITVTVS
IBIDEM . VITAE . MINIME . CHRISTIANAE
LICENTIA . DEHONESTARETVR

XIX.

PASTOREM . VIGILANTISSIMVM
NE . AFFECTA . QVIDEM . ET . FERE . PERPETVA
VALETVDINE . PROSTRATAE . CORPORIS . VIRES
PROHIBVERE . QVO . MINVS . INVICTO . ANIMI
ROBORE . ET . INCREDIBILI . CONSTANTIA
INDEFESSAM . GREGIS . CVSTODIENDI . CVRAM
AD . EXTREMAS . CATHOLICI . ORBIS . ORAS
DIV . NOCTV . QVE . INTENDERET

XX.

IN FVNERE PII VIII P. M.

FRANCISCVS . XAVERIVS
E . PERVETVSTA . CASTILIONVM . PROSAPIA
OB . SINGVLAREM . SACRARVM . RERVM . DOCTRINAM
CVM . INSIGNI . PIETATE . CONJVNCTAM
NON . SOLVM . DOMI . SED . PER . TOTAM . ITALIAM
DOCTORVM . HOMINVM . IMPRIMIS . QVE . PII . VII
MAGNAM . SIBI . PEPERIT . EXISTIMATIONEM

QVI . MONTISALTI . TVM . CAESENAE . ECCLESIAS
EJVS . FIDEI . VIRTVTI . QVE . CONCREDIDIT
DEINDE . PER . HOS . QVASI . GRADVS . PROBATVM
ROMANA . PVRPVRA . ET . POENITENTIARII
MVNERE . COHONESTAVIT

XXI.

PIVS . VIII
INTER . PERPETVAS . AEGRITVDINIS . ACERBITATES
IN . TAM . EXIGVO . PONTIFICATVS . CVRRICVLO
PRAECLARA . TAMEN . VEL . IN . POPVLOS . SVOS
VEL . IN . VNIVERSAM . REM . CHRISTIANAM
FACINORA . PERPETRAVIT
QVOD . SI . VALETVDO . PROSPERIOR . SI . VITA
DIVTVRNIOR . DIVINO . MVNERE . OBTIGISSET
INTER . PRAESTANTISSIMOS . CHRISTI . VICARIOS
POSTERI . RECENSERENT

XXII.

IN FVNERE CAROLI III

HISPANIARVM REGIS

In antica parte tumuli.



CAROLVS . BORBONIVS
PHILIPPI . V. HISPANIARVM . INDIARVM . QVE . REGIS . FILIVS
LVDOVICI . DELPHINI . NEPOS . LVDOVICI . M. PRONEPOS
PIVS . FELIX . AVGVSTVS
AD . EFFIGIEM . PRAECLARI . IMPERII
A . NATVRA . INFORMATVS
QVI . PRIMVM
TRANSFVSO . IN . SE . MATERNI . PRINCIPATVS . JVRE
DVX . PARMAE . PLACENTIAE . QVE
ET . MAGNVS . HETRVRIAE . PRINCEPS . HEREDITARIVS
DEINDE . VERNANTE . ADHVC . AETATIS . FLORE

HISPANICARVM . COPIARVM
SALVTATVS . IMPERATOR
DEBELLATIS . PLVRIES . IN . ACIE
DVCIBVS . BELLICAE . REI . VSV
SCIENTIA . QVE . PERITISSIMIS
NEAPOLITANI . AC . SICILIENSIS . REGNI . POTITVS
POSTREMO . FERDINANDI . VI . FRATRIS . OCCASV
AD . HISPANAS . INDICAS . QVE . DITIONES
REGVNDAS . EVOCATVS
NIHIL . VNQVAM . TOTO . DECVRSAE . VITAE . SPATIO
RELIQVI . FECIT . LABORI . INDVSTRIAE . QVE . SVAE
QVO . SVBDITARVM . NATIONVM . RELIGIO
SECVRITAS . AC . FELICITAS
FVNDARETVR

XXIII.

AH . COLVMEN . ET . DECVS . MIHI . OMNE . SVRPVIT
INVIDA . MIHI . CVM . TE . CAROLE . MORS . SVRPVIT
TERRAS . REGENTE . TE . NOVVM . FVLSI . IN . FORO
ASTRAEA . SIDVS . SOLA . LITIGANTIVM
INGRATA . SOLLERS . CONSOPIRE . JVRGIA
POTENTIORVM . AEQVE . RECEPTA . LIMINE
NEGOTIATORVM . ATQVE . CONTVBERNIO
TV . SCITA . TRICAS . LITIVM . SECANTIA
CONDIS . MEO . QVE . NAEVOS . ORE . DILVIS
TV . SPARSA . MEMBRA . IN CODICEM . COGIS . MIHI
VITAM . TIBI . FAMAM . DATVRVM . PERPETEM
HEV . TE . OCCIDENTE . QVO . MISERA . DEVERTERO
TERRA . EVOLAREM . ITERVM . AD . DOMOS . CAELESTIVM
VTRIVSQVE . GNATI . NI . PATERET . REGIA

XXIV.

QVAM . CERNIS . OPTIMI . ADSIDERE . PRINCIPIS
TVMVLO . MADENTEM . LACRYMIS . VIRAGINEM
IPSA . HOSPES . EST . SI . NESCIS . INNOCENTIA

ALTRIX . COMES . QVE . CAROLI . GRATISSIMA
PRIMA . PVELLVM . FOVIT . HAEC . AETATVLA
CVM . CARA . GREMIO . LVSITARET . SARCINA
NEQVE . EST . LATERE . PORRO . AVVLSA . ADOLESCENTVLI
QVIN . IPSA . SACRATO . DIADEMA . VERTICI
PRAECINXIT . ALACRIS . PRAEFVIT . QVE . REGIAE
MALO . QVE . CVNCTAM . OBSTRVXIT . VSQVE . RIMVLAM
CVPIDINI . INTER . OPES . SVETO . GLISCERE
AT . HEIC . SEDENS . NVNC . MONSTRAT . INSOLABILIS
EXEMPLA . MAXIMI . VNDE . SVMANT . PRINCIPES

XXV.

CAROLVS . PAT. PATR.
CVM . COMPLVRES . VRBES
TEMPORVM . INJVRIA . SQVALENTES
AETERNIS . PVBLICORVM . OPERVM . EXSTRVCTIONIBVS
RESTITVIT . AVXIT . ORNAVIT
TVM . NON . PAVCAS
AD . HISPANI . IMPERII . AMPLITVDINEM
AB . SOLO . SVMPTV . MAXIMO . EXCITATAS
INCOLIS . LOCVPLETAVIT
QVIBVS . MARIANOS . PRAESERTIM . MONTES
SALTVM . QVE . CASTVLONENSEM
LATROCINIIS . ANTEA . ET . CAEDIBVS . INFAMES
ADITV . QVE . PERQVAM . FORMIDOLOSOS
SINGVLARI . PROPE . CONSILIO
PACATOS . IN . POSTERVM . TVTOS . QVE
PRAESTITIT . VIATORI

XXVI.

CAROLI . PROVIDENTIA
POST . RECEPTVM . NEAPOLITANVM . REGNVM
AD . OMNES . COMMERCII . OPPORTVNITATES
SVPERO . INFERO . QVE . MARI . APERTVM
PORTV . JACTIS . IN . ALTVM . MOLIBVS . AMPLIATO

INSTRVCTA . APPARATA . QVE
ADVERSVS . PRAEDONVM . INCVRSIONES
EGREGIA . LONGARVM . NAVIVM . CLASSE
AMPLISSIMO . QVE . TRIBVNALI
AD . MERCATORVM . CONTROVERSIAS
RECISIS . JVDICIORVM . AMBAGIBVS
PRO . RE . NATA . DIRIMENDAS . CONSTITVTO
TORPENTES . CIVIVM . ANIMOS
AD . AEMVLANDAM . EXTERORVM . SEDVLITATEM
OPVLENTIAM . GLORIAM
INFLAMMAVIT

XXVII.

PARENTIS . AMANTISSIMI
BENEVOLENTIA . AC . LIBERALITAS
IN . NEAPOLITANOS . OLIM . SVOS
NEC . LOCORVM . NEC . TEMPORVM . INTERVALLO
DILAPSA . EST . AVT . INTERCLVSA
QVANDOQVIDEM . POPVLVM
SVMMA . REI . FRVMENTARIAE . INOPIA
INCENDIO . QVE . ANNONAE
AFFLICTATVM
SVPPEDITATO . OPPORTVNE . COMMEATV
DIFFICILLIMO . REIPVBLICAE . TEMPORE
OPE . SVBLEVAVIT
PRAESENTISSIMA

XXVIII.

ABSTRVSAS . NOVI . METALLI . OPES
QVAS . CAROLI . FELICITATI
OBSEQVENS . TELLVS . IN . APRICVM . PROTVLIT
PIETAS
PRINCIPIS . RARISSIMI . EXEMPLI
NOLVIT . PRIVS . HVMANO . VVLGATAS . VSVI
QVAM . PRAEGRANDEM . ELEGANTISSIMO . OPERE

CALICEM . INDE . CONFECTVM
APOSTOLORVM . PRINCIPI
ROMAM . DONO . MISSVM
DIVINO . JESV . CHRISTI . CRVORI
EXCIPIVNDO . ADDICERET

XXIX.

CAROLVS
PATER . CASTRORVM
CORRECTA . MILITARI . DISCIPLINA
ET . AD . OPTIMAM . RATIONEM . EXACTA
VETEREM . MILITIAE . TVM . NEAPOLITANAE
TVM . HISPANAE . GLORIAM . AMPLIFICAVIT
FVSO . QVE . APVD . BVTVNTVM . ET . VELITRAS . HOSTE
PROPVGNATIS . ACERRIME . PHILIPPINIS
COLONIA . SACRAMENTI . MINORI . QVE . BALEAR. INSVLA
PER . SVMMAM . STRENVITATEM . RECIPERATIS
CALPE . VERO . ATQVE . RVSCVRO
ARCIBVS . OPERE . LOCI . QVE . INGENIO . MVNITISSIMIS
TANTA . OPPVGNATIS . CONTENTIONE
VT . IN . MILITE . NON . VIRTVS . VIVIDIOR . AD . VICTORIAM
SED . FORTVNA . OBSEQVENTIOR . SIT . DESIDERATA
AETERNA . BELLICAE . LAVDIS . MONVMENTA
SAECVLORVM . MEMORIAE . CONSECRAVIT

XXX.

NE . EGENORVM
STIPEM . CORROGANTIVM
IMPORTVNVM . AC . FREQVENS . EXAMEN
CIVES . VEL . NEGOTIA . VEL . IPSIS . IN . TEMPLIS
RELIGIONIS . MVNIA . RITE . OBEVNTES . INTERPELLARET
NEVE . GLISCENTIBVS . DIVTINO . EX . OTIO . FLAGITIIS
IN . BONORVM . INCVMBERET . PERNICIEM
CAROLVS
BONO . POPVLORVM . NATVS

HOSPITIVM . LAXITATE . ELEGANTIA . QVE
VERE . REGIVM
QVO . COLLECTI . OPIFICIIS
EXERCENDIS . AVT . ADDISCENDIS
SIBI . REI . QVE . PVBLICAE . CONSVLTVM . IRENT
PERINDE . AC . MAGNO . MOLIMINE
NEAPOLI . ERAT . AGGRESSVS
MADRITI . AB . INCHOATO . ABSOLVIT
IDEM . QVE . DEDICAVIT

XXXI.

CAROLVS
QVOD . PRAETER . VETERA . RELIQVA
VBI . PRIMVM . NVMINE . ET. MAJESTATE . SVA
TERRAM . BEAVIT . HISPANIAM
REMISSA . PROVINCIIS . VT . AGRORVM . CVLTVRA
LAETA . MORTALIVM . NVTRIX
IN . MAJVS . PROVEHERETVR
INGENTEM . ETIAM . PECVNIAE . VIM
AD . ORPHANORVM . ET . VIDVARVM . ALIMONIAM
QVASI . PERPETVVM . CONGIARIVM
EX . AERARIO . ABVNDE . ADSIGNARIT
AMOR . ET . DELICIAE . POPVLORVM
MERITO . APPELLATVS

XXXII.

SAPIENTISSIMVS . PRINCEPS
INDVSTRIAM . SOLLERTIAM . QVE
IN . SVMMO . FORTVNAE . FASTIGIO . LOCATAM
ET . RELIGIONIS . OFFICIIS . INTIME . CONJVNCTAM
SALVTARE . REIPVBLICAE . PRAESIDIVM . ARBITRATVS
NOBILITATI
QVO . AD . FORTIA . MAJORVM . FACINORA
DOMI . JVXTA . MILITIAE . QVE
ACRIVS . INCITARETVR

MAJORI . QVE . PIETATIS . AC . DIGNITATIS . ACCESSIONE
IN . DIES . REFLORESCERET
NOVA . ORDINVM . AMPLISSIMORVM . ORNAMENTA
CVM . TVTELA . PRAESENTIORI
DIVI . JANVARII . NEAPOLI
DEIPARAE . IMMACVLATAE . IN . HISPANIA
COMPARAVIT

XXXIII.

IN FVNERE FERDINANDI I.

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS.

REX . PRVDENTISSIMVS
NIHIL . ANTIQVIORI . SIBI . CVRAE . HABVIT
QVAM . VT . EMENDATIS . LEGIBVS
JVDICIORVM . QVE . ORDINE . OPTIME . CONSTITVTO
JVRIS . DICVNDI . RATIO . FORET . EXPEDITA
ET . NVLLA . CALVMNIAE . LATEBRA
NVLLVM . QVE . VERSVTIAE . EFFVGIVM
IN . POSTERVM . RELINQVERETVR

XXXIV.

FERDINANDVS . I.
BONO . POPVLORVM . NATVS
NE . PROVINCIALES . AB . EXERCENDIS
VLTRO . CITRO . QVE . COMMERCIIS
ITINERVM . DIFFICVLTAS . PROHIBERET
VIAS . DETERRIMAS . INVIAS . QVE . MVNIENDAS
NOVAS . QVE . MONTIBVS . EXCISIS . AEQVATIS . VALLIBVS
ET . PONTIBVS . EXSTRVCTIS . APERIENDAS
AD . VLTIMOS . QVE . DITIONIS . SVAE . TERMINOS
REGIA . SANE . MVNIFICENTIA
PERDVCENDAS . CVRAVIT

XXXV.

FERDINANDI . I. PROVIDENTIA
CLASSIS . PVLCHERRIMA
AEDIFICATA . ET . ORNATA
COPIAE . QVE . OMNI . REI . BELLICAE . VSV
PERSTVDIOSE . EXERCITATAE
ET . DVPLEX . EPHEBEVM . CONSTITVTVM
VBI . MILITIAM . NAVALEM . ARTEM . QVE . NAVTICAM
EDOCERENTVR . ADOLESCENTES
MILITAREM . NOMINIS . NEAPOLITANI . GLORIAM
APVD . MARIS . POTENTES . NATIONES
AMPLIFICAVERVNT

XXXVI.

REX . FERDINANDVS
COLONIAE . SANLEVCIENSI
AB . SE . IN . AMOENVM . COLLEM . DEDVCTAE
EA . SAPIENTIA . ET . HVMANITATE
TEMPERATAS . LEGES . DESCRIPSIT
QVAE . COLONIS . FELICITATEM . PEPERERE
SIBI . LAPIDEM . IMMORTALEM
MERITO . QVE . FVIT . CVM . CLARISSIMIS
OMNIS . AEVI . LEGVM . LATORIBVS
COMPARATVS

XXXVII.

PLERA . QVE . OPERVM . PVBLICORVM
QVAE . CAROLVS . AVGVSTVS
MAGNITVDINIS . ROMANAE . AEMVLATOR
AD . REGENDVM . HISPANIARVM . IMPERIVM
IVRE . EVOCATVS
VEL . AFFECTA . VEL . PROFLIGATA . RELIQVERAT
FERDINANDVS

AD . PARENTIS . GLORIAM . REGNI . QVE . DECVS
EADEM . MAGNIFICENTIA
ABSOLVENDA . MANDAVIT

XXXVIII.

FERDINANDVS
IN . POPVLIS . REGVNDIS . SAPIENTISSIMVS
CLEMENTIAM . ET . SEVERITATEM
OPTIMAS . IMPERII . CVSTODES
SIBI . SOCIAS . REGNI . QVE . MINISTRAS . ADSCIVIT
QVO . VBI . RATIO . FLAGITARET
VEHEMENTIVS . AD . VIRTVTEM . EXCITARET . BONOS
IMPROBOS . A . FLAGITIIS . ABSTERRERET

XXXIX.

PRINCIPIS . BENEFICENTISSIMI
MENS . EO . FVIT . SEMPER . INTENTA
VT . DOMICILIA
EXCIPIENDIS . PVERIS . ET . PVELLIS
QVIBVS . NVLLAM . OPIS . SPEM . RELIQVAM
FORTVNA . FECERAT . COMPARATA
SANCTISSIME . ADMINISTRARENTVR
VT . VICTV . VESTITV . QVE . AFFATIM . PRAEBITO
AD . PIETATEM . ET . OPIFICIA . PRO . SVO
QVISQVE . INGENIO . EXCVLTI
POSTEA . GNAVI . INDVSTRII . QVE . SIBI . PROSPICERENT
NEQVE . INOPIA . IN . SCELERA . RVENTES
IN . PERNICIEM . EVADERENT . CIVITATIS

XL.

QVO . LIBERALES . OMNE . GENVS . ARTES
IN . HOC . REGNO . BEATISSIMO
LAETIVS . FLORESCERENT
FERDINANDVS

MVSEVM . REGIVM
INCREDIBILI . ANTIQVITATVM . GAZA
AD . EXTERORVM . INVIDIAM
REFERTISSIMVM
JVVENTVTI . NEAPOLITANAE . PATERE . JVSSIT
VBI . DEFIXO . IN . TOT . CIMELIA . OBTVTV
ACVERETVR . IN . DIES . INGENIVM
ET . PROPOSITIS . SINGVLOS . IN . ANNOS . PRAEMIIS
IMITANDI . STVDIVM
EXCITARETVR

XLI.

REGIS . PIENTISSIMI
PROLIXA . FVIT . IN . PAVPERES
MISERICORDIA
MENSTRVA . QVE . VIDVIS . ET . VIRGINIBVS
LOCO . NATIS . HONESTISSIMO
STIPE . SVPPEDITATA
EARVM . EGESTATI
CONSVLVIT . SIMVL
ET . PVDORI

XLII.

FERDINANDI . REGIS
PATERNVS . IN . CALAMITATOS . ANIMVS
TVM . MAXIME . ELVXIT
QVVM . AVRIBVS . LINGVA . ET . OCVLIS
CAPTIS . PVERIS
PER . PRAECEPTORES . SOLLERTISSIMOS
LINGVAM . QVASI . AVRES . QVE . REDDITAS
OBNITENTE . NEQVIDQVAM . NATVRA
DEMIRATI . SVMVS
CAECI . QVE . ARTES . EDOCTI . VARIAS
NON . MEDIOCRE . NACTI . SVNT . VITAE
ADJVMENTVM . ET . SOLATIVM

XLIII.

FERDINANDI . GLORIAE
POMPEJI . MIRIFICE . OBSEQVVTI
TOT . OPES . VESVVINA . QVIDEM . CLADE
OBRVTAS . ET . SEPVLTAS
AT . REGNI . SPLENDORI . SERVATAS
E . SINV . EFFVDERVNT
VT . IMPERATORES . REGES . VIROS . QVE . PRINCIPES
VISENDI . STVDIO . INCENSOS
INTRA . MOENIA . SVA . DIVERSARI
VIDERIT . LAETA . NEAPOLIS

XLIV.

INNVMERIS . SI . NOMINIBVS
FERDINANDO . AVGVSTO
NON . ESSES . OBSTRICTA . NEAPOLIS
VEL . ILLO . CERTE . IMMENSVM . QVIDDAM . DEBES
QVOD
FRANCISCVM . REGEM . TIBI
ET . ELISABETHAM . REGINAM
SPLENDIDISSIMO . OMNIVM . VIRTVTVM . CHORAGIO
ORNATOS . RELIQVERIT

XLV.

IN FVNERE FRANCISCI I.

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS

SCIENTIAE . LITTERAE . ARTES . QVE . OMNES
CVLTARVM . NATIONVM . DECORA . ET . ORNAMENTA
VT . IN . REGNO . FLORENTISSIMO
AD . EAM . DIGNITATEM . SPLENDOREM . QVE . EVEHERENTVR
QVAE . EXTERORVM . EXCITARET . INVIDIAM

FRANCISCVS . I.
AMPLISSIMA . PRAEMIORVM . SPE
EARVM . CVLTORIBVS . PROPOSITA
NVNQVAM . NON . ADVIGILAVIT

XLVI.

QVO . CHRISTIANA . RELIGIO
E . CAELO . AD . HOMINVM . SALVTEM
ET . FELICITATEM . IN . TERRAS . DELAPSA
MAJORI . SEMPER . STVDIO
ET . CASTA . PIA . QVE . MENTE . AB . OMNIBVS
VBIQVE . REGNORVM . SVORVM . COLERETVR
PRIMAE . PERPETVAE . QVE . FRANCISCI . REGIS
COGITATIONES . CVRAE . QVE . EXSTITERVNT

XLVII.

OPTIMAE . REGNANDI . ARTES
NON . DOCTORVM . PRAECEPTIONIBVS
SED . INGENIO . LABORE . STVDIO . QVE . SIBI . COMPARATAE
PRAESTO . SEMPER . OPTATO . QVE . SVCCESSV
FVERE . REGI . SAPIENTISSIMO
IN . POPVLIS . PATERNA . CARITATE
REGENDIS

XLVIII.

INTER . GRAVISSIMAS . REGNI . CVRAS
SATIS . SIBI . TEMPORIS . RELIQVVM . FACERE
REX . IDENTIDEM . NOVERAT
QVOD . PATRISFAMILIAS . OFFICIO . FVNCTVRVS
AD . LIBEROS . AVGVSTOS . EDVCANDOS
ET . AD . OMNE . VIRTVTVM . REGIARVM . GENVS
INFORMANDOS . TRADVCERET

XLIX.

TE . DEVS . OPT. MAX.
VOLENS . PROPITIVS . FRANCISCI . I. ANIMAM
DIVINO . FILII . TVI . SANGVINE . EMACVLATAM
INTER . BEATOS . ACCIPIAS
ATQVE . EX . ISTA . INACCESSIBILI . QVAM . INHABITAS . LVCE
SAPIENTIAE . TVAE . EMITTAS . RADIVM
CVJVS . LVMINE . FERDINANDVS . II. P. F. A.
FAVSTE . FELICITER . QVE . AD . EXTREMAM . SENECTAM
REGNI . MOLEM . DIRIGAT . OBSECRAMVS

L.

ALIBI IN EJVSDEM FVNERE.

FRANCISCO . I.
NEAPOLITANOR. SICVLORVM . QVE
REGI . OPTIMO
SVMMO . POPVLORVM . LVCTV . E . VIVIS
INDOMITA . MORBI . PERTINACIA . SVBLATO
PERPETVO . HVJVS . SODALITII . PRAEFECTO
SIVE . POTIVS . PARENTI
CVJVS . PLVRIMA . IN . IPSVM . ET . AD . POSTEROS
PERENNATVRA . BENEFICENTIAE . VERE . REGIAE
EXSTANT . MONVMENTA
SODALES
LVBENTES . MOERENTES . DEBITA . PARENTALIORVM
OFFICIA . IN . HVNC . DIEM . PERSOLVENDA
INDIXERE

INGREDERE . CVI . SIVE . JVS . SEV . FAS . EST
ANIMAE . QVE . PRINCIPIS . PIENTISSIMI
REQVIETEM . A . DEO . ET . PACEM
ADPRECARE

LI.

IMPERIA . VEL . MAXIMA
NON . HOMINVM . CONSILIO . SED . DEI . NVMINE
STARE . ET . FLORERE . QVVM . ANIMO
FRANCISCVS . REPVTARET
STATIM . AC . REGNVM . EST . AVSPICATVS
CHRISTIANAM . RELIGIONEM
NON . EDICTIS . MODO . SED . ETIAM . SVO . DOMVS . QVE
AVGVSTAE . EXEMPLO . TVENDAM
AMPLIFICANDAM . QVE . CVRAVIT

LII.

NON . EX . INSANIENTIS . SAPIENTIAE
SOMNIIS . SED . EX . PELLVCIDO
EVANGELII . FONTE . CONSTANTIAM . HAVSIT
FRANCISCVS
ET . ADMIRABILEM . ANIMI . AEQVITATEM
BONIS . IN . REBVS . NON . SECVS . ATQVE . ARDVIS
SERVAVIT . IMPERTVRBATVS

LIII.

E . CVNCTIS . VIRTVTIBVS
QVIBVS . REGES . IMPERIOSI . CLARVERE
FRANCISCVS
LATERI . HAERERE . ET . CONSILIIS . PRAEESSE
JVSTITIAM . VOLVIT . CVM . PRIMIS
ET . CLEMENTIAM
QVARVM . ALTERA . A . SCELERE . ABSTERRERET . MALOS
ALTERA . AD . VIRTVTEM . EXCITARET . BONOS

LIV.

NVLLVM . FERME . REGNI . SVI . DIEM
VEL . INTER . EXTREMI . MORBI . AFFLICTATIONES
REX . AMANTISSIMVS . ABIRE . PASSVS . EST
QVIN . COGITATIONEM . CVRAM . QVE . SVSCIPERET
VNDE . PVBLICA . RES
ET . POPVLORVM . SVORVM . VTILITAS
VBERIOR . ET . LAETIOR . VBIQVE
EFFLORESCERET

LV.

VIGILANTIAE . ET . HVMANITATIS . SVAE
PARTES . FRANCISCVS . REX . ESSE . DVXIT
PLVRA . ET . LAXIORA . SCELERIS . VEL . CONVICTIS
VEL . INSIMVLATIS . COMPARARE . DOMICILIA
NE . IN . CARCEREM . ACERVATIM . CONJECTIS
MORBOS . PESTILENTES . QVOTANNIS
FREQVENTISSIMA . HAEC . CIVITAS
PERTIMESCERET

LVI.

PRAECLARA . ILLA . INSEDIT . PENITVS
FRANCISCI . ANIMO . SENTENTIA
A . QVA . NVLLA . POTVIT . RES . VNQVAM . DEMOVERE
EO . SCILICET . REGIAM . DIGNITATEM
ATTOLLI . ALTIVS . LATIVS . QVE . ELVCERE
QVO . MAGNI . REGES . IN . OMNES
OMNIVM . ORDINVM . CIVES
COMIORES . ET . FACILIORES . SE . SE
PRAESTARENT

LVII.

IN FVNERE INNICI DIDACI CARACCIOLI

S. R. E. CARDINALIS EPISCOPIQVE PRAENESTINI

PRO FORIBVS TEMPLI.

INNICO . DIDACO . CARACCIOLO
S. R. E. CARDINALI
EPISCOPO . PRAENESTINO
SVPREMA . FVNERIS . OFFICIA
PERSOLVVNTVR



MANIBVS . PIENTISSIMIS
PACEM . ET . REQVIETEM
QVIS . QVIS . ES . A . DEO . ADPRECARE

LVIII.

IN PARTE ANTICA TVMVLI TEMPORARII.

INNICO . DIDACO . CARACCIOLO
E . DVCIBVS . MARTINENSIVM
QVI . AB . INEVNTE . ADOLESCENTIA
TAM . EGREGIA . EXSTITIT . INDOLE . VIRTVTIS
VT . A . PIO . VI. P. M.
POST . SANSEVERINENSEM . AESINATEM
ET . FIRMANAM . DELATAS . PRAEFECTVRAS
INCREDIBILI . QVE . LAVDE . ADMINISTRATAS
MAGISTER . ADMISSIONVM
A . PIO . AVTEM . VII. S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPVS . PRAENESTINVS
SVPREMAE . QVE . JVSTITIAE . CVRIAE . PRAEFECTVS
ET . VTI . PACTA . CONVENTA . PRAESTARENTVR
LEGATVS . AD . FERDINANDVM . REGEM

RENVNTIATVS . FVERIT
TANDEM . VI . DIVTINI . GRAVISSIMI . QVE . MORBI
INTERCEPTVS . EST . MORTALITATE
HVIC . VIRO
CVM . ROMANA . PVRPVRA
TVM . IN . PRIMIS . CHRISTIANA . PIETATE . EMINENTISSIMO
FVNVS . APPARATVR
VIXIT . AN. LX . MENS. VI . DIES . VIII

LIX.

AD LATVS TVMVLI DEXTRORSVM.

INNICVM
A . SINGVLARI . IN . PIVM . VI.
DVM . VI . IN . GALLIAM . RAPERETVR
FIDE . ET . PIETATE
NEQVE . HIEMIS . VIAE . QVE . ASPERITAS
NEQVE . VINCVLORVM . METVS
NEQVE . HOSTIVM . FVROR . DETERRVIT
SED . VNA . PONTIFICIS . MORS
A . LATERE . SENIS . SANCTISSIMI
VIX . POTVIT . AVELLERE

LX.

AD LATVS TVMVLI SINISTRORSVM

QVAM . PROLIXA . ET . PERPETVA
FVTVRA . ADVERSVS . MISEROS . ESSET
INNICI . BENEFICENTIA
JAM . INDE . PROBE . CONJECERVNT . VNIVERSI
QVVM . IN . EPHEBEO . CLEMENTINO . ADOLESCENTVLVS
PVERVM . PANNIS . OBSOLETIS
ET . DETRITIS . PENE . NVDVM
MISERICORDIA . PERMOTVS
STRAGVLA . VESTE . DISCISSA
COOPERVIT

LXI.

IN PARTE POSTICA TVMVLI.

INNICO . CARDINALI
RELIGIO . PIETAS . INNOCENTIA
CETERAE . QVE . VIRTVTES . QVAS . HABVIT . IN . VITA
COMITES . FIDISSIMAS
DIEM . SVPREMVM . OBEVNTI
ET . PRO . SVA . IN . CHRISTVM . JESVM . SPE
AD . CAELESTEM . PATRIAM . CONVOLATVRO
DVCES . EXSTITERE

LXII.

IN FVNERE JOSEPHI CAPYCII ZVRLI

S. R. E. CARDINALIS ARCHIEPISCOPIQVE NEAPOLITANI

SVPRA MAJOREM TEMPLI PORTAM EXTRINSECVS

PRO . QVIETE
JOSEPHI . CAPYCII . ZVRLI
S. R. E. CARDINALIS . ARCHIEPISCOPI . NEAPOLITANI
SACRA . PIACVLARIA

LXIII.

SVPRA TEMPLI PORTAM INTRINSECVS.

JOSEPHO . CAPYCIO . ZVRLO
NON . MAGIS . MAJORVM . IMAGINIBVS
QVAM . EGREGIIS . ANIMI . DOTIBVS
COMMENDATISSIMO
QVI . EX . CALENA . ECCLESIA
AD . NEAPOLITANVM . PONTIFICATVM . EVECTVS

INDE . ROMANA . PVRPVRA
INSIGNI . QVE . ORDINIS . S. JANVARII . TORQVE
CONSPICVVS
FIDE . INNOCENTIA . COMITATE
ATQVE . EXIMIO . RELIGIONIS . CVLTV
EXEMPLVM . PRAEBVIT
EVANGELICAE . VIRTVTIS . CVPIDIS . IMITANDVM
VIX. AN. XC. M. XI . D. XIX.
OBIIT . PRID. KAL. JAN. AN. CIƆIƆCCCI.
ANTISTITI . INCOMPARATISSIMO . DE . QVE. SE . OPTIME . MERITO
NEAP. ECCLESIAE . CANONICI
DEVOTI . NOMINI . MEMORIAE . QVE . EJVS
MAJORIBVS . HOSTIIS . PARENTANT

LXIV.

IN ANTICA PARTE TVMVLI.

N. N. . P. F. A.
POPVLORVM . PACATORI
P. P.
QVOD . CARDINALIS . CAPYCII . ZVRLI
ARCHIEPISCOPI . NEAPOLITANI
CINERES
E . MONTIS . VIRGINIS . CONDITORIO
IN . HANC . SVAM . SEDEM
TRANSFERRI . JVSSERIT
ORDO . P. Q . NEAPOLITANVS
TANTI . PRINCIPIS . PROVIDENTIAM
ADMIRATI

LXV.

IN PARTE TVMVLI POSTICA.

SVB . SEVERIORIBVS . MAGISTRIS
EDVCTVS . JOSEPHVS . CAPYCIVS . ZVRLVS
QVAMVIS.IN.CARDINALITIO . ATQVE . ARCHIEPISCOPALI.FASTIGIO.POSITVS

SINGVLARI . EMICVIT . ABSTINENTIA
ATQVE . ECCLESIASTICVM . OMNE . PATRIMONIVM
VEL . IN . PAVPERIBVS . JVVANDIS . IMPENDIT
VEL . IN . DIVINO. CVLTV . AMPLIFICANDO
ILLVD . APPRIME . EDOCTVS
SE . NON . DOMINVM . DOMVS . DEI
SED . DISPENSATOREM . CONSTITVTVM

LXVI.

IN TVMVLI LATERE DEXTRO.

EVANGELICAE . CARITATIS
SVPRA . QVAM . CREDIBILE . EST
DILIGENTISSIMVS . JOSEPHVS . CAPYCIVS . ZVRLVS
CVM . NEMINE . VNQVAM . IN . GRATIAM . REDIIT
EIS . IRASCI . NEFAS . ARBITRATVS
QVOS . AMARE . DEBERET
NON . AD . OSTENTATIONEM
CHRISTIANIS . INFORMATVS . PRAECEPTIS
SED . AD . VITAM . AGENDAM

LXVII.

IN SINISTRO TVMVLI LATERE.

JOSEPHVM . CAPYCIVM . ZVRLVM
PRISCI . MORIS
AC . RARISSIMI . EXEMPLI . ANTISTITEM
MIRA . IN . DEVM . PIETAS
VEHEMENTISSIMVM . PROPAGANDAE . RELIGIONIS . STVDIVM
ATQVE . ANIMI . MAGNITVDO
ADVERSIS . REBVS . ADMIRABILIOR
QVAM . SECVNDIS
IMMORTALITATI . CONSECRARVNT

LXVIII.

IN FVNERE AVGVSTINI GERVASII

ARCHIEPISCOPI CAMPANI REGIOQVE SACELLO PRAEFECTI

PRO FORIBVS TEMPLI.

AVGVSTINO . GERVASIO
ARCHIEPISCOPO . CAMPANO
REGII . QVE . SACELLI . PRAEFECTO
INDICTVM . EST . FVNVS
QVIBVS . COMMODVM . SIT
TEMPLVM . CASTE . ADEVNTO
ET . MANIBVS . PIENTISSIMIS
PACEM . AETERNALEM
ADPRECANTOR

LXIX.

IN FRONTE TVMVLI.

AVGVSTINO . GERVASIO
EX . AVGVSTINIANA . EREM. FAMILIA
INGENII . DOCTRINAE . MORVM . QVE . PRAESTANTIA
CVM . PAVCIS . AEVI . SVI . COMPARANDO
QVI . AN. NATVS XXVII. MISSVS . VINDOBONAM
QVAM . THEOLOGICIS . DISCIPLINIS . PVBLICE . TRADENDIS
SIBI . PEPERERAT . NOMINIS . EXISTIMATIONEM
EDITIS . VOLVMINIBVS . ADMODVM . AMPLIFICAVIT
MOX . NEAPOLIM . REDVX . CALLIPOLITANA
ET . MELPHIENSI . ECCLESIIS . RITE . ADMINISTRATIS
ARCHIEP. CAMPANVS . FVIT . RENVNCIATVS
ET . SACELLO . GYMNASIO . QVE . REGIO . PRAEFECTVS
DENIQVE . CVM . TOT . MVNERIBVS
STRENVE . OBEVNDIS . INSENVISSET

RAPTVS . EST . MORTALITATE
NICOLAVS . ET . ANGELVS . NIC. FILIVS
FRATRI . PATRVO . QVE . BENEMERENTISSIMO
CVM . LACRYMIS . JVSTA . PERSOLVVNT
VIXIT . AN. LXXVI. MENS. I. DIES . XXIII.

LXX.

IN LATERE TVMVLI DEXTRORSVM.

MARIA . THERESIA . AVGVSTA
INGENIORVM . ET . VIRTVTVM
TVTELA . OLIM . PRAESENTISSIMA
TANTA . AVGVSTINVM . BENEVOLENTIA
MERITO . EJVS . COMPLEXA . EST
VT . MISSIONEM . EX . ACADEMIA . VINDOBONENSI
PERHONORIFICIS . CODICILLIS
BENEFICIO . QVE . EX . AERARIO ATTRIBVTO
MVNIFICE . COHONESTAVERIT

LXXI.

SINISTRORSVM.

QVAM . LATE . OPTIMI . ANTISTITIS
PATVERIT . IN . AERVMNOSOS . BENEFICENTIA
VICTV . VESTITV . ET . QVID . QVID . FORET
AD . CVLTVM . VITAE . NECESSARIVM
BENIGNE . PROLIXE . QVE . PRAEBITO
SATIS . ET . SVPER . DEPRAEDICAT
PVPILLORVM . VIRGINVM . ET . VIDVARVM
PARENTIS . OBITV
INSOLABILITER . ILLACRYMANTIVM
COMPLORATIO

LXXII.

IN AVERSA PARTE TVMVLI.

IN . TANTA . NEGOTIORVM . MOLE
QVIBVS . SOLLERTISSIMVS . QVISQVE
INGEMERET . ANIMVM . QVE . DESPONDERET
NIHIL . PRAESVLI . SAPIENTISSIMO
OBLATVM . FVIT . TAM . IMPERVIVM
AVT . TAM . GRAVIBVS . OBSEPTVM . DIFFICVLTATIBVS
QVOD . NON . ILLE . MENTIS . ACVMINE
EXTEMPLO . PERVASERIT
BREVI . QVE . TEMPORE . PRVDENTIA
ET . DEXTERITATE . PLANE . ADMIRABILI
EXPEDITVM
AD . EXITVM . PERDVXERIT.

LXXIII.

AD ARAM TEMPLI.

JESV . SPES . VNICA
ET . SALVS . CERTA . MORTALIVM
QVANDOQVIDEM . AVGVSTINVS
PRO . CARISSIMAE . SPONSAE . TVAE
TVTANDA . AVGENDA . QVE . DIGNITATE
VITAM . LABORIBVS . EXERCITAM
AD . EXTREMVM . VSQVE . SPIRITVM
TRADVXERIT . IMPIGERRIME
TE . NVNC . VTI . VOLENS . PROPITIVS
IN . AETERNVM . REQVIETIS . DOMICILIVM
EXCIPIAS
ENIXE . COMPRECAMVR

LXXIV.

SALVATORI . SPINELLIO
CONGREGATIONIS . CASINENSIS
EX . MARCHIONIBVS . FVSCALDI
RELIGIONE . INNOCENTIA . COMITATE
PROPE . SINGVLARI
QVI . FLORENTE . ADHVC . IVVENTA
EPISCOPVS . CATACENSIS . RENVNTIATVS
TANTA . FIDE . ET . INTEGRITATE
GREGI . SIBI . COMMISSO . ADVIGILAVIT
VT . PROVINCIA . TERRAE . MOTIBVS
FOEDISSIME . CORRVPTA
AERARIO . SANCTIORI
AD . RESTITVENDAS . AEDES . SACRAS
EA . CALAMITATE . CONLAPSAS
CONSTITVTO . PRAEFECTVS . FVERIT
TVM . AD . CATHEDRAM . LYCIENSEM TRANSLATVS
FERDINANDO . IV . ET . MARIA . CAROLINA
LIBERIS . QVE . AA. HOSPITIO
SPLENDIDISSIME . EXCEPTIS
FRANCISCVM . PRINCIPEM . IVVENTVTIS
ET . M. CLEMENTINAM . PETRI . LEOPOLDI . FILIAM
MATRIMONIO . RITV . SOLLEMNI . CONJVNXIT
DENIQVE . AD . ARCHIEP. SALERNITANVM . EVECTVS
DVM . ECCLESIAM . AMPLISSIMAM.
SVMMA . PRVDENTIA . ADMINISTRARET
NEAPOLI . OPPRESSVS . EST . MORTALITATE
SALERNI . FVNERE . INDICTIVO . ELATVS
SEPVLTVS . EST . . . .

LXXV.

IN FVNERE BERNARDI DE TVRRE

EPISCOPI STABIENSIS.

BERNARDO . DE . TVRRE
EPISCOPO . STABIENSI
INDICTVM . EST . FVNVS

ADESTE . CIVES . HOSPITES
ET . AB . AETERNO ANIMARVM . PASTORE
REQVIETEM . ET . PACEM
EXORATE
PASTORI . PIENTISSIMO

LXXVI.

BERNARDVS . DE . TVRRE
HVMANAS . FERE . OMNES . DIVINAS . QVE . DOCTRINAS
QVVM . AB . IPSA . ADOLESCENTIA
INCREDIBILI . ANIMI . ARDORE
DIV . NOCTV . QVE . PERSEQVERETVR
TANTA . INGENII . FELICITATE . COMPLEXVS . EST
VT . INDE . PRAESVL . DOCTISSIMVS
MARSICENSEM . PRIMO . TVM . LITTERENSEM
POSTREMO . STABIENSEM . ECCLESIAS
CONSTABILITA . CLERI . DISCIPLINA
STVDIIS . QVE . BONARVM . ARTIVM . IN . SEMINARIA
LABORE . SVMPTV . QVE . NON . EXIGVO . REVOCATIS
EGREGIE . ILLVSTRAVERIT
ET . SINGVLARIS . SAPIENTIAE . VESTIGIA
NON . PRESSA . LEVITER . SED . FIXA . AD . PERPETVAM
PRAESVLATVS . SVI . RECORDATIONEM
APVD . OMNES . RELIQVERIT
VIX. AN. LXXIII. MENS. VI. DIES . XIX
DECESSIT . V. KALEND. JVN. CIƆIƆCCCXX

LXXVII.

ANTISTITI . INCOMPARABILI
PER . OMNEM . VITAE . CALLEM . VARIAM . QVE . FORTVNAM
NIHIL . PROPOSITVM . PERINDE . FVIT
ATQVE . RELIGIONIS . CHRISTIANAE
DECVS . SPLENDOR . DIGNITAS
QVAM
ADMIRABILI . MORVM . INNOCENTIA
NVNQVAM . NON . PRAE . SE . FERENDAM
EDITIS . AVTEM . PLENIS . FRVGIS . OPTIMAE
ELEGANTER . QVE . SCRIPTIS . VOLVMINIBVS
PRO . VIRILI . ORNANDAM
ET . ADVERSVS . HOSTIVM . IMPETVS
STRENVE . TVENDAM . CVRAVIT

LXXVIII.

QVOD
ECCLESIAE . NEAPOLITANAE . NAVIS
IN . MAGNO . PROCELLARVM . METV
EXCVSSO . INFELICITER . GVBERNATORE
INCOLVMIS . TAMEN . SECVNDO . QVE . CVRSV
PROVECTA . SINE . OFFENSIONE . FVERIT
BERNARDO
VICARIA . POTESTATE . AD . CLAVVM . SVBEVNTI
ACCEPTVM . REFERRI . DEBET
QVI . MVNERIS . DVXIT . SVI
NON . STVLTAM . SAECVLI . PRVDENTIAM
SED . CAELESTEM . PLANE . SAPIENTIAM
IN . NAVIGIO . REGVNDO . SIBI . SOCIAM .
ADVOCARE

LXXIX.

CHRISTE . JESV
TV . BERNARDVM
SI . FRATRIBVS . TVIS . VEL . MINIMIS
OMNI . IN . RE . OMNI . QVE . TEMPORE . ADFVIT
SI . QVIBVS . BENIGNE . SEMPER . EXCEPTIS
VICTV . VESTITV . QVE . VIVENS . PROVIDERE
NON . DESTITIT
EOSDEM . QVID . QVID . SIBI . RELIQVVM . FVIT
MORIENS . SCRIPSIT . HEREDES
TV . BERNARDVM . CHRISTE . JESV
IN . GAVDIVM . TVVM . SVSCIPE
VOLENS . PROPITIVS

LXXX.

IN FVNERE MARIANI ARCERI

PRO FORIBVS TEMPLI.

MARIANO . ARCERO
DOMO . CONTVRSO
SACERDOTI . RARISSIMO
SPIRANTI . VIVIDO . QVE
PIETATIS . ABSTINENTIAE . JVSTITIAE
SIMVLACRO
EXIMIA . VERO . IN . CHRISTVM . JESVM
CARITATE
ET . DVLCISSIMA . IN . EJVS . MATREM
OBSERVANTIA
TVM . NVLLA . NON . AETATIS . PARTE
PARIVNDAE . FRATRVM . SALVTI
A . PRIMVLA . ADOLESCENTIA
AD . OBSTIPAM . VSQVE . SENECTVTEM
INSVMPTA

PRORSVS . INCOMPARABILI
PRESBYTERI . NEGOTIATORES
NAVICVLARII
IN . VIRGINIS . NAVIGANTIVM . DVCIS
TVTELAM . ADSCRIPTI
TANTO . VIRO
MORTALITATE . XIV. KAL. MART.
INTERCEPTO . OBSTRICTISSIMI
JVSTA . PERSOLVVNT
VIXIT . ANNOS . LXXXI.

LXXXI.

MARIANO . ARCERO
NON . SIBI . SED . ALIIS . VNICE . NATO
QVOD
CHRISTIANAM . HVJVS . REGIONIS . PLEBEM
IN . OCVLIS . SINV . QVE . GESSERIT
ET . SACRAS . PER . LVCES . HVC . FREQVENTER
COLLECTAM
FLAGRANTISSIMIS . CONCIONIBVS
DIVTVRNO . XVI. ANNORVM . TRACTV
CATVS . AD . SANCTIMONIAM . FORMARIT
DEBITAM . QVE . OPERAE . MERCEDEM
VLTRO . SAEPIVS . QVE . DELATAM
SEMPER . POSTHABVERIT
GRATI . ANIMI
MONVMENTVM

LXXXII.

VIRVM . VERE . APOSTOLICVM
ABRVPTAS . BRVTIORVM . CAVTES
DIVINI . VERBI . PRAECONIO
IPSOS . ANNOS . XX. LVSTRANTEM
NEC . PLVRIMA . AERVMNARVM
AVT . MORTIS . IMAGINE . EXTERRITVM

INEXSATVRABILIS
ANIMARVM . DEO . LVCRANDARVM
AMOR
PVLCHERRIMIS
INFERNO . EX . HOSTE . TRIVMPHIS
COLLOCVPLETAVIT

LXXXIII.

SOLLERTISSIMVS . CVRIO
CASSANENSIS . GREGIS . PORTIONI
SVAM . IN . FIDEM . OLIM . ACCREDITAE
NON . IN . PRAESENS . TANTVM . PERDIVS
ET . PERNOX
QVA . EXEMPLO . QVA . VERBO . QVA . PRECE
SED . TEMPLO . VETVSTATE . FATISCENTE
CAEMENTIS . HVMERO . CONVECTIS
RESTITVTO . ET . ORNATO
PARATO . QVE . CASTIMONIAE . PERFVGIO
CAVIT . ETIAM . IN . POSTERVM
SVORVM . NVNQVAM
INCVRIOSVS

LXXXIV.

ANIMA . INNOCENTISSIMA
JAM . VOTIS . ASSVESCE . VOCARI
ET . QVAM . TIBI . INCRVENTIS . APPRECAMVR
VICTIMIS
PACEM . AETERNALEM
DEO . PROPIOR . DOMINAE . QVE . TVAE
E . CAELO . VOLENS . PROPITIA
NOBIS . IMPETRATO

LXXXV.

HONORI . ET . MEMORIAE
CAJETANI . BONANNI
IN . CVRIA . ARCHIEPISCOPALI . PRIMO . CAVSSARVM
TVM . FISCI . PATRONI
METROPOLITANAE . DEINCEPS . ECCLESIAE . NEAPOLITANAE
CANONICI . PRAEBENDATI
ET . A . SACRIS . ORDINATIONIBVS . SECRETARII
QVI
AD . PIETATEM . VITAE . QVE . INNOCENTIAM
ET . MORVM . FACILITATEM . SINGVLAREM
INTERIOREM . ECCLESIASTICARVM . RERVM
HEBRAICAE . QVE . LINGVAE . PERITIAM
ADJVNGENDAM . SVI . MVNERIS . PARTES . DVXIT
BONARVM . MVSARVM . CVLTORES
HOMINIS . OMNI . LAVDE . DIGNISSIMI
MORTALITATE . MOERENTES
NON . FVNERIS . POMPA . SED . LAVDVM . PRAEDICATIONE
HOC . AMICITIAE . POSTREMVM . OFFICIVM
PERSOLVENDVM . CVRAVERE

LXXXVI.

IN OBITV JOSEPHI CAPOCASALE

PRO AEDIS FORIBVS.

INGREDERE . QVIS . QVIS . ES
VIRI . QVE . PIENTISSIMI . FVNVS
PIA . PRECATIONE . PROSEQVERE

LXXXVII.

IN TVMVLI LATERE ADVERSVS FORES.

JOSEPHVS . CAPOCASALIS
VIX . SACERDOTIO . INAVGVRATVS
NIHIL . CVRAE . STVDIO . QVE . SVO
RELIQVVM . FECIT
QVOMINVS . AD . EVANGELICI
MINISTRI . FORMAM
SE . SE . TOTVM . EFFINGERET
NVLLO . QVE . VITAE . DIE
AB . EXCOLENDA . JESV . CHRISTI
VINEA . CESSARE . VISVS . EST
TANDEM . LABORIBVS . POTIVS
QVAM . ANNIS . ABSVMPTVS
SPIRITVM . CREATORI . REDDIDIT
VIX. AN. LXXIV. MENS. VII. DIES. XXI.
ELATVS . FVNERE . FREQVENTISSIMO
IX. KAL. NOV. CIϽIϽCCCXXVIII.
FRATRES
SODALI . AMANTISSIMO
JVSTA . PERSOLVVNT

LXXXVIII.

IN TVMVLI LATERE DEXTRORSVM

SERVVS . FIDELISSIMVS
TALENTA . A . DOMINO . PEREGRE
PROFICISCENTI
SIBI . COMMISSA . TAM . STVDIOSE
TRACTAVIT
VT . EIDEM . REDVCI . RATIONES . QVE
SVBDVCENTI
PECVNIAM . IN . DVPLVM . AVCTAM

OBTVLERIT
COLLAVDATVS ∴ QVE . IN . DOMINI . SVI
GAVDIVM . INTRAVERIT

LXXXIX.

IN TVMVLI LATERE SINISTRORSVM.

VIR . INDEFESSVS
INNVMEROS . DISCIPVLOS . CVM . DOMI
TVM . VERO . IN . GYMNASIO . NEAP.
PROFESSOR
VOCE . QVOAD . VIXIT
ET . VITA . ETIAM . FVNCTVS
EDITIS . IN . LVCEM . VOLVMINIBVS
ERVDIENDOS . CVRAVIT

XC.

IN TVMVLI LATERE ADVERSVS ARAM.

JOSEPHE
CVI . JVSTITIAE . VTI
CORONAM
PRO . TVA . PIETATE . CONFIDIMVS
A . JVSTO . JVDICE . REDDITAM
GRATVLAMVR
SIC . TE . CAELI . SEDIBVS . RECEPTVM
NE . NOSTRI . QVOS . TANTOPERE
IN . TERRIS . DILEXISTI
CAPIAT . OBLIVIO
ENIXE . OBTESTAMVR

XCI.

IN FVNERE JOSEPHI MARIAE CONTII

CLERICI REGVLARIS SCHOLARVM PIARVM IN CVRIA ECHIENSI APPARATO

ANTE FORES TEMPLI.

JOSEPHO . MARIAE . CONTIO
DOMO . NEAPOLI
E . SCHOLARVM . PIARVM . CLERICIS . REGVLARIBVS
CVM . RELIGIONE . TVM . DOCTRINAE . PRAESTANTIA
AEQVALES . INTER . SVOS . CLARISSIMO
VIRVLENTA . VI . MORBI . E . VIVIS
MAGNO . OMNIVM . LVCTV . SVBLATO
COPIAE . NAVALIS . DVCES
ALVMNORVM . QVE . PRAECEPTORES
AMICO . ET . COLLEGAE . BENEMERENTI
PARENTALIA

XCII.

IN FRONTE TVMVLI

JOSEPHVS . MARIA
NON . PHILOSOPHIAE . MODO . ET . MATHESIS
SED . THEOLOGICIS . ETIAM . DISCIPLINIS
APPRIME . EXCVLTVS
QVAM . IMBVENDIS . PIETATE . MORIBVS
LITTERIS . QVE . ADOLESCENTVLIS
EGREGIAM . VIRTVTIS . EXISTIMATIONEM
IN . FLORENTISSIMIS . ITALIAE . VRBIBVS
MVLTIS . ANTE . ANNIS . COLLEGERAT
A . FERDINANDO . REGE . SAPIENTISSIMO
JVVENTVTI . AD . MARITIMAM . REM . MILITAREM
INFORMANDAE . PRAEFECTVS

NOVA . IN . DIES . LAVDIS . ACCESSIONE
AD . EXTREMVM . VSQVE . SPIRITVM
CVMVLAVIT

XCIII.

IN LATERE DEXTRORSVM.

JOSEPHO . MARIAE
CVM . APVD . OMNES . NON . VVLGARI
INGENII . GLORIA . VIRORVM . QVE . PRINCIPVM
AMICITIA . FLORERET
NIL . TAMEN . FVIT . ANTIQVIVS
QVAM . IN . DEVM . PIETAS . ET . CARITAS . IN . PROXIMVM
INSIGNIBVS . PER . IPSVM . ARGVMENTIS
PASSIM . COMPROBATA

XCIV.

IN LATERE SINISTRORSVM.

IN . REGVNDIS . ADOLESCENTVM . ANIMIS
ADEO . JOSEPHI . MARIAE
EMICVIT . SOLLERTIA . ET . DEXTERITAS
VT . QVOS . AD . SEVERIOREM
VIRTVTIS . NORMAM
PERDIVS . ET . PERNOX . EXIGERET
AB . IISDEM . VNVS . OMNIVM
MAXIME . DILIGERETVR

XCV.

IN POSTICA TVMVLI PARTE.

VETERIS . VSQVEQVAQVE . MORIS
LEGVM . QVE . QVVM . SVIS . VEL . PARERET
VEL . MODERARETVR . FVIT . RETINENTISSIMVS

JOSEPHVS . MARIA
ET . MVLTIPLICI . ORDINIS . PROCVRATIONE
RITE . STRENVE . QVE . DEFVNCTVS
NON . INTERITVRA
SAPIENTIAE . INTEGRITATIS . MODESTIAE
EXEMPLA . PRAEBVIT
POSTERITATI

XCVI.

IN OBITV DVCIS FRAMMARINI FILII CONJVGIS

HEV . SPES . FALLACES . FALLACIA . GAVDIA . LAETVM
AVXISTI . CONJVX . OPTIMA . FILIOLO
ALTERA . VIX. ABIIT . LVX . QVVM . ME . FVNERE . ACERBO
EREPTA . HEV . MISERVM . DESERIS . IN . LACRYMIS

ANNAE . MARIAE . SVAREZ . CORONEL
QVAE . PVERVLVM . ENIXA
ALTERO . A . PARTV . DIE . IMMATVRO
IN . IPSO . AETATIS . FLORE . ABSVMPTA . EST
DVX . FRAMMARINVS . FILIVS
AETERNVM . MOERENS . CONJVGI . CARISSIMAE
POSVIT

XCVII.

SVPREMA . FVNERIS . OFFICIA
PERSOLVVNTVR
EQVITI . JOSEPHO . ABAMONTIO
DOMO . CAGIANO
QVI . NEAPOLIM . A . PRIMA . ADOLESCENTIA . PERDVCTVS
OPTIMARVM . ARTIVM . ET . DISCIPLINARVM
IN . PRIMIS . QVE . JVRISPRVDENTIAE . SPATIA
TANTA . ALACRITATE . CONFECIT
VT . JVVENIS . AGENDIS . IN . FORO . CAVSSIS
MAGNAM . INGENII . SVI . ADMIRATIONEM . EXCIVERIT

IDEM . VERO . $\overline{\text{XXIV}}$VIR . SACRI . REGII . CONSILII
DEINDE . AD . SVPREMAM . CVRIAM
JVDICIORVM . INDVCENDORVM . VOCATVS
ET . PRAESIDIS . HONORE . AFFECTVS
TVM . ANNO . PROXIMO . SVPERIORE
CONSILIARIVS . SVPREMAE . CVRIAE . JVSTITIAE
CIVILIS . QVE . CVRIAE . TRANENSIS
PRAESES . RENVNTIATVS
SAPIENTIA . DEXTERITATE . ABSTINENTIA
IN . OBEVNDIS . PVBLICIS . MVNERIBVS
OMNIVM . EXSPECTATIONEM . SVPERAVIT
AD . HAEC . RELIGIONE . LIBERALITATE . CONSTANTIA . AEQVANIMITATE
TVM . IN . OMNI . VITA . TVM . IN . MORBO
PERMOLESTO . DIVTINO . QVE . PERFERENDO
FVIT . ADMIRABILIS
VIXIT . AN. LIX. OBIIT . SEXTO . IDVS . AVGVSTI
CIϽIϽCCCXVIII . MAXIMO . AMICORVM
DESIDERIO

XCVIII.

IN FVNERE DOMINICI COTVNNII

AD TEMPLI FORES.

DOMINICO . COTVNNIO
FVNVS . APPARATVM . EST
CIVES . HOSPITES
SI . DVM . VIXIT . DEFVIT . NEMINI
PRO . VIRI . INNOCENTISSIMI . BEATITATE
PRECES . AD . DEVM
FVNDITE

XCIX.

IN ANTICA PARTE TVMVLI.

DOMINICO . COTVNNIO
REGIO . ARCHIATRO
ET . IN . GYMNASIO . NEAPOLITANO
EMERITO . ANATOMES . PROFESSORI
QVI . A . PRIMVLA . AETATE
AD . SVMMAM . VSQVE . SENECTVTEM
EGREGIAM . PIETATIS . LAVDEM
IN . OBEVNDIS . RELIGIONIS . OFFICIIS . VNIVERSIS
AB . INCREDIBILI . STVDIORVM . CONTENTIONE
NE . PVNCTVM . QVIDEM . TEMPORIS . DISJVNXIT
EDITIS . QVE . VOLVMINIBVS
NOMINIS . SVI . GLORIAM . NON . ITALIAE . MODO
SED . EVROPAE . REGIONIBVS . CVLTIORIBVS . INVEXIT
HYPPOLITA . RVFFA . DVCISSA . BALNEARIAE
CONJVGIS . INCOMPARABILIS . ET . AMANTISSSIMI
JACTVRA . MOERENTISSIMA
PARENTALIA . PERSOLVIT

C.

AD LATVS DEXTRORSVM.

NIHIL . IN . ANATOMICAE . REI . LATEBRIS
OCCVRRIT . TAM . OBSCVRVM . ET . ABSTRVSVM
QVOD . NON . DOMINICVS
ADMIRABILI . INGENII . SAGACITATE
PERVASERIT . ET . EXPLICAVERIT
ADMIRABILIORI . VERO . FELICITATE
PLERAQVE . IPSIVS . SCIENTIAE . CVLTORIBVS
ANTEHAC . IGNOTA . PERVESTIGAVERIT
ET . IN . APRICVM . PROTVLERIT

CI.

AD LATVS SINISTRORSVM.

DOMINICVS . MEDICORVM
HVJVS . MEMORIAE . FACILE . PRINCEPS
ARTIS . SALVTARIS . TOT . TANTAS . QVE . PARTES
DISJVNCTAS . ET . DISTRACTAS . ITA . COMPLEXVS . EST
VT . VNVM . VELVTI . CORPVS . TOTA . SIMVL
EJVS . ANIMO . SEMPER . OBVERSARETVR
QVOD . CAVSSAE . FVIT
CVR . DIFFICILLIMIS . DESPERATIS . QVE . MORBIS
MEDENDI . VIAM . FACILLIMAM . INVENIRET
INNVMEROS . QVE . AEGROTOS
EX . IPSIS . MORTIS . VNGVIBVS . EREPTOS
RESTITVERET . SANITATI

CII.

IN POSTICA PARTE TVMVLI.

DEVS . OPTIME . MAXIME
DOMINICO
SI . VOLVNTATI . TVAE . FVIT . OBSEQVENTISSIMVS
QVID . QVID . EXPIANDVM . SVPEREST
OBLATA . TIBI . JESV . CHRISTI . VICTIMA
DIMITTE . VOLENS . PROPITIVS
EI . QVE . AD . SEDEM . CAELESTEM
ITER . ACCELERA

CIII.

IN FVNERE PASCHALIS DANIELII.

PRO TEMPLI FORIBVS.

PASCHALI . DANIELIO
EQVITI . CONSTANTINIANO
TEMPLI . QVE . HVJVS . CVRATORI
JVSTA . SOLVVNTVR
INGREDERE . QVIS . QVIS . ES
PACEM . QVE . DEVM . EXPOSCITO
CIVI . BENEMERENTISSIMO

CIV.

IN ANTICA PARTE TVMVLI.

PASCHALI . DANIELIO
QVEM . PIETAS . IN . DEVM
JVSTITIA . IN . OMNES . IN . AMICOS . LIBERALITAS
IN . PAVPERES . BENEFICENTIA . PROLIXA . ET . PERPETVA
IN . PVBLICIS . VERO . MVNERIBVS . OBEVNDIS
FIDES . ABSTINENTIA . DEXTERITAS . LABOR
AD . EXTREMVM . VSQVE . SPIRITVM . EXANTLATVS
ERVNT . APVD . POSTEROS . CELEBRATVRA
CVRATORES . HVJVS . TEMPLI
COLLEGAE . OPTIME . MERITO
FVNVS . APPARARVNT
VIXIT . AN. LXIV. MENS. IV. DIES . IV.
ABREPTVS . MORTALITATE
POSTR. NON. JVN.
AN. CIƆIƆCCCXVIII.

CV.

IN DEXTERO TVMVLI LATERE.

REM . FRVMENTARIAM . ET . OLEARIAM
CVM . IN . DIES . INCENDERETVR . ANNONA
ET . METVM . SVMMAE . CARITATIS . AFFERRET
CIVITATI . FREQVENTISSIMAE
PASCHALIS . DANIELIVS
SAGACITATE . TANTA . ET . FELICITATE
MAXIMIS . DIFFICVLTATIBVS
PLVS . VICE . SIMPLICI , EXPLICAVIT
VT . A . FERDINANDO . P. F. A.
PRAESES . OLIM . IN . CAM. SOMM. RAT. HONORARIVS
MODO . EQVES . CONSTANTINIANVS
FVERIT . RENVNCIATVS

CVI.

IN SINISTRO TVMVLI LATERE.

PASCHALIS . DANIELII . SOLLERTIA
ET . VIGILANTIA . MIRIFICE . IN . AEDIS . HVJVS
CVRATIONE . ELVXIT
QVAM . OBAERATAM . ET . PIGNORIBVS . VEL . CAPTIS
VEL . CAECIS . CVM . EXHAVSTAM . ACCEPISSET
NON . MODO . AERE . ALIENO . LIBERAVIT
ORNAVIT . QVE . OMNE . GENVS . SVPELLECTILI
SED . ETIAM . REBVS . JVDICIO . REPETITIS
ET . MAGNA . PECVNIAE . VI . IN . OMNES . TEMPLI
VSVS . RECONDITA . LOCVPLETAVIT

CVII.

IN POSTICA TVMVLI PARTE.

NVNQVAM . EX . ANIMIS . CIVIVM
DILABETVR . DILIGENTIA . ET . VIRTVS
PASCHALIS . DANIELII
QVOD . AEDILIS . DESIGNATVS
CELEBERRIMAE . QVE . FORI . MAGNI . REGIONI
PRAEPOSITVS . CVRAVERIT
VT . NEGOTIATORVM . PACTIS . CONVENTIS
VLTRO . CITRO . QVE . CONSTARET . FIDES
ET . NE . QVA . VENDENDIS . AVT . COEMENDIS
MERCIBVS . FRAVS . STRVERETVR
PLANE . PERFECERIT
NVLLA . IN . DIVTVRNO . MVNERE
AD . ANIMI . REMISSIONEM
DIE . INTERPOSITA

CVIII.

AD TEMPLI ARAM.

TV . VIRGO . DEIPARA
QVAE . IN . VERTICE . CAELI . REGINA . CONSIDES
TV . PASCHALI . DANIELIO
SI . TEMPLI . TVI . COMMODIS . AD . ANIMARVM
IGNE . LABES . PVRGANTIVM . LEVAMEN
AMPLIFICANDIS . DIV . NOCTV . QVE . INSVDAVIT
PACEM . A . DEO . ET . REQVIETEM
EXORATO

CIX.

MEMORIAE . LAVDI . QVE . PERPETVAE
DONATI . LILII
CVM . PRAESTANTISSIMIS . AETATIS . CVJVSQVE . VIRIS . COMPARANDI
SOCII . HERCVLANENSIS . ACADEMIAE . BORBONICAE . ORDINARII
CVI . AD . ERECTVM . BEATVM . QVE . INGENIVM
AD . VARIAM . LECTISSIMAM . QVE . DOCTRINAM
AD . INTERIOREM . OMNIS . ANTIQVITATIS . NOTITIAM
SINGVLARIS . ANIMI . CANDOR
EGREGIA . COLENDAE . AMICITIAE . FIDES
MORVM . FACILITAS . INAVDITA
HVMANITAS . IN . OMNES . PROLIXA . ET . PERPETVA
ACCESSERE
AMICI . TAM . GRAVI . JACTVRA . MOERENTISSIMI
LAPIDEM . ERIGENDVM
ET . TOT . VIRTVTVM . LAVDES
NE . TEMPORIS . DECVRSV . OBSOLESCERENT
PRORSA . VERSA . QVE . ORATIONE . POSTERITATI . PRODENDAS
CENSVERVNT

CX.

IN CONDITORIO ANTISTITVM NEAPOLITANORVM.

A. ☧. Ω.

ALOYSIVS . RVFFO . DE . CALABRIA
S. R. E. PRESB. CARDINALIS
ARCHIEPISCOPVS . NEAPOLITANVS
VIVENS . ET . MEMOR . MORTALITATIS
HYPOGEVM
CVM . ARA . MARMOREA . ET . CONDITORIA
CIRCA . PARIETES . EX . ORDINE . DISPERTITA
VBI . ET . SVI . ET . ANTISTITVM . SVCCESSORVM

CINERES . IN . PACE . CHRISTI . COMPOSITI
VNO . IN . LOCO . ET . HONESTIVS . REQVIESCERENT
EXTRVENDA . ET . ORNANDA
CVRAVIT
TVM . SERAPHINI . FILANGERII
ET . JOANNIS . VINCENTII . MONFORTII
DECESSORVM . SVORVM
OSSIBVS . ILLATIS
DEDICAVIT
A. S. CIƆIƆCCCXIX

CXI.

IN CONDITORIO ALOYSII CARD. RVFFO

ARCHIEP. NEAP.

ALOYSIVS . RVFFO . DE . CALABRIA
S. R. E. CARDINALIS . ARCHIEP . NEAP.
HEIC . SITVS . EST
VIXIT . AN. LXXXII. MENS. II. DIES . XXI.
DEPOSITVS . IN . OSCVLO . DOMINI
AN. SAL. CIƆIƆCCCXXXII.

CXII.

ALOYSIAE . GRANITAE . RICCIARDIAE
COMITISSAE . CAMALDVLORVM
INCOMPARABILI . RARISSIMI . QVE . EXEMPLI . FEMINAE
QVAE . RELIGIONIS . ET . SOCIETATIS . OFFICIA
ITA . HABVIT . DISCRETA . APVD . SE . ET . DISPERTITA
VT . ALTERIS . PIE . SEMPER . SANCTE . QVE . PERFVNCTA
CONVERSO . AD . ALTERA . STVDIO
QVAECVMQVE . AD . VIRVM . LIBEROS . ET . RELIQVAM . FAMILIAM
PERTINERENT
MAXIMA . SEDVLITATE . VIGILANTISSIMA . MATERFAMILIAS
NE . MINIMA . QVIDEM . MVNERIS . PARTE . POSTHABITA
OBIRE . VIDERETVR

SVB . GRAVI . VERO . MVLTIPLICI . QVE
REI . FAMILIARIS . REGVNDAE . FASCE . LABORANTI
NIHIL . FVIT . ANTIQVIVS
QVAM . JVSTITIAE . PRVDENTIAE . QVE . SOCIAM . HVMANITATEM . ADJVNGERE
MAXIME . QVE . VEREBATVR
NE . QVIS . POSSET . DE . SE . JVRE . EXPOSTVLARE
IN . LIBERALI . AMICORVM . COLLOQVIO
MATRONALIS . DECORIS . RETINENS . SED . LAETA . TAMEN . ET . JVCVNDA
CVI . SATIS . IN . REBVS . SAPIENTIAE
NEC . PARVM . INERAT . IN . SERMONE . GRATIAE . ET . ELEGANTIAE
QVOD . VIRI . PRINCIPES . MAGNI . QVE
EAM . ADEVNTES . FVERVNT . ADMIRATI
FRANCISCVS . RICCIARDIVS . CAMALDVLORVM . COMES
CONJVGI . QVA . CONTRA . VOTVM . ORBATVS . EST
TOT . VIRTVTVM . LAVDIBVS . CLARISSIMAE
MONVMENTVM . CVM . LACRYMIS
PONENDVM . CVRAVIT
OBIIT . ANNO . AETATIS . SVAE . LXIII . REPAR. SAL. CIↃIↃCCCXXXII
FVNERE . III . AB . OBITV . DIE . ELATA
MAGNIFICENTISSIMO . ET . QVASI . PVBLICO

CXIII.

HONORI . ET . LAVDI
HORATII . ANTONII . CAPPELLII . MARCHIONIS
FERDINANDI . I . PRINCIPIS . OPTIMI
A . SANCTIORIBVS . CONSILIIS . DOMO . QVE . AVGVSTA
VIVIDA . ET . LAETA . INGENII . INDOLES
INTERIORIBVS . AB . ADOLESCENTIA . DISCIPLINIS
PERSTVDIOSE . EXCVLTA . ET . PERPOLITA
CARMINIBVS . NON . AD . ANIMI . OBLECTAMENTVM
SED . AD . MORES . RITE . FORMANDOS . SVMMA . ELEGANTIA
HETRVSCE . LATINE . QVE . CONSCRIPTIS
TVM . VERO . VIRTVTES . VNIVERSAE
IN . MVLTIPLICI . PRIVATAE . PVBLICAE . QVE . REI
ADMINISTRATIONE . LONGO . ANNORVM . CVRSV

SOCIAE . SEMPER . COMITES . QVE . ADHIBITAE
AETERNVM . POSTERIS . MONVMENTVM
P. P.

CXIV.

DOMINICO . COTVNNIO
ARCHIATRO . ET . PROFESSORI . REGIO
QVI . LICET . EXIMIA . MEDICAE
ANATOMICAE . QVE . REI . PERITIA
MEDICORVM . HVJVS . AETATIS
FACILE . PRINCEPS . NVMERARETVR
NOMINIS . QVE . SVI . FAMAM
EGREGIA . INVENTORVM . LAVDE
APVD . EXTERAS . NATIONES . PROPAGASSET
NIHIL . TAMEN . AD . SE . EA . QVANTACVMQVE . FORENT
PERTINERE . SAPIENTER . ARBITRATVS .
AD . PROMERENDAM . CORONAM . VITAE
A . DEO . DILIGENTIBVS . SE . PROPOSITAM
VNIVERSIS . HOMINIS . CHRISTIANI . OFFICIIS
AD . VSQVE . EXTREMAM . SENECTVTEM
PIE . SANCTE . QVE . OBITIS
TOTAM . ANIMI . MENTEM
CONTENDIT
HVIC . VIRO . INCOMPARABILI
AMICI . MONVMENTVM
P. P.

CXV.

CAROLO . NICOLAI . FILIO . TAGLIALATELA . SCAFATI
TRIVMVIRO . IN . CIVILI . CVRIA . NEAPOLIT. STILITIBVS . JVDICANDIS
INTEGERRIMO . ET . ABSTINENTISSIMO
QVEM . RELIGIONE . HONESTATE . PROBITATE
SVPRA . QVAM . DICI . QVEAT . ORNATVM
NEC . FAVOR . NEC . GRATIA . NEC . OPES
A . RECTO . JVSTITIAE . TRAMITE . DEMOVERE

VIXIT . AN. .... MENSES .... OBIIT . VII . SEPVLTVS . VIII
KAL. MARTII . NEAPOLI . IN . DIVAE . MARIAE . DE . AVXILIO
ELATVS . FVNERE . FREQVENTISSIMO . ET . HONORIFICENTISSIMO
INTER . LACRYMAS . SVORVM . ET . AMICORVM . INSOLABILES
JOSEPHVS . MAJOR . NATV . LVCTV . QVE . PERDITVS
HEIC . JVXTA . AEDICVLAM . JVRIS . PATRONATVS
FAMILIAE . SVAE
LAPIDEM
QVI . ACERBISSIMVM . ET . PERPETVVM
ANIMI . DOLOREM . TESTARETVR
P. CVRAVIT

CXVI.

JOANNI . BAPTISTAE
TAGLIALATELA . SCAFATI . SACERDOTI
QVI . HOC . PRAEDIVM . AVITVM . LOCI . AMOENITATE . CAPTVS
POMIFERIS . OMNE . GENVS . ARBORIBVS . SCITISSIME . IN . ORDINES
SVA . PROPE . MANV . NON . SOLVM . AD . SPECIEM . SED . ETIAM . AD . FRVCTVM
DIRECTIS . CONSEVIT . ET . DIVERSORIOLVM . CVM . AEDICVLA . PRIVATA
QVO . MVNIIS . ECCLESIASTICIS . PERFVNCTVS . VENTITARET . A . PROXIMO . OPPIDO
DEO . SIBI . QVE . IN . SOLITVDINES . VICTVRVS . AEDIFICAVIT
SED . MORBI . VIRVLENTIA . E . COMPLEXV . SVORVM
INGENTI . APVD . OMNES . RELICTO . OB . EGREGIAS . VIRTVTES . DESIDERIO
ACTVTVM . RAPTVS . HAC . ANIMI . REQVIETE . FRVI . NON . POTVIT . DIV
JOSEPHVS . NATV . MAJOR . FRATRI . CARISSIMO
AMANTISSIMO . QVE . HVNC . LAPIDEM
PERPETVI . MOERORIS . SVI . TESTEM
PONENDVM . CVRAVIT

CXVII.

JOSEPHO . FRANCISCI . FILIO
DOMO . SOLOFRA
QVI . MORIBVS . ORNATISSIMIS
OPTIMIS . QVE . STVDIIS . NEAP. INSTITVTVS

CVM . INTER . SVOS . EMINERET
A . FERDINANDO . II . P. F. A.
BENEFICENTIAE . SECRETARIVS . DELECTVS . FVIT
QVAM . PERDIFFICILEM . PVBLICAE . REI . PARTEM
REMISSA . PENSIONE . SINGVLARI . ABSTINENTIA
ET . SEDVLITATE . ITA . GESSIT . VT . IDEM . PRINCEPS . AVG.
OBSIGNATO . DECRETO
AD . MAJVS . GRATIAE . SVAE . MVNVS
FORET . EVECTVRVS
PHTHISI . ADFECTVS . DIVTVRNO . ENECTVS . LANGVORE
MORTEM . CVM . VITA . COMMVTAVIT
AETATIS . SVAE . AN. XXXIII
CHRISTIANAE . AVTEM . SALVTIS . CIƆIƆCCC.... IN . S. PETRI . AD . PATERNVM
OPPIDVLO . ET . INTER . SODALES . SVOS . SEPVLTVS . EST
ELATVS . FVNERE . HONESTISSIMO
FRANCISCVS . PATER . MOERENTISSIMVS
CVM . LACRYMIS . LAPIDEM
P. C.

CXVIII.

RACHELIS
DE . JANVARIO
MATRIS . OPTIMAE .
EN . QVANTVLVM . MNEMOSYNŌN
RELIQVVM . EST
DVCI . FRANCISCO . CARACCIOLO
FILIO . MOERENTISSIMO

CXIX.

AD DIVAE THERESIAE HISPANORVM NEAPOLI

SVB DEFVNCTI PROTOME EX MARMORE

A. ☧. Ω.

MEMORIAE . ET . QVIETI . SEMPITERNAE
JOSEPHI . DOMINICI . F. DANIELII
PATRITII . SYRACVSANI . ET . CAMPANI
QVI . INDOLEM . NATVRA . PRAESTANTEM . STVDIIS . OPTIMARVM . ARTIVM A . PRIMA . AETATE . EXPOLITAM . VBI . MILITIAE . NOMEN . DEDIT AD . VETERVM . POPVLORVM . HISTORIAM . ATQVE . ILLAM . CVM . PRIMIS PARTEM . PERNOSCENDAM . ATTVLIT . QVAE . BELLA . ET . PVGNAS EXSEQVERETVR . DIVTVRNO . QVE . LABORE . EFFECIT . VT . QVID . QVID SVMMA . EXCELLENTIVM . IMPERATORVM . INGENIA . EX . OMNI . ANTIQVITATE . IN . RE . BELLICA . EXTVDERVNT . HABERET . IN . NVMERATO QVVM . QVE . STVDIO . ET . INDVSTRIA . PENE . SINGVLARI . AD . GLORIAM . ET . AD . SVPREMOS . MILITIAE . GRADVS . CONTENDERET . IN EA . INCIDIT . TEMPORA . SANE . QVAM . INIQVISSIMA . QVAE . REGNI CONVERSIONEM . PRAECESSERE . NEC . EFFVGERE . VALVIT . FVROREM ILLVM . IN . OPTIMVM . QVEMQVE . SAEVIENTEM . ET . SPEM . DE SE . HONESTE . CONCEPTAM . TVNC . PRAECISAM . VIDIT . NEC . QVA ERAT . ANIMI . MODESTIA . INDOLVIT . SVA . VERO . INNOCENTIA . TECTVS . AB . IMMINENTI . NAVFRAGIO . EVASIT . INCOLVMIS . PERPETVO . QVE . RETINVIT . DIGNITATEM . SVAM . AD . HAEC . RELIGIONIS . JVSTITIAE . QVE . ASSIDVVS . CVLTVS . PROLIXA . IN . EGENOS . LIBERALITAS . COMITAS . IN . AMICOS . SVMMAM . ILLI . VIRTVTIS . COMMENDATIONEM . PEPERERE . EJVS . QVE . DESIDERIVM . MIRVM . QVANTVM
APVD . OMNES . RELIQVERVNT.
FRANCISCVS . FRATER . ET . DOMINICVS . FILIVS
AMBO . HIEROSOLYM. ORDINIS . EQVITES
TANTA . JACTVRA . INSOLABILITER . MOERENTES . PONEND. CVRAVERVNT
LOCO . DATO . CODICILLIS . REGIIS

VIXIT . ANNIS . LXV . MENSIBVS . II . DIEBVS . III
DECESSIT . IN . OSCVLO . DOMINI . PRIDIE . KALENDAS . NOVEMBRES
ANNO . CIƆIƆCCCVII

CXX.

D. O. M.

JOSEPHO . DOMINICI . F. SARACENI
RELIGIONIS . NON . ADVMBRATAE
SED . VIRTVTVM . LINEAMENTIS . EXPRESSAE . CVLTORI
DISCIPLINAE . AVTEM . SEVERIORIS
OMNIS . QVE . OFFICII . DILIGENTISSIMO
QVI . EO . FVIT . INGENII . ACVMINE . VT . FERME . SEXENNIS . PATRE ORBATVS . VIX . PRIMORES . LITTERAS . A . PRAECEPTORE . ERVDITVS PER . SE . IPSE . ITALICAE . LATIALIS . GALLICAE . QVE . LINGVARVM NOTITIAM . ADEPTVS . OPTIMOS . SCRIPTORES . CVM . PRIMIS . HISTORICOS . PERLVSTRARIT . VNDE . ANIMVS . DOCTRINA . VITA . MORIBVS ORNARETVR . DISCENDI . IN . DIES . CVPIDIOR . COMPARATA . BIBLIOTHECA . A . LECTIONE . DIVELLEBATVR . AEGERRIME . PATERFAMILIAS ATTENTVS . AC . DILIGENS . NIHIL . LIBERORVM . INSTITVTIONI . PRAEVERTENDVM . DVXIT . AD . PATERNI . AVTEM . FVNDI . CVLTVRAM ATTVLIT . SOLLERTIAM . SINGVLAREM . MIRIFICE . QVE . REM . FAMILIAREM . AMPLIFICAVIT . NEC . PATRIAE . NEQVE . AMICIS . VLLO . IN LOCO . DEFVIT . VLTRO . QVE . HOMINVM . TENVIORVM . LANGVENTEM EXCITAVIT . INDVSTRIAM . PAVPERES . VERO . QVOS . PATRVVS . APVD SINAS . ARCHIEPISCOPVS . COMMENDABAT . PERPETVA . LARGITATE . COMPLEXVS . EST . QVAM . VITAE . RATIONEM . AB . ADOLESCENTE . SVSCEPTAM . SENEX . AD . EXTREMVM . SPIRITVM . PERDVXIT.
HVIC . PARENTI . DE . SE . PRAECLARISSIME . MERITO
DOMINICVS . THOMAS . ANTONIVS . CAROLVS . DIOMEDES
FILII . MOERENTISSIMI . PP.
VIXIT . AN. LXXXII. MENS. II. DIES . IV.
IN . PACE . QVIEVIT . CIƆIƆCCCXIV

CXXI.

D. O. M.

JOSEPHO . ROSATO
MEDICO . PRAESTANTISSIMO
RELIGIONE . AVTEM . ANIMI . MODESTIA . MORVM . SVAVITATE
IN . AMICOS . OBSERVANTIA . IN . PAVPERES . MISERICORDIA
DILIGENTIA . IN . AEGROTOS . IN . OMNES . BENEVOLENTIA
SINGVLARI . PLANE . QVE . ADMIRABILI
QVI . CVM . PHILOSOPHIAE . MATHESEOS . ASTRONOMIAE
GEOGRAPHIAE . ARCHITECTONICES . ET . PHILOLOGIAE
FONTES . RECONDITOS . INAVDITA . INGENII . VI
A . PRIMA . AETATE . ADIISSET
EDITIS . IN . LVCEM . VOLVMINIBVS
MAXIMAM . SIBI . DOCTISSIMI . CVJVSQVE
EX . NOSTRATIBVS . EXTERIS . QVE . EXISTIMATIONEM
AMICITIAM . QVE . PEPERIT
ET . VNIVERSAM . DAVNIAE . JVVENTVTEM
CVJVS . EXSTITIT . DVX . SEMPER . ET . HORTATOR
AD . EA . STVDIA . ALACRITER . PERSEQVENDA . EXCITAVIT
VT . QVID . QVID . DOCTRINARVM . POLITIORVM
HIC . EFFLORVERIT . IPSI . VNICE
ACCEPTVM . SIT . REFERENDVM
NE . QVA . VERO . RE . HOMINIBVS . SVIS . DEFORET
LVCVBRATIONES . AVRO . CONTRA . NON . CARAS
IN . APRICVM . PROTVLIT . VBI . COLENDI . AGRI
METIENDI . QVE . VIA . FACILIOR . MONSTRARETVR
QVO . EX . TOT . LATIFVNDIIS . SEGES . PROVENIRET . VBERIOR
FINIVM . QVE . REGVNDORVM . CONTROVERSIAE
SINE . DOLO . MALO . CITIVS . QVE . DIRIMERENTVR
AMICI . ET . CIVES
TANTI . VIRI . DE . SE . DE . PATRIA . DE . QVE . DISCIPLINIS
FERE . OMNIBVS . PRAECLARISSIME . MERITI
DESIDERIO . MOERENTISSIMI . PP.
VIXIT . AN . LXI . IN . PACE . QVIEVIT . KAL. SEPT.
CIↃIↃCCCXV

CXXII.

D. S. M.

ALOYSIO . INTONTI
PATRICIO . ARIANENSI ; ET . LVCERINO
COPIARVM . PEDESTRIVM . CENTVRIONI
IN.PARENTES . ET.PROPINQVOS.CARITATE . IN.AMICOS.COMITATE.ET.FIDE
PENE . INCOMPARABILI
REBVS . AVTEM . BELLI . GESTIS . VIRTVTE . ET . CONSTANTIA
NVLLI . AEQVALIVM . SVORVM . SECVNDO
QVEM
CONTRA.MISERRIMORVM.PARENTVM.FRATRIS.VNICI.SORORVM.QVE.VOTVM
TVRBATO . MORTALITATIS . ORDINE
APOPLEXIS . AD . INSTAR . FVLMINIS
AETATE . ADHVC . VERNANTE . PROSTRAVIT
NICOLAVS . NATV . MAJOR
DAVNIAE . PROVINCIAE . PRAEFECTVS
ACERBISSIMO . EXANIMATVS . FVNERE
ET . VNI . MOERORI . POSTHAC . INSOLABILITER . VICTVRVS
GERMANO . DVLCISSIMO . SIBI . QVE
MONVMENTVM . DOLORIS . POSVIT
VT . QVORVM . PERPETVVS . FVIT . AMOR . EADEM . MENS . IDEM . ANIMVS
ITA . EORVM . CINERES . IN . EADEM . VRNA . COMPOSITI
SINT . QVIETVRI
VIXIT . ANNOS . XXXIV . OBIIT . III . NONAS . IVLIAS.CIↃIↃCCCXVIII. STABIIS
VNDE . EXVVIAE . IN . HVNC . TVMVLVM . TRANSVECTAE

AVE . ALOYSI . FRATER . SVAVISSIME
ET.ME.IMMANI.TVI.DESIDERIO.IN.DIES.ET.HORAS.MISERE.CONSVMENDVM
CITISSIME . EXSPECTA

CXXIII.

MEMORIAE . AETERNAE
JOSEPHI . ROSATI
CATHEDR. HVJVS . EC. ARCHIDIACONI
PIETATIS . ET . LITTERARVM . IN . PRIMIS . QVE
DIVINI . HVMANI . QVE . JVRIS . LAVDE . CLARISSIMI
QVI . VICARIVS . CAP. IPSO . XII. AN. SPATIO
CATHEDRAM . SANCTISSIME . ADMINISTRAVIT
EJVS . QVE . DIGNITATEM . PERSTVDIOSE . TVTATVS . EST
VIXIT . AN. LXXX. MENS. V. DIES . XIII
OBIIT . III . NON. NOV. CIƆIƆCCCXXIII
ITEM . QVE . MEMORIAE
HIERONYMI . ROSATI . SACERDOTIS
QVEM . E . PROPATRVI . SVI . LATERE
CVI . DIV . NOCTV . QVE . HAEREBAT
EODEM . MORBO . ET . EADEM . DIE . ABSVMPTVM
EODEM . QVE . GENTILI . SEPVLCRO . COMPOSITVM
NE . MORS . QVIDEM . POTVIT . AVELLERE
VIXIT . AN. XXVII
DE . FAMILIA . OMNES
CVM . LACRYMIS
P.
CVRAVERVNT

CXXIV.

CAROLVM . DE . CAVALERIIS . MANASSE
DOMO . COMACLO
TARRACINAE . PRIVERNI . SETIAE . QVE . EPISCOPVM
NEAPOLI . QVO . VALETVDINIS . CAVSSA . DEVERTERAT
VI . MORBI . INGRAVESCENTE . EXTINCTVM
ALOYSIVS . RVFFO . S. R. E. CARDINALIS
ARCH. NEAP. VIRVM . AMICISSIMVM
SVPREMO . EXEQVIARVM . OFFICIO . PROSEQVVTVS

HOC . IN . LOCVLO . COMPONENDVM . CVRAVIT
VIXIT . AN. LVII . OBIIT . XIV . KALEN. SEPT.
CIƆIƆCCCXXVI

CXXV.

D. O. M.

LVCIO . ANDREAE . CRISPINI . F. MARTINIO
VIRO . PIENTISSIMO . MEDICO . QVE . DOCTISSIMO
QVI . HEIC . DOMI . LITTERIS . POLITIORIBVS . QVANTOPERE
ERVDITVS . FVERIT . CARMINIBVS . LECTISSIMIS
LATIALI . HETRVSCA . QVE . LINGVA . CONSCRIPTIS
ADOLESCENTVLVS . PALAM . OMNIBVS . FECIT
NEAPOLI . VERO . PER . EXIMIOS . ILLIVS . AEVI . DOCTORES
AD . OMNES . REI . MEDICAE . PARTES . EGREGIE . EXCVLTVS
ET . IN . PATRIAM . REDVX . CVRATIONIBVS . MORBORVM . DIFFICILIVM
PRAETER . SPEM . AD . OPTATVM . EXITVM . PERDVCTIS
CVM . APVD . CIVES . TVM . APVD . PROVINCIARVM . ETIAM
FINITIMARVM . HOMINES . ADMIRABILEM . INGENII
DOCTRINAE . QVE . SVAE . EXISTIMATIONEM . EXCITAVIT
QVAM . QVIDEM . NOMINIS . GLORIAM
CVM . FLVXAM . SEMPER . INANEM . QVE . DVXISSET
IN . EO . COGITATIONES . ET . CVRAS . AB . IPSA . PVERITIA
AD . EXTREMAM . VSQVE . SENECTVTEM . DEFIXIT
VT . OMNIBVS . RELIGIONIS . CHRISTIANAE . OFFICIIS
PIE . SANCTE . QVE . OBEVNDIS . AETERNAM . SIBI
IN . CAELIS . BEATITATEM . COMPARARET
COSMAS . ANGELVS . ET . GABRIEL
PARENTI . OPTIMO . ET . BENEMERENTISSIMO
LVBENTES . MOERENTES . PP.
A. S. CIƆIƆCCCXXVI
VIXIT . AN. LXXVII . MENS. XI . DIES . VI

CXXVI.

ALOYSIO . ODIERNA
ECCLESIAE . CATHEDRALIS . CANONICO . CANTORI
PRO . VICARIO . GENERALI
SEMINARII . DEPVTATO
PLVRIMIS . QVE . IN . HAC . CIVITATE
DEINCEPS . PRAEFECTVRIS . ECCLESIASTICIS
OB . INDVSTRIAM . SINGVLAREM . HONORATO
QVI . CVM . CETERARVM . DOCTRINARVM
TVM . VERO . THEOLOGICAE . REI . PERITISSIMVS
IN . EXCOLENDA . J. C. VINEA
NVLLVM . DIEM . PERE . SVI . OBLITVS
INTERQVIESCERE . PASSVS . EST
EA . QVE . FVIT . IN . OMNES . CARITATE
VT . OMNIBVS . OMNIA . FACTVS . VIDERETVR
VITA . QVE . FVNCTVS . NON . CIVIBVS . MODO
SED . VNIVERSAE . ETIAM . VICINIAE
OB . MVLTIPLICES . EGREGIAS . QVE . VIRTVTES
AETERNVM . SVI . DESIDERIVM . RELIQVIT
NATVS . POST. KAL. MAJAS . CIϽIϽCC....
DENATVS . X . KAL. MAJAS . CIϽIϽCCCXXVII
N. N.
MONVMENTVM . PONENDVM
CVRAVIT

CXXVII.

A. ☧. Ω.

PASCHALI . BENEDICTI . F. MVSACCHIO
SACERDOTI . VERE . EVANGELICO
QVI . FAMILIAE . SVAE . CVM . ESSET . VNICVS . E . DOMESTICORVM
PVGNA . VICTOR . AD . PROFITENDVM . CLERICALI . MILITIAE . NOMEN
ADVOLAVIT . PRESBYTERATV . INAVGVRATVS . EXCOLENDAE . J. CHRISTI

VINEAE . SE . TOTVM . ADDIXIT . NVLLVM . QVE . PASSVS . EST . EFFLVERE DIEM . QVIN . EXEMPLO . ET . VERBO . PROSPICERET . ANIMARVM . SALVTI PENE . OBLITVS . SVI . DOMVS . DEI . MVNDITIEM . ET . NITOREM IMPENSE . DEAMAVIT . ET . TEMPLVM . HOC . CVJVS . TECTVM . VETVSTATE COLLAPSVM . CORROGATA . PIORVM . STIPE . REFECIT . SQVALORE . SITV . QVE . DETERSO . PERPOLIVIT . SVPELLECTILI . VNDECVNQVE . COMPARATA DITAVIT . ORNAMENTIS . QVE . ITA . DECORAVIT . VT . OMNIBVS . VICINIAE TEMPLIS . ANTEFERRETVR . DENIQVE . NE . GRAVEOLENTIA . E . SEPVLCRORVM MVLTITVDINE . INHALANS . CIVES . A . SACRIS . OBEVNDIS . DETERRERET NIHIL . SIBI . RELIQVI . FECIT . QVO . MINVS . COMMVNE . SEPVLCRETVM EXTRA . POMERIVM . AEDIFICARETVR . VBI . VITA . FVNCTI . REQVIESCERENT EO . QVE . IPSE . PRIMVS . E . PRESBVTERIS . CONTRACTO . TOT . LABORIBVS MORBO . NATVRAE . CEDENS . INTER . LACRYMAS . GEMITVS . QVE . POPVLI ILLATVS . EST . NONIS . SEPTEMBRIS . ANNOS . NATVS . XLV . A . S. CIϽIϽCCCXXVII

HVIC . FILIO . AMANTISSIMO . DVLCISSIMO . QVE
CATHARINA . MVSACCHIA . MATER
HOC . MOERORIS . PERPETVI . MONVMENTVM
CONTRA . VOTVM . POSVIT

CXXVIII.

D. O. M.

THERESIAE . JOANNIS . BAPTISTAE . COPPOLAE
EQVITIS . ET . VALLIS . BARONIS . FILIAE
EGREGIIS . ANIMI . CORPORIS . QVE . DOTIBVS
FLORENTISSIMAE
MAGNO . QVE . APVD . OMNES . HONORE . HABITAE
QVAE . QVVM . ALTERVM . CONJVGII . DVLCISSIMI
PIGNVS . ESSET . EDITVRA
VIRVM . IN . QVEM . AMORE . SINGVLARI . FEREBATVR
FILIOLA . QVIDEM . AVXIT . SED . EX . PARTVS . INFELICIS
CRVCIATV . IN . IPSO . AETATIS . VERE . VITA . DECEDENS
LVCTV . MERSIT . ACERBISSIMO
VIXIT . AN. XXVIII . OBIIT . PRID. KAL. MARTIAS
CIϽIϽCCCXXVIII
NICOLAVS . EX . BARONIBVS . PERROTTIS

CONJVGI . CASTISSIMAE . AMANTISSIMAE . QVE
HOC . AMORIS . DOLORIS . QVE . MONVMENTVM
PONENDVM . CVRAVIT
QVIS . QVIS . ES . ANIMAE . INNOCENTISSIMAE
PACEM . AETERNALEM . ADPOSCITO

CXXIX.

CAJETANO . BONANNO
QVI . QVVM . FLORENTE . AETATE . EGREGIAM
OPERAM . LINGVAE . SANCTAE . VNIVERSAE . QVE
REI . ECCLESIASTICAE . IMPENDISSET
EX . FISCI . IN . CVRIA . ARCHIEP . PATRONO
CANONICVS . METROP. ECCL. PRAEBENDATVS
TVM . A . SACRIS . ORDINATIONIBVS . SECRETARIVS
OMNIVM . GRATVLATIONE . RENVNCIATVS
EA . PRVDENTIAE . COMITATIS . QVE . LAVDE . MVNVS
SIBI . CREDITVM . GESSIT . VT . MORTE . OBITA
OFFICIORVM . GENERE . PRORSVS . SINGVLARI
CLERICI . NEAP. DESIDERIVM . VIRI . BENEMERENTISSIMI
PVBLICE . TESTATVM . VOLVERINT
VIX. AN. LXVIII . MEN. VIII . MAXIMA . QVE . CLERI
FREQVENTIA . ELATVS . V. KAL. SEPT. CIƆIƆCCCXXVII
JANVARIVS . JCTVS . FRATRI . AMANTISSIMO
HOC . DOLORIS . SVI . MONVMENTVM . P. C.
LOCVS . DATVS . PERMISSV . CANONICORVM.



INSCRIPTIONES VARIAE



CXXX.

CAROLO . XII
FRANCORVM . REGI . P. F. A.
PATRI . PATRIAE
MICHAEL . ARDITI
EX . ANTIQVIS . VALENTINI . DYNASTIS
MARCHIO . CASTRI . VETERIS
SACRI . MILITARIS . HIEROSOLYMITANI
ET . CONSTANTINIANI . ORDINIS . EQVES
PRAEFECTVS . REGII . MVSEI . BORBONICI
CVRATOR . ANTIQVITATVM . EFFODIENDARVM
HAS . OPELLAS . INGENIOLI . SVI . PARTVS
IN . LVCEM . IDENTIDEM . EDITOS
VENERABVNDVS . OFFERT
DVLCI . QVE . SPE . DVCITVR
REGEM . POTENTISSIMVM . PRO . EXIMIA
QVAE . INTER . REGIAS . VIRTVTES . EMINET . COMITATE
MINIME . MVNVSCVLVM . EXILE . DEDIGNATVRVM
SED . DEMISSA . EX . ALTISSIMO . FASTIGIO
TANTISPER . MAJESTATE
SERENO . VVLTV . ACCEPTVRVM
AVGVRATVR

CXXXI.

FERDINANDO . I . P. F. A.
REGI . VTRIVSQVE . SICILIAE
QVOD
VETVS . CARMELITARVM . COENOBIVM

ET . SACRAM . EORVMDEM . AEDEM
DE . PRINCIPIS . FISCO . BINOS . INTRA . MENSES
FERE . A . FVNDAMENTIS . REFICIVNDAM
MAGNIFICE . QVE . ORNANDAM . CVRAVERIT
ET . ADSIGNATO . AD . OPERAS . EVANGELICAS . ALENDAS . CENSV
QVO . J. CHRISTI . VINEA . PER . CIRCVMPOSITOS . PAGOS
DILIGENTIVS . OMNI . TEMPORE . COLERETVR
CONGREGATIONI . A . B. ALPHONSO . DE . LIGORIO . INSTITVTAE
PRO . SVA . LIBERALITATE . DONAVERIT
EADEM . CONGREGATIO
NE . TANTI . REGIS . MVNIFICENTIA
GRATI . QVE . ANIMI . SVI . TESTIMONIVM
APVD . POSTEROS . INTERCIDERET
HOC . MONVMENTVM . POSVIT

HAEC . ACTA . SVNT
VRBE . VNIVERSA . IN . LAETITIAM . EFFVSA
SOLEMNEM . CAERIMONIARVM . RITVM . PERAGENTE
N. DVRINO . AVERSANORVM . EPISCOPO
PRAESENTE . IPSO . REGE . PIENTISSIMO
ET . FRANCISCO . CALABRIAE . DVCE
MAXIMO . QVE . AVCTORITATVM . OMNIVM . CONVENTV
XV . KAL. AVG.
AN. CIƆIƆCCCXXIII

CXXXII.

PRO RECVPERATA VALETVDINE FERDINANDI I.

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS.

FERDINANDO . BORBONIO
CAROLI . F. PHILIPPI . NEP.
LVD. M. ABNEP.
QVOD
SPEM . OTII . CONCORDIAE . QVE . IN . EJVS . REDITV . POSITAM
ADVENTV . SVO . IN . PVBLICAM . SECVRITATEM . CONVERTERIT

QVOD
NEAPOLITANORVM . SICVLORVM . QVE . RE . OPTIMIS . LEGIBVS
ET . SANCTISSIMIS . INSTITVTIS . TEMPERATA
VNA . EADEM . QVE . JVRIS . ET . IMPERII . AEQVABILITATE
POPVLVM . VTRVMQVE . REGENDVM . SANXERIT
QVOD
ITINERA . PER . PROVINCIAS . VARIE . INTERRVPTA
NE . COMMERCIORVM . IMMINVERETVR . FREQVENTIA
REFICIENDA . IMPERAVERIT
FELIX . PARRILLIVS . ARCHIGYMNASII . NEAP. RECTOR . II.
PRAEEVNTE . OMNIVM . ORDINVM . LAETITIA
PRO . RESTITVTA . PROVIDENTISSIMI . PRINCIPIS . VALETVDINE
HAEC . PROFESSORVM . OFFICIA
TYPIS . AD . POSTERORVM . MEMORIAM . EXCVSA
DICANDA . CVRAVIT

CXXXIII.

N. N.
SEMPER . QVE . TRIVMPHATORI
OMNES . OMNIVM . RETRO . SAECVLORVM
PRINCIPES . ET . COPIARVM . DVCTORES
RERVM . DOMI . BELLI . QVE . GESTARVM
AMPLITVDINE . ET . GLORIA
SVPERGRESSO
QVOD . BELLICOSIS . NATIONIBVS
AD . GALLIARVM . PERNICIEM . COEVNTIBVS
CVM . MILITVM . VIRTVTE
INAVDITA . QVE . CONSILII . CELERITATE
TVM . VERO . TERRORE . NOMINIS . SVI
TRIVM . MENSIVM . SPATIO . PROFLIGATIS
N. N.
FRATREM . E . COMPLEXV . SVO . DIVVLSVM
QVO . PAX . ET . FELICITAS . PVBLICA . FVNDARETVR
NEAPOLITANIS . VOLENTIBVS
REGEM . PARENTEM . QVE . CONDONAVERIT
FOGIANI . DICATISSIMI . NVMINI

MAJESTATI . QVE . EJVS
GRATI . ANIMI . MONVMENTVM
P. P.

CXXXIV.

N. N.
INAVDITAM . BELLICAE . VIRTVTIS . GLORIAM
VEL . INITA . AD . PYRAMIDES . PVGNA
CONSECRAVIT . IMMORTALITATI
VEI . ACCEPTO . IN . OS . VVLNERE
NON . ANTE . TAMEN . PRAELIO . DISCESSIT
QVAM . DVCEM . BARBARORVM
SECVM . ACERRIME . CONGREDIENTEM
COSSI . ILLIVS . MARCELLI . QVE
EXEMPLO . RENOVATO
IN . ACIE . CONFODERET

CXXXV.

N. N.
TANTA . IN . RE . GERENDA . FVIT . CELERITATE
VT . VERE . BELLI . FVLMEN
SEMPER . HOSTIBVS . VIDERETVR
IN . PRIMIS . QVE . QVVM . FERD. AVSTRIADEM
CVM . STRENVA . EQVITVM . MANV
VLMA . ELAPSVM . EST . PERSEQVVTVS
QVEM . POST . VNVM . ALTERVM . QVE . CERTAMEN
ET . CAPTOS . AD . III . MILLIA . HOSTES
ADEPTVS . ESSET
NI . ILLE . PENE . SOLVS . DEVIIS . ITINERIBVS
NEROLINGAM . CONTENDISSET

CXXXVI.

N. N.°

PIO . VICTORI . AVG.

VTRIVSQVE . SICILIAE . REGI

QVOD . TRIBVNAL . VNDE . JVS

DAVNIAE . POPVLIS . DICERETVR

VTI . VI . KAL. OCT. LVCERIA . FOGIAM

TRANSFERENDVM . JVSSERAT

ITA . III . ID. NOV. ITERVM . LVCERIAE

COGNITA . VRBIS . PROVINCIAE . FACILE . PRINCIPIS

AD . RES . OMNES . MAXIMA . OPPORTVNITATE

CONSTITVENDVM . SANXERIT

NE . TANTI . BENEFACTI . INTERCIDERET . MEMORIA

ORDO . POPVLVS . QVE . LVCERINVS

NVMINI . MAJESTATI . QVE . EJVS

DICATISSIMVS

AN. POST . CHR. NAT. CIϽIϽCCCVIII

DELECTI . MISSI . QVE . NEAPOLIM

ORATVM . OPTIMVM . PRINCIPEM

CAN. JO. FRANCISCVS . GIORDANO . LANZA

ANTONIVS . SCOPPA . JO. BAPTISTA . GIFONI

FRANCISCVS . PAVLVS . ROMVALDI . FIL. CASSITTO

CXXXVII.

N. N.

REX . VTRIVSQVE . SICILIAE

NATVS . BONO . POPVLORVM . SVORVM

DOCTRINIS . LITTERIS . QVE . AD . PRISTINVM . SPLENDOREM

NOVA . SANCTIONE

REVOCATIS

DIEM . XV . ANTE . KALENDAS . FEBRVARIAS

PROFESSORIBVS . INAVGVRANDIS

PRODIXIT

EJVS . QVE . MVNERIS . PARTES
COMITI . JOSEPHO . ZVRLO . ADMINISTRO
A . REGNI . CVRIS . INTERIORIBVS
DEMANDAVIT

CXXXVIII.

EXCELLENTISSIMO . REVERENDISSIMO . QVE
VIRO
AVGVSTINO . GERVASIO
ARCHIEPISCOPO . CAMPANO
AEDIS . SACRAE . DOMVS . AVGVSTAE
GYMNASII . QVE . NEAPOLITANI
PRAEFECTO
QVEM . FERE . JVVENEM
DIVINARVM . RERVM . SAPIENTIAM
VEL . TRADENTEM
VEL . EDITIS . VOLVMINIBVS . ILLVSTRANTEM
ITALIA . JVXTA . GERMANIA . QVE
SVNT . ADMIRATAE
PORRO . EXIMIAE . VIRTVTES
IN . PATRIAM . REDVCEM . PER . VARIOS . HONORVM
RECTE . ET . ORDINE . GESTORVM . GRADVS
AD . TANTAM . DIGNITATIS . AMPLITVDINEM
PERDVXERVNT
NICOLAVS . CIAMPITTI
HANC . QVALEMCVMQVE . ORATIONEM
SVAE . IN . IPSVM . OBSERVANTIAE
TESTIMONIVM
DICAT . CONSECRAT . QVE

CXXXIX.

HONORI . ET . MEMORIAE
MICHAELIS . ARDITI . VIRI . CLARISSIMI
EX . ANTIQVIS . VALENTINI . BARONIBVS
MARCHIONIS . CASTRI . VETERIS

REG. ORD. FRANCISCI . I . COMMENDATORIS
ALIIS . QVE . HONORIS . INSIGNIBVS
CVM . A . NOSTRIS
TVM . A . MAGNIS . EVROPAE . PRINCIPIBVS . ORNATI
QVI . AD . EFFERENDOS . PIO . FVNERE . PAVPERES
JAMDIV . OB . TEMPORIS . DIFFICVLTATEM
REDITVS . QVE . INOPIAM . INTERMISSO
ET . AD . DOTIVM . PVELLIS
QVARVM . ARCTA . DOMI . RES
HONESTAS . NVPTIAS . INITVRIS . NVMERVM . AVGENDVM
DEMVM . AD . SPLENDIDISSIMAE . HVJVS . SODALITATIS
PLERAQVE . VEL . ORNANDA . LOCA . VEL . INSTAVRANDA
NON . PAVCAS . NEC . LEVES . PECVNIARVM . SVMMAS . SVPPEDITAVERIT
PRAEFECTI . DE . COMMVNI . OMNIVM . SENTENTIA
LAPIDEM . HVNC
GRATI . IN . SODALEM . BENEMERENTISSIMVM . ANIMI . TESTEM
SERIS . ETIAM . POSTERIS . TOT . BENEFACTA . PRAEDICATVRVM
POSVERVNT
ANN. REP. SAL. CIƆIƆCCCXXXII

CXL.

IN INCVRABILIVM NOSOCOMIO

FERDINANDI . I
P. F. A.
QVI . EROA . PAVPERES
MORBIS . QVE . CVRATV . DIFFICILLIMIS . LABORANTES
QVOTIDIE . SE . VERE . PATREM . OSTENDIT
GVBERNATORES . LOCI . HVJVS
VTI . REGIAE . SOLLICITVDINIS . ET . PIETATIS . EXSTARET . MEMORIA
PROTOMEN . E . GRAECO . MARMORE . FACIVNDAM . COERARVNT
EIDEM . QVE . DEDICARVNT . ANN. CIƆIƆCCCXXIV

CXLI.

MARIA . LONGO
VT . MORTALES . OPES . SIBI . IN . CAELO

IMMORTALEM . PARERENT . BEATITATEM
PRIMA . NOSOCOMII . HVJVS . JECIT . FVNDAMENTA
NE . VERO . VIRTVS . EJVS . GRATO . CARERET . OFFICIO
NEQVE . POSTERITAS . TAM . PRAECLARO . AD . VIRTVTEM . INCITAMENTO
GVBERNATORES . EJVSDEM . NOSOCOMII
PROTOMEN . EJVS . E . MARMORE . FIERI . JVSSERVNT
ATQVE . HEIC . LOCI
VBI . SVAE . PIETATIS . ET . BENEFICENTIAE
INSIGNIA . EXSTANT . MONVMENTA
POSVERVNT . ANN. CIↃIↃCCCXXIV

CXLII.

ANTONINVS . MARCHETTI
GASPARIS . ET . AGNETIS . VAINAE . FILIVS
DOMO . MESSANA
NE . SVA . ERGA . PAVPERES
INSANABILI . PRAESERTIM . VALETVDINE . AFFECTOS
PROLIXA . DVM . VIXIT . LIBERALITAS
MORTE . OBITA . CLAVDERETVR
HOC . VALETVDINARIVM
PATRIMONII . LAVTISSIMI . EX . ASSE . HEREDEM . SCRIPSIT
VT . VERO . TANTAE . BENIGNITATIS . MONVMENTVM
AD . SERAM . POSTERITATEM . PERENNARET
CVRATORES . EJVSDEM . VALETVDINARII
EFFIGIEM . VIRI . PIENTISSIMI . EX . MARMORE
AD . VIVVM . EXPRESSAM . POSVERE
ANN . SAL. CIↃIↃCCCXXVI

CXLIII.

PRAE FORIBVS REGII GYMNASII

N. N.
NEAPOLIS . ET . SICILIAE . REX
QVO . OPTIMA . DISCIPLINARVM . RATIO
NON . VRBEM . MODO . REGNI . PRINCIPEM

SED . REGNVM . IPSVM . VNIVERSVM . PERVAGARETVR
HOC . SAPIENTIAE . DOMICILIVM
INSTITVTIS . PRVDENTISSIMIS . FIRMISSIMIS
CONSTABILITVM
NOVA . PROFESSORVM . ACCESSIONE
OMNIGENO . QVE . INSTRVMENTO
AD . STVDIA . NATVRAE . COLENDA . EXPERIENDA
MVNIFICENTIA . VERE . REGIA . LOCVPLETAVIT
ANNO . REGNI . EJVS . IV

CXLIV.

IN ATRIO GYMNASII

N. N.
VTRIVSQVE . SICILIAE . REGI
DOCTRINARVM . ARTIVM . QVE . OPTIMARVM
STATORI . ET . AMPLIFICATORI
QVOD . REGIVM . GYMNASIVM
RESTITVTA . DEFERENDI
GRADVS . ACADEMICOS . POTESTATE
AD . CVLMEN . AMPLITVDINIS . EXTVLERIT
PROFESSORES
EO . HONORE . EA . QVE . DIGNITATE . ET . PRAESTANTIA
AVCTI
GRATI . ANIMI . MONVMENTVM . P. P.
N. M. QVE . EJVS . DICATISSIMI

CXLV.

ORDO . DECVRIONVM
ET . COLLEGIVM . CANONICORVM
QVOD . OPERA . IN . PRIMIS . ET . STVDIO
FRANCISCI . XAV. PEPE . JVDIC. PROVOCATIONVM
ET . ALOYSII . FRATRIS . CAVSS. PATRONI
CIVIVM . DE . PATRIA . OPTIME . MERITORVM
CVRATVM . EST . NE . PACTIS . CONVENTIS

AD . REGVNDOS . FINES . DIOECESIVM . INITIS
INTER . PIVM . VII . P. M. ET . FERDINANDVM . P. F. A.
ECCLESIAE . NVSCANAE . DIGNITAS
IMMINVERETVR . CATHEDRA . ALIO . TRANSLATA
SED . SARTA . TECTA . POSTERIS . PRODERETVR
LAPIDEM . MEMORIAE . TESTEM . POSVIT
ANNO . CIϽIϽCCCXVIII

CXLVI.

IN PVELLARVM CONCEPTIONIS COLLEGIO

PONE AEDEM DIVI RAPHAELIS ARCHANGELI

HOROLOGIVM
CVJVS . ADMONITV . MVNIA
ALIA . ALIIS . HORIS . SIBI . DESCRIPTA
A . PVELLIS . HVC . COLLECTIS
AD . AMVSSIM . OBIRENTVR
DOMINICVS . M. VENTAPANE . EPISC. THIEN.
DE . SVA . PECVNIA . PONENDVM
CVRAVIT
AN. D. CIϽIϽCCCXX

CXLVII.

AEDES
ORATORIBVS . REIPVBLICAE . PRIMVM . VENETAE
DEINDE . ITALICI . REGNI
ADTRIBVTAS
POSTREMO . AD . FRANCISCVM . II . IMPERATOREM
QVVM . DITIO . ITALICA
JVRE . BELLI . DECRETO . QVE . CONCILII . VINDOBONENSIS
EJVS . IMPERIO . RESTITVTA . ESSET
DELATAS
GASPAR . CAPONIVS . JCTVS . NEAPOLITANVS
SIBI . SVIS . QVE . AB . AVGVSTO . COEMIT

LAXATAS . QVE . ELEGANTIVS . ORNANDAS
CVRAVIT



GESTA . RES . EST . NEAPOLI
AB . ALOYSIO . JABLONOWSKIO . S. R. I. PRINCIPE
AVGVSTI . LEGATO
ET . CAROLO . MENTIO . LEGATIONIS . CONSILIARIO
SYNGRAPHAE . QVE . CONFECTAE
AB . JOSEPHO . ANTONIO . SPASIANO . TABELLIONE
III . ID. JVLIAS . AN. CIϽIϽCCCXVI

CXLVIII.

VILLA : SVBVRBANA
QVAE . COLLIS . AMOENISSIMI . DORSO
LENITER . DECLIVI . ET . AD . CRATEREM . OBVERSO
IMPOSITA
PROSPECTV . CVLTV . ORNATV . QVE
VNA . ANTE . ALIAS . NOBILISSIMA
A . FERDINANDO . I . VTRIVSQVE . SICILIAE . REGE
PARENTI . SVAE . DONO . DATA . FVIT
QVVM . IN . ERCISCVNDA . FAMILIA
SIBI . SORTITO . OBVENISSET
ALOYSIVS . CRIPHEVS
NE . MVNIFICENTIA . TANTI . REGIS
MATRIS . QVE . AMANTISSIMAE . MEMORIA
DIVTVRNO . TEMPORIS . LAPSV . OBSOLESCERET
HVNC . LAPIDEM . P. CVRAVIT
ANNO . CIϽIϽCCCXXIX

CXLIX.

DOMINICVS . MARIA
BARONIS . CARMINI . F. VENTAPANE
PATRICIVS . MEDIOLANENSIS
COMES . FAMILIAE . MARCHIONVM . SPANI
ET . BARONVM . SANCTI . PETRI

METROP. ECCLESIAE . NEAPOL. CANONICVS
EPISCOPVS . THEANEVS . ET . INTER . PRAELATOS . DOMESTICOS
SOLIO . QVE . PONTIFICIO . ADSISTENTES . LITTERIS . APOSTOLICIS
A . PIO . VII . PONTIFICE . MAXIMO . ADLECTVS
CVRATOR . HVJVS . SACRI . PVELLARVM . ASCETERII
QVOD . CVM . GRAVI . PRESSVM . INOPIA . ACCEPISSET . NIHIL . CVRAE
INDVSTRIAE . QVE . SVAE . RELIQVVM . FECIT . QVOMINVS . IN . LAETIOREM
STATVM . ADDVCERETVR . OPERAM . QVE . DEDIT . VT . PIORVM . HOMINVM
SODALITIVM . INSTITVERET . QVI . PER . VRBIS . COMPITA . STATIS . DIEBVS
STIPEM . CORROGARENT . EO . QVE . SVBSIDIO . DOMVM . QVAM . INCOLERENT
COEMIT . ET . PLVRIBVS . AEDIBVS . ADJECTIS . REDDIDIT . LAXIOREM . TEMPLVM .
QVE . AB . SOLO . EXSTRVXIT . ORNATVM . QVE . SVPELLECTILE . PRETIOSA
DEDICAVIT . INIBI . QVE . MORTALITATIS . MEMOR . ANTE . ARAM . MAJOREM
SEPVLTVRAE . LOCO . SIBI . FAMILIAE . QVE . SVAE . COMPARATO . CERTAM
PECVNIAE . SVMMAM . LEGAVIT . E . CVJVS . REDITV . CVM . SINGVLIS
MENSIBVS . TVM . ANNO . VERTENTE . POSTRIDIE . OMNIVM . DEFVNCTORVM
COMMEMORATIONEM . SOLEMNE . SACRIFICIVM . PRO . SE . SVIS . QVE
OFFERRETVR
QVARVM . RERVM . MEMORIAM
NE . TEMPORVM . DIVTVRNA . SERIES . OBLITERARET
HOC . MONVMENTVM . PONENDVM
CVRAVIT
ANNO . SALVTIS . CIↃIↃCCCXXVIII

CL.

VT . PROXIMI . NEMORIS . RADICES
NIMIA . LICENTIA . ERRANTES
COHIBERET
ATQVE . CITREIS . PLANTIS
OPPORTVNVM . AB . HIBERNO . FRIGORE . TEGVMENTVM
PRAEBERET
LOCVM . HVNC . OPERE . CONCAMERATO
ALOYSIVS . RVFFO . CARDINALIS
NEAPOLITANAE . ECCLESIAE . ANTISTES
FACIENDVM . CVRAVIT
A. D. CIↃIↃCCCXXVIII

CLI. *

AD AEDICVLAM

JO. BAPT. ROGERII

METROP. ECCL. NEAP. CANONICI

TIBI
FAVSTE . JANVARI
DIVORVM . INDIGETVM . PRAESENTISSIME
VT . VILLAM . AGRVM . QVE . CIRCVMPOSITVM
A . MONTIS . IGNIVOMI . FVRORE
VOLENS . PROPITIVS . TVEARIS
JOANNES . BAPTISTA . ROGERIVS
ECCLESIAE . NEAP. CANONICVS
ET . FRANCISCVS . ANTONIVS . FR. FILIVS
AEDEM
DE . SVO . EXSTRVENDAM
CVRAVERE
A. R. S. CIƆIƆCCCXIX

CLII.

JOACHIMO . LAVITRANO
CANONICO . THEOLOGO
VIRTVTIS . ET . DOCTRINAE . LAVDE . CLARISSIMO
DE . QVE . HOC . SODALITIO . OPTIME . MERITO
SODALES . CVM . LACRYMIS
FVNERIS . JVSTA . PERSOLVVNT

CLIII.

VIR . INCOMPARABILIS
A . PVERVLO . PIETATEM . INNOCENTIAM

* Quae heic habentur inscriptiones alio referendae, non antea typis consignatae, quippe quae postea innotueriat.

MODESTIAM . SIMPLICITATEM
QVASI . E . MATRIS . VBERIBVS . SVXISSET
PRAE . SE . AD . SENIVM . VSQVE
TVLIT . PROPE . SINGVLAREM
QVI . QVE . IN . IPSO . OCVLOS . PAVLLISPER . DEFIGERET
EXPRESSAM . EARVMDEM . VIRTVTVM . EFFIGIEM
SIBI . VIDEBATVR . INTVERI

CLIV.

HVMANISSIMI . HOMINIS . ANIMVS
MISERICORDIA . MOVEBATVR . MIRIFICVM . IN . MODVM
EA . QVE . DE . RE . SIBI . QVIDEM . PERPARCVS
ET . VESTITVS . CETERI . QVE . CVLTVS . CORPORIS . INCVRIOSVS
IN . PAVPERCVLOS . VERO . PROLIXVS
ET . PRAE . COPIOLARVM . SVARVM . MODVLO
FVIT . EFFVSVS

CLV.

FRANCISCVS . VALLE . NEAP. ECCLESIAE . CANONICVS
SVMMA . RELIGIONE . SIBI . PARCVS . PROLIXVS . IN . PAVPERES . PROPOSITI . TENAX . LABORIS . PATIENTISSIMVS . ADHAEC . MVLTIPLICI DOCTRINA . PRISCA . QVE . MORVM . INNOCENTIA . ET . SEVERITATE CVM . ADMIRABILEM . IN . EXCOLENDIS . SEMINARII . ALVMNIS . VIGILANTIAM . PER . ANNOS . XII . ADHIBVISSET . ET . MORBIS . IDENTIDEM INTERPELLATVS . ANNO . CIƆIƆCCXCII . SVO . SE . MVNERE . ABDICASSET ANNO . TANDEM . CIƆIƆCCXCV . XV . KAL. APRIL. IN . PACE . DECESSIT
AETATIS . SVAE . ANNO . LXXVI



PROSE ITALIANE

PANEGIRICA ORAZIONE

IN LODE

DI S. GENNARO

RECITATA

Nel Duomo di Napoli nell'anno 1814.

Da autorevole comandamento di personaggio, il quale presso di me, com'e' dee, vale assaissimo, sono stato sospinto a salir su questo pergamo, ed a ragionare al vostro onorevolissimo cospetto delle lodi dell'ottimo vescovo, dell'inclito martire, del glorioso cittadino e protettor nostro Gennaro. Non veggo però qual si potrà da me tesser laudazione, la quale regga al paragon di quelle, che a questi dì sono state da questo medesimo luogo pronunziate. Uomini per alto ingegno, per iscelta dottrina, per lunga esercitazione sopra la schiera de' volgari dicitori elevati, hanno ben potuto alla espettazion vostra rispondere: io, in cui siffatti pregi o non furon mai, o se alcuno pur fuvvi per avventura, è già infievolito e quasi spento, come potrò correre il pericoloso aringo, e non incespicare e venir meno? Vie maggiormente che tra le molte occupazioni, dalle quali son circondato, a fornire un'impresa a me non lieve, emmisi troppo corto spazio conceduto. Ad ogni modo deesi ubbidire: e ben farollo io volentieri, se voi AA. gentili e cortesi, mi porgerete nel malagevol cammino la mano, e col favor vostro la mia orazione ajuterete. Nulla di manco però, conciosiachè la

messe delle lodi del nostro Santo è ricca assai ed ubertosa, e già sia stata da abilissime mani ornata l'onorata fronte di lui di que' serti, i quali a vescovo SS. e martire fortissimo ne' più burrascosi tempi della chiesa vissuto richiedevansi; non mi fia, vostra mercè, disdetto di scegliere a soggetto del mio brieve e disadorno ragionamento il sangue di Gennaro, onde la nazion napolitana infra tutte le straniere genti va superba e lieta meritamente. Ed in questa per quanto siami argomentato secondar la divozion vostra, non mi è venuto fatto di rinvenire idea più conveniente all'intento mio, che andarvi dimostrando questo sangue esser primamente testimone dell'amor singolare di Dio verso Gennaro, ed appresso questo sangue esser testimone dell'amor costante di Gennaro verso i Napolitani. Argomento caro a' ben formati animi vostri: e sicura speranza ho, che se di brieve attenzione mi onorerete, dal mio ragionare non sarà l'estimazion vostra discorde.

I. È una verità ben riconosciuta, che la giustizia divina su nel Cielo coronando negli eletti i doni medesimi e le misericordie sue, con giusta lance parte e dispensa secondo il merito i premj a ciascun destinati. Quindi pria che glorioso al Cielo ascendesse G. C. agli Apostoli diceva: *nella magion di mio Padre molte sono le abitazioni, e diverse: uopo è che al Padre io salga, perchè apparecchiate quelle a voi sieno, secondo che la laboriosa carriera da voi fornita esigerà.* Lascio stare, come a voi note, le parabole de' cinque talenti, delle dieci mine, le quali il padrone a lungo viaggio per lontano paese accingendosi affidò a' suoi servi, e ritornando le ricompense offrì a tutti secondo che però ciascuno buon mercato fatto aveane e traffico vantaggioso. Ma egli è pur vero altresì che la divina sapienza ne' consigli della sua provvidenza al losco

occhio mortale impenetrabili ha voluto soventi volte alcuni fra suoi servidori sulla terra ancora con alcun segno straniero dell'amor suo distinguere e onorare. Se la storia della Chiesa svolgere ne piacerà, senza dubbio troverete altri la lingua, altri le guance vivaci e rubiconde dopo tratto lunghissimo conservare : altri dalle membra intere spirare un odor suavissimo, altri stillare un liquore a varie maniere di morbi salutare: ed altri infine in altre guise maravigliose una particolar cura, che di lor prende Iddio, manifestar chiaramente. Or io non dubito di annoverar tra le più belle ed illustri marche della benevolenza divina il sangue di Gennaro ; nè però dubito di affermare, AA., aver noi in quello un testimone dell'amor singolare di Dio verso di lui. La qual cosa volendo io, come in primo luogo proposto mi sono, dichiarire, non credo abbisognare di lunga e sottile argomentazione. Imperocchè se vuolsi senza tema di errore misurar la forza dell'amore, che uomo ha per altrui, egli è mestieri por mente e considerare attentamente quali e quanti sieno gli effetti che ne son partoriti: poichè dalla maniera di questi iscorger si può quale e quanta sia di quello la grandezza e la prestanza. E veramente quanta non crederemo essere stata la dilezion di Mosè per gli Ebrei, allorchè veggiamo quel magnanimo duce e legislatore atterrarsi dinanzi a Dio, e levando le mani al Cielo pregar molle di lagrime, e ripregare con voce da singhiozzi interrotta il Signore, che lui cancelli anzi dal libro de'viventi, che fulminare e sterminar quel popolo disleale e ribelle, ma pur popolo di Dio. Nè minore istimeremo essere stata l'affezion di Paolo quando udiamo questo grande Apostolo alto esclamare, e bramare ardentemente anatema divenire pe' fratelli suoi. Se egli è così, facciamci un poco ad osservare che fa Iddio per

Gennaro, onde affermar per noi si possa esser l'amor suo per lui veracemente singolare. E ben, volgete, AA., volgete lo sguardo a quelle ampolle, le quali ora sono alla vostra divozione esposte sull'altare. Cosa mai egli è quella piccola massa dura, nerognola, che si serba in quelle, e custodisce tanto gelosamente? Oh! egli è il Sangue di Gennaro. Il Sangue di Gennaro? Come! una sostanza fluida tendente di per sè stessa, e disposta al corrompimento, mal custodita lunga pezza e guardata negligentemente, mantiensi per lo spazio di oltre a millequattrocento anni intiera nell'esser suo! E que'globetti minutissimi, onde formasi il sangue, acconci per la lor figura a distaccarsi, anzi che a riunirsi; e quelle particelle sottilissime sì preste di lor natura a disciogliersi in aure leggiere e dissiparsi, si son raccolte insieme, si son ristrette, ed hannoci serbato per la distesa di tanti secoli l'oggetto della nostra venerazione! E chi ha vinta la natura? Chi l'ha obbligata a disimparar le leggi sue? Chi l'ha forzata ad ubbidire ad un novello ordine di cose? E 'l tempo, sì il tempo, quel sovrano disfacitor delle cose umane non ha provata l'invincibil possa contro a una materia sì frale?

Percorrete col rapido pensiere, AA., le spaziose regioni dell'Egitto, percorrete le belle e fiorenti contrade della Grecia e dell'Asia, percorrete le ampie provincie dell'Impero Romano: quante moli insane, l'ingegno de'più famosi artefici adoperando e le mani d'innumerevoli operai, spendendo tesori incredibili, non sono state innalzate da quelle Repubbliche, e da que' Principi, nei quali non saprei dire se maggior fosse stata la potenza, o l'ambizione? Costoro nel delirio della lor superbia, conciossiachè non potessero da fieri artigli campar della morte, la quale tutto ghermisce e divora, s'avvisarono poterla pur superare e schernirla, se giacendo essi ombra

tacita e polvere oscura ne' sepolcri, fossero alla memoria della tarda posterità sopravvissuti nelle opere loro immortali. Miserabil follia degli uomini dalla prosperevol fortuna inebbriati!

Quante di coteste costruzioni e moli grandiose, le quali pareva che minacciassero al Cielo, e contender volessero colla eternità, sono già state dal tempo devastatore dome, infrante e nel cupo seno ingojate a segno, che il viaggiator curioso, siccome il sagace bracco va per le selve rintracciando le orme della preda dianzi involata al suo sguardo, così quegli porta gli occhi intenti pe' campi diserti, se gli venga fatto di scoprire i vestigj sparsi, ed intendere almeno ove furono eretti que' monumenti dell'alterezza umana.

E questo sangue per sì lunga stagione non ha temuto un nemico sì possente? non ha temuto gli asprissimi continui attacchi suoi? No, non l'ha temuto: anzi in sua ragion franco e sicuro lo ha sfidato, l'ha combattuto, ne ha trionfato. E chi è stato lo schermo e scudo suo? Chi la vittoria? L'onnipotenza medesima, che dal nulla trasse tante e tante varie e vaghe forme: quella sapienza medesima, che in sì bell'ordine le distinse, e ne prescrisse le leggi invariabili: quella onnipotenza e sapienza impose alla natura, che quando che fosse, per modo agli ingegni umani forse ancora mal noto, dal suo corso si dipartisse, e rispettasse gli alti voleri suoi: ed al tempo, che, ritenuto lo sforzo suo, piegasse la fronte agli ordinamenti divini. Ed e' pare a me che siccome al mare, stabilite d'intorno intorno le sponde quasi argini e ritegni, disse Iddio un dì: tu fin qui giungerai tu, nè ardirai oltrepassar le mete da me segnate, ed incontro al lido frangerai gl'intumiditi flutti tuoi; così al tempo ordinasse parimente: tu abbatti e distruggi pur a tuo grado le opere ma-

ravigliose degli uomini: questo sangue però a me caro e diletto riverirai, ed incontro a quelle ampolle spezzerai il furor tuo, onde fia quello testimone dell'amor mio singolare verso Gennaro.

Non sono però questi soli i segni dell'amorevolezza di Dio verso il santo cittadin nostro: e più grandi per avventura e maravigliosi ne scorgerete. Volgete di nuovo, volgete di grazia, lo sguardo a quelle medesime ampolle: eccole avvicinare alla testa veneranda: eccole dirimpetto a lei collocate. Qual prodigio; quale portento, qual miracolo alla vista mia si presenta! Quella massa in quelle rinchiusa di dura, fredda, immobile che ella era, ora all'istante, ora dopo un minore, o maggiore intervallo diviene piena di vita e di forza: veggola già riscaldarsi, muovere, agitarsi. Ora rigonfiasi, e spumeggiando s'innalza, e riempie l'intero volume delle ampolle: ora abbassa, e per le pareti di quelle va discorrendo vivo vivo. Ora dell'amabil pallore tignesi della viola: ora della splendida porpora colorasi della rosa. Vario, ma sempre mai uniforme nelle sue maraviglie; vario, ma sempre costante ne' suoi prodigi ne appare all'occhio attonito dei riguardanti.

Esultava di gioja il Grisostomo al riandare col divoto pensiero quel momento, in cui dalle sacre vene de' martiri il sangue spandevasi ed a guisa di lucidi rivoletti scorrea sul terreno. E per istillare la stessa gioja ne' cuori degli uditori, che pendevano intenti dall'aurea bocca, onde uscivan fiumi larghissimi di sagra eloquenza: vi venne, cari fratelli, lor diceva, vi venne mai veduta in sul mattino spuntar la messaggiera del sole sull'orizzonte? Vi si offerse dunque alla vista lo spettacolo gentile, come i tremoli raggi della novella luce tra candidi e vermigli per l'azzurro aer sereno scherzano serpeggiando intorno alla

rugiadosa veste dell'aurora: non altrimenti, anzi in una foggia assai più cara e leggiadra dalle membra gloriose de' confessori di G. C. zampillavano e serpeggiavano vaghi e rubicondi sul terreno i rivoli di sangue, sangue apportatore di gradimento a Dio, di letizia agli angeli, di conforto a' cristiani, di terrore a' demoni. Or quanto non sarebbe stata maggiore l'esultazion del preclarissimo dottor della Chiesa, se veduto avesse il sangue di Gennaro non solo quando fu sparso dalle sante vene, ma anche al presente dopo un tratto così diuturno tornare a novella vita, spumeggiare, discorrere, porporeggiare, scintillare ancora, ed emulo farsi de' puri rosei raggi della luce mattutina? Ed in tanta varietà e costanza di prodigi tante fiate ripetuti nella luce ed al cospetto di ogni maniera di persone, tu pur ardirai, critica smodata, nella sottigliezza de' tuoi paralogismi sparger dubitazioni su cose, che veggiam cogli occhi, e tocchiam con mani? E tu sapienza del secolo, nella vanità della tua scienza pur ardirai vantarti potere con non so quali ingegni formare una non so che massa imitatrice di tanti e sì varii portenti? Va, ritenta tutti gli argomenti e tutti gl'ingegni, che l'arte e destrità tua può in tali servigi fornirti, che io son sicuro che quello stesso scorno, che ricoprì uno de'tuoi ardimentosi colleghi, sopra di te a molti doppii ricaderà novellamente. Ma noi, AA., leviam la voce, e siccome gli Ebrei vedendo al percuoter d'una verga scaturir d'una rupe acque dolcissime e copiose a dissetarli: al percuoter d'una verga l'onde dell'Eritreo dividersi ad aprir loro, quasi due pendule muraglie, il varco, e riunite di repente cadere sulle schiere nemiche, e fanti sommergere e cavalieri, confessavano grandissimo esser l'amore di Dio pel loro gran condottiero; così ancor noi al veder tanti portenti, se non egualmente romorosi, egualmente al certo stupendi, le-

viamo alto la voce, e confessiamo essere l'amor di Dio per Gennaro inusitato e singolare, e questo sangue esserne sicuro e veracissimo testimone.

II. Siegue ora, che io a compiere il divisato elogio, mi faccia a dimostrarvi, AA., esser questo sangue parimenti testimone dell'amor costante di Gennaro verso i Napolitani. E per eseguirlo il più acconciamente, che io sapessi, destommisi il pensiero di ricercar nelle sante scritture una qualche immagine, sulla quale potessi a vivi colori andarvi ritraendo il mio disegno. Imperocchè chi non sa che in quel tesoro della sapienza divina ombreggiati sono e figurati gli avvenimenti, i quali alla Chiesa di G. C. incontrar doveano nella serie de' secoli avvenire? E chi ignora la misteriosa fecondità della Scrittura, la quale in un senso molti ne rinchiude, sicchè l'anima fedele ed umile può molti belli documenti trarne opportunissimi alla edificazion sua, e altrui?

Attendete adunque per poco AA. L'empio Caino, perchè le offerte di Abele eran visibilmente da Dio gradite, rifiutate le sue, punto da malnata invidia, intrise le mani scellerate nell'innocente sangue del proprio fratello. Iddio rimproverandogli l'orrendo misfatto, che pur l'infelice credeva a tutti celato, alle vane sue escusazioni: la voce, gli disse, del sangue di tuo fratello Abele a me grida dalla terra. Non vorrei, AA., che a creder vi deste gridar quel sangue vendetta e gastigazione, se pur vi piacerà seguire il fondato avviso di un gravissimo e pio teologo, e profondo e dottissimo interpetre della Scrittura. E primieramente Abele infra altre moltissime figura egli fu di G. C. Certamente molto la figura difforme sarebbe del figurato se il grido di lui fosse di sdegno eccitator e di punizione. E poi Abele per la bocca medesima di Dio è stato giusto appellato, giusto cioè di quella

giustizia, che la fonte è di ogni santità, e radice feconda di tutte le virtù senza eccettuarne neppure una sola. Or mal si consente a tale santità dimandar quella vendetta, la quale Iddio divieta, ed a sè riserba solamente. Ed in fine la voce del primo martire del Salvatore desiderato dalle nazioni, non doveva esser diversa dalla voce del primo martire del Salvatore disceso su la terra. Oltracciò l'Apostolo nella pistola agli Ebrei rivelatrice di altri misteri fa ben due volte ne' capi 11 e 12 menzione di Abele. E nel primo ne ammaestra che Abele per la fede a Dio sacrifizj offrì più copiosi, e per la fede messo a morte sparse il sangue, che grida ancora: ***Et per eam mortuus adhuc loquitur***. Or se gridava, e grida ancora il sangue di Abele, quale dovea essere il grido suo? Gridava a quella foggia, che dopo lui gridarono i Patriarchi, ed i Profeti: deh Cieli, fate discender la rugiada dall'alte sfere, e le nubi piovano il giusto: deh aprasi la terra, e germogli il Salvatore. Ma grida ancora: ***adhuc loquitur***. E qual è ora il grido suo? È quello che formano nel cielo, e su la terra i santi e gli eletti, grido di grazia, di luce, di costanza per gli uomini, che errano qui fra gli amori, errori e terrori del secolo: la qual cosa scorgerete nel capo seguente, se mal non m'appongo, più chiaramente.

Voi, dice l'Apostolo agli Ebrei rivolto, vi siete avvicinati alla celeste Gerusalemme .... ed a G. C. mediator della nuova alleanza, ed all'aspersion del sangue, che grida meglio, che non fa quello di Abele: ***Et sanguinis adspersionem melius clamantem, quam Abel.*** Osservate di grazia l'espressione del grande Apostolo. Grida il sangue di G. C. e 'l suo grido è più prestante, più eccellente, ma non opposto al grido di Abele. Grida adunque il sangue di G. C. salvezza e vita per gli egri e miseri mortali: il suo grido è efficacissimo, ed è per la

dignità divina, ed infinita estimazion sua dal Padre esaudito infallibilmente. Grida il sangue di Abele, ed allorchè esaudito è, lo è senza dubbio pel valore e pregio, che dal sangue tragge ed attigne di G. C.

Non v'incresca dunque, AA., che assomigli al sangue di Abele il primo di tutt'i martiri il sangue di Gennaro, chiaro e glorioso fra tutti i martiri, il quale dalla terra grida a Dio a pro de' Napolitani.

Ed in tutti que' prodigi da questo sangue al cospetto del capo venerando sì frequentemente operati, a me è paruto sempre veder tante lingue eloquentissime, a me è paruto sempre udir tante voci robustissime, le quali, le immense regioni dell'aere varcando, al trono di Dio pervengono, ed a noi impetrano benefizi continui e singolari, onde questo bel reame è incessantemente da Dio ricolmato.

E d'onde credete mai avvenire, AA., che in questa sì popolosa Città regni l'ordine, nelle Provincie accrescasi l'industria, nelle campagne si succeda la fertilità, ne' porti fiorisca il commercio, in ogni luogo finalmente, ed in ogni parte veggansi espressi i segnali della bontade e clemenza di Dio? I gridi, i gridi del sangue di Gennaro son quelli, che le divine benedizioni fanno sopra di noi riboccar copiosamente. Quanti però son tra noi, i quali questa serie immensa di benefizj da Dio riconoscono pel grido salutare di Gennaro meritati? E quanti sono, che riconoscenti e grati in rendimento di grazie offrano a lui i divoti affetti loro? Eh! cotesto torrente di perpetue beneficenze ne ha colla piena sua inebriati gli animi, e col fragore assordati gli orecchi a segno che più non l'ascoltiamo nè 'l curiamo gran fatto. Da una cotal non curanza vergognosa, da un cotal obblio ingrato, io penso, AA., che sulla Città e sul regno siano di tempo in tempo piom-

bati i temuti effetti della vendetta e collera di Dio. Ma le calamità e le sventure forse meglio che non fa la felicità dimostrano la costanza dell'amorevolezza del nostro cittadino verso di noi.

Per lo che riandate, AA., i fasti della nostra nazione; quindi apprenderete quanto sia stato pronto a gridar quel sangue, ed efficace quel grido ad impetrar di presente lo scampo di quelle burrasche, che su la nostra testa eran già vicine a scaricare il lor furore, l'ultimo disertamento a' cittadini minacciando. Sì veramente fuvvi tempo, che da straniere parti movendo poderosa oste nemica avea di fanti e cavalli le campagne inondate, e baldanzosa volava a stringer di assedio la Città nostra. Sì, dal Cielo diceva Iddio, le vostre mani tinte di sangue annoderò fra le catene, e le teste orgogliose reciderò per mezzo delle spade nemiche: troppo colla vostra superbia adizzato avete lo sdegno mio. Intimiditi allora i cittadini a Gennaro corrono, pietà nell'estremo ripentaglio implorando ed aita. Il sangue di Gennaro grida, e'l grido si leva in sino al Cielo. Non più, dice Iddio, non più: ecco la voce del sangue del fratel vostro Gennaro a me grida dalla terra. Ripongo nel fodero la mia spada: in vergognosa fuga volgo i nemici, e la Città torno in pace e in libertà. Quante volte, conciossiachè il Cielo divenuto di bronzo avesse a' semi affidati alla terra negato gli usati alimenti, ovvero in continue e dirotte piogge disciolto le biade ancor tenere corrotte avesse sullo stelo appassito; quante volte, dico, l'orrido mostro della fame consigliera imperiosa de' misfatti ha queste contrade assalito. Sì, diceva dal Cielo Iddio, vo' colla fame prendere aspra vendetta delle laute imbandigioni, delle crapule vostre, Napolitani. Voi discacciaste senza sentimento di pietà la vedova desolata ed i famelici orfanelli. Ora i figliuolini vi diman-

deran pane, e voi non sapeudo come porger loro aita, dolenti vedrete i cari pegni venir manco, ed esalar l'anima a' vostri piedi. Smorti in viso traggono a Gennaro i cittadini, chiedendo con debile e fioca voce mercede. Grida il sangue di Gennaro, e'l grido giunge in sino al Cielo. Non più, dice Iddio, non più: ecco la voce del sangue del fratel vostro Gennaro a me grida dalla terra. Calmasi l'ira mia: inaspettati convogli approdano al lido, ed empiono di viveri il porto, e l'abbondanza ripone tra voi il suo soggiorno. Fuvvi tempo, che per occulte cause malefiche infetto l'aer limpidissimo che respiriamo, da una luttuosa pestilenza furono infestate le nostre spiagge. Sì, diceva Iddio dal Cielo; il lezzo de' torti vostri e disordinati appetiti, Napolitani, è giunto in sino a me: colla pestilenza punir saprò le vostre impudicizie e laidezze. Sopra a' figli cadranno estinti i genitori, sopra i mariti le mogli, e le abitazioni e le strade seminate vedrete di insepolti cadaveri puzzolenti. Fra la morte sospesi e la vita i cittadini, giacchè altro non possono, gl'interrotti sospiri ed i gemiti a Gennaro inviano. Grida il sangue di Gennaro, e'l grido arriva al Cielo. Non più, dice Iddio, non più: ecco la voce del sangue del fratel vostro Gennaro a me grida dalla terra: disarmata è la mia collera: dalle gelate spiagge del settentrione chiamo un vento sgombrator di ogni gravezza, e l'aer vostro a rider tornerà e brillarvi d'intorno. Quante volte il Vesuvio dovizia insieme e terrore delle circostanti popolazioni con orrendo fragore smisurati sassi infocati lanciando tra sì folto nembo di cenere, che oscurati del sole i raggi una tenebrosa notte un denso velo distese sull'orizzonte, ha vomitate spaventose lave di fuoco, e con tremende scosse ha minacciato a' villaggi ed alla Città l'ultima ruina. Sì, diceva dal Cielo Iddio: è giunto il dì dello sdegno mio,

Napolitani: troppo son moltiplicate le nequitose e felle operazioni vostre: hanno già i palagi riempiuti, e da quelli sboccano ormai nelle piazze, e sin nelle Chiese. Sotto le ruine de' palagi e delle Chiese vo' seppellirvi, sicchè dirà un giorno il passaggiero, qui fu, qui fu la superba Città. Smarriti a Gennaro volano i cittadini, a tanta sventura implorando sovvenimento. Grida il sangue di Gennaro, e'l suo grido giunge fino al Cielo. Non più, dice Iddio, non più: ecco la voce del sangue del fratel vostro Gennaro a me grida dalla terra. È calmato il furor mio: già la rabbia attuto del monte infuriato, e dirado le tenebre, che l'atmosfera ingombravano: sicuri le sottoposte amene vigne coltiverete, e misti cogli stranieri osservatori della natura su quel monte ammirerete gli effetti della mia possanza. E vi pajon questi, AA., piccoli segni del costante amor di Gennaro verso i suoi cittadini? E in qual cimento, e in qual periglio possiam noi dolerci giustamente esserne il suo soccorso e patrocinio venuto a noi meno? Nè occorre che il confessiam noi: ben lo dimostrano ed appalesano questo tempio augusto, questo obelisco sontuoso da'nostri divoti e riconoscenti maggiori eretti alla memoria del sempre benemerito cittadino, e i dì festivi ordinati a celebrarne gli onori, e i monumenti sparsi nel comun nostro a renderne perpetua la ricordanza.

Ed eccovi, AA., per me dimostrata nel sangue glorioso di Gennaro la doppia testimonianza dell'amor di Dio verso di lui, e dell'amor di lui verso i Napolitani. Quel che rimane, AA., è che per lo innanzi sconoscenti ed ingrati non siamo verso il nostro cittadino e tutelare. Onoriamolo più studiosamente che fatto non abbiamo: più frequenti cultori visitiamo il suo tempio, e consagrati in voto apportiamogli i nostri affetti. Nè solamente una più

tenera divozione alligni ne' nostri petti, ma benanche un vivo ardor si desti d'imitare i belli esempi, ch'egli ne ha lasciati. Si risvegli in noi lo zelo della fede da ogni parte combattuta: si accenda la carità indebolita già tra i fedeli, e tutte le virtù cristiane sian per noi colte ed onorate. Così avverrà che Gennaro stenderà vie maggiormente la possente sua mano sulla nazione e i Sovrani da Dio a reggimento di lei stabiliti: e l'una e gli altri ricolmerà di perpetua felicità. Stenderà la mano su questa patria sua ragguardevolissima, sulle Provincie, sulle campagne, su i lidi, su i mari, sulla flotta, sull'armata, e su tutti gli abitatori della dizion napolitana, e la garentirà da tutte le calamità desolatrici, che le più fiorite contrade dell'Europa infestano già o minacciano fieramente. E poichè sotto il suo patrocinio tenuti ne avrà in questa vita mortale, egli da Dio ne otterrà il guiderdone della eterna felicità nel Cielo. Amen.

ORAZIONE

DETTA

NE' FUNERALI

DELL' EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO CARDINALE

D. GIUSEPPE FIRRAO

Questo funebre apparato, questo solenne lutto, questo temporaneo monumento nel più augusto tempio della città nostra innalzato sono gli ultimi onori, i quali secondo il costume e la usanza de' maggiori un nobilissimo e virtuoso cavaliere (1) rende alla memoria dell'Eminentissimo, e Reverendissimo Giuseppe Firrao della S. R. C. Prete Cardinale Arcivescovo di Petra. Il vincolo del sangue, onde eragli congiunto, l'amorevolezza singolare del defunto verso di sè dimostrata appagar non si potevano delle lagrime sparse per perdita sì grave fra le domestiche pareti: dimandavano una pubblica dimostrazione del suo dolore, e per sè e pe'l Cardinale onorevole. E ben altronde si richiedeva, che la morte di un personaggio per antichità di lignaggio, per isplendide virtù, per illustri cariche oltremodo riguardevole fosse stata con dignitosa pompa onorata. E sarebbe per avventura sconcia cosa stata ad udire, che quegli il quale nella vita aveva

(1) Il Cavaliere D. Marcello Firrao di Cosenza della stessa agnazione dei Signori Firrao di Napoli.

accresciuto ornamento alla patria, lode a cittadini, lustro ai suoi; alla sepoltura fosse stato portato senza verun segno di riconoscenza. E fosse pure a Dio piaciuto, che siccome tanta cura si è posta a sciorre con dignità questi estremi uffici, così altrettanta sen fosse adoperata a scegliere un oratore, il quale con bella eloquenza lumeggiando le geste del Cardinale, avesse adeguata la magnificenza de' funerali! Ma poichè diversamente è addivenuto; io vi priego, Ornatissimi Ascoltatori, che vi degniate sentir da me rammentare le laudevoli azioni dell'Eminentissimo personaggio in istile semplice senza lumi di arte e d'ingegno, ma rivestito solamente della natural luce della verità, che schiva ogni artificio abborrisce, e disdegnosa tutti da sè gli rigetta; e con quella brevità ancora, che per l'angustia del tempo debbo necessariamente seguire.

Gli anni della fruttifera Incarnazione di nostro Signore mille settecento trentasei, il dì ventesimo di luglio Giuseppe nacque di Pietro Firrao Principe di Luzzi di ampie fortune posseditore, e ricco ancora di grandi virtù, e di Livia Grillo de' duchi di Mondragone, dama per chiarezza di sangue e di costumi ornatissima in Fagnano feudo di sua casa. Io non istarò quì a svolgere gli annali della età vetusta per iscoprire la origine di prosapia cotanto illustre, e nascosa in que' tempi, che dalle gelide selvagge contrade del settentrione uno stormo numeroso di Normanni nella Francia discese, da' quali un drappello sen distaccò, e venuto in questa più bella parte d'Italia col valore e col senno molte provincie conquistò, e vi fondò il nostro nobilissimo Reame. Uno di que' prodi capitani nella Calabria piantò il tronco, dal quale surse e fiorì la chiarissima gente sua. Nè prenderommi pur briga di andar rintracciando que' personaggi, i quali di tempo in tempo ne uscirono, e per militari e civili cariche da' Sovrani

loro meritamente conferite, e decorosamente esercitate le aggiunsero sempre lume e rinomanza maggiore. Conciossiachè sebbene l'aver sortito illustri natali, e poter vantare gloriosi maggiori egli sia un bel presente del cielo; pure nessuno, credo io, oserà rivocare in dubbio, che i magnanimi fatti ed egregi, che le grandi virtù son quelle, che rendono l'uomo degno di essere alla posterità tramandato con gloria: nè Giuseppe mercar dee dagli avi quelle laudi, che nel corso della vita doveano a quel grado di onore condurlo, dove di per sè fu veduto pervenire. E veramente appena era giunto egli alla età in cui la natura a schiuder comincia que' primi semi, i quali ella medesima negli animi nostri, quasi in fertil terreno, va spargendo, e che bene e maestrevolmente coltivati partoriscono frutti copiosi di onestà e di virtù; che l'avveduto genitore in lui scorse segni non fallaci d'indole generosa, di pronto ingegno, di giudizio alla età superiore, di fantasia fervida vivace giuliva, che fino alla estrema vecchiezza conservò. Quindi senza frapporre indugio dispose, che ito a studio fosse a Roma, e nel Collegio Clementino allogato. L'uomo, benchè sia il più nobil lavoro uscito di mano del Creatore, e di gran lunga e per la maravigliosa macchina del corpo, e molto più ancora per l'anima che il medesimo Iddio gl'infonde, sia di tutti gli animali sparsi in sì gran numero sulla terra il più degno e prestante; pure egli nasce il più debole fra le animate creature. Quindi l'Essere onnipotente, che con infinita sapienza tutto regge e dispone, un grandissimo amore verso i figli accende ne' cuori de' genitori, onde sospinti sieno a porre ogni cura e diligenza nello allevarli, perchè sani e robusti crescano della persona, ed ornata abbiano l'anima di quelli ammaestramenti, li quali richiesti sono al bisogno ed alla utilità dell'umana socie-

tà, di cui siam parte, ciascuno secondo il grado e posto che vi dovrà tenere. Or siccome a cotali doveri non possono sempre i padri, che che ne sia la cagione, adempiere; così la saggia provvidenza de' reggitori de' popoli imitando le sublimi istituzioni degli Spartani, e dal gran Ciro ancora nell'antica Persia stabilite, hanno eretti de'collegi e de'licei, nei quali la gioventù pronto ed apparecchiato trovi tutto quello che lor mancherebbe ne'tetti paterni. Or a quella stagione fioriva oltremodo il Collegio Clementino e per la prudenza di colui che n'era il capo, e per la fama degli addottrinati professori che in ogni maniera di puliti studi e di severe scienze gli allievi ammaestravano: in guisa che non solo la nobile gioventù cittadina, ma eziandio la straniera vi accorreva da molte e lontane contrade. Quindi avvenne, che il savio Principe di Luzzi, il quale quanto altri mai desiderava, che il figlio suo fosse in tutte le più belle parti di cristiana e nobile educazione allevato, colà inviollo, affinchè di pregevoli dottrine e degni costumi adorno nè tralignasse da'suoi maggiori, nè fosse un peso inutile della società. Nè da questa ragione sola l'uomo accortissimo indotto fu a spedirvi il figlio, ma ancora perchè a que'giorni il Cardinal Giuseppe Firrao suo fratello persona di alti talenti dotata e di esquisita politica, in Roma la gravosa ed illustre carica di Segretario di stato con somma lode esercitava: la cui vigilanza ed amorevolezza sperava il genitore certamente dovere al giovinetto nuovo sprone aggiugnere per crescer sempre nella probità de' costumi e nello studio delle discipline. Sarei senza fallo dappoco tenuto, se volessi distendermi a mostrarvi quanto del giovine Giuseppe l'animo signorile e vago di onore ben rispondesse alle cure dell'assente genitore, ed agli stimoli del zio presente. Dirò solamente che terminati gli studi del Col-

legio uscì dai superiori commendato, applaudito dai maestri, e per le gentili e liete maniere caro ai condiscepoli, ad imprender tostamente la carriera della prelatura romana.

Appena avea il giovine prelato tocco il ventunesimo anno della età, che onorato fu dal gran Pontefice Benedetto XIV con un tratto di sovrana ed amorevolissima benivoglienza; imperocchè fu scelto a presentare a di lui nome al Serenissimo Duca di Venezia la Rosa d'oro, la quale dai Pontefici benedetta mandar soleasi per distinti personaggi a gran Regi e a gran Principi qual testimone di vicendevole dilezione. E scorso poi un solo anno, creato venne vicelegato di Romagna. E qui veramente gran maraviglia in ciascun che lo ascolta desterassi: come ad un giovine di sì fresca età, che appena conta l'anno ventesimo secondo, il governo si affidasse di una Provincia. Sì certamente: ma la elezion fu di un sapientissimo Papa, grande estimatore de'talenti: ma la scelta commendata venne da tutta la corte romana, la quale a guisa di Argo con cento occhi mira tutti fisamente, e di tutti il merito e'l valore pesa, e con estremo rigore apprezza. E pur seppe ne'verdi e fioriti anni Giuseppe così tener costantemente la bilancia della giustizia fra le sue mani, e compartir egualmente premi e pene, e tal prudenza adoprare nelle malagevoli occorrenze, e tal temperanza in tutte le parti del governo mostrare, che partì poi desiderato da quelle genti, ed a Roma tornò di onore ricolmato e di gloria. E qui nella capitale della cristianità non languì già in ozio il valoroso prelato, ma a molte e diverse magistrature fu per gradi promosso, che con pari lode di saviezza amministrò: le quali non chiedete, AA., che io esponendo vada ad una ad una, e quanto in tutte risplendette l'amor della giustizia e l'assiduità del suo tra-

vaglio e la soddisfazion della gente. Vola il tempo, e l'orazion mia ad imprese maggiori mi chiama.

Già l'anno cinquantesimo sesto correva di Monsignore Firrao, quando Pio VI ne' sereni e lieti giorni, e nei tempestosi e lagrimevoli del suo Pontificato di gloriosa sempre ed immortal memoria, volle, che consecrato Arcivescovo di Petra a Venezia andasse Nunzio Apostolico. Se questo decoroso ministero è difficile in ogni principato, e gran prudenza esige ed accortissimo maneggio degli affari per le dubbiezze che posson nascere ogni dì su i confini del Sacerdozio e dell'imperio; pur nondimeno lo era egli molto più in quella già eccelsa e possente repubblica: ed aveva mestiere di maggior desterità, di più pronto consiglio e più sottile avvedimento. Conciossiachè quei gravi e molto considerati senatori gelosi della lor libertà, temendo sempre che Roma le mani ponesse ne' privilegi loro, ogni cosa spiavano ansiosamente, nè gli occhi dal Nunzio altrove rivolgevano giammai. Questo stato di cose però, che avrebbe forse ad ogni altro continuo fastidio e spiacevoli cure arrecato, niuna inquietezza, niun turbamento apportava al grande animo dell'Arcivescovo. L'età, l'esperienza, il suo spirito sempre più in tante amministrazioni gravissime raffinato niuna cosa rendevangli malagevole: pieno la lingua e 'l petto della più saggia politica tutto antivedeva, tutto disponeva, tutto al suo fine conduceva per sì belli e scorti modi, che pe'l corso di ben tredici anni alla Repubblica fu carissimo, e di que' senatori accrebbe il rispetto verso la sede Romana, ed alle sante intenzioni di Pio VI soddisfece pienamente.

Dappoichè per tanto spazio così bene il Nunzio ebbe l'uffizio suo adempiuto, richiamollo a Roma il Pontefice, ed accolto colle più amorevoli dimostranze del paterno suo cuore lo elesse a Segretario della Congregazione de' Ve-

scovi e Regolari. Siccome a Pietro, così parimente a' successori di lui Gesù Cristo ha commesso come a suoi Vicari su la terra la cura di tutta la gregge sua, ed ha loro comunicata tutta la potestà ed autorità per governarla santamente. Or benchè una è la gregge, perchè una è la chiesa di Gesù Cristo, non pertanto ella è sparsa per tutte le regioni dell'uno e dell'altro emisfero, dove piantata è la Religion cristiana. Potrà dunque il Vicario di Cristo tener gli occhi fisi su tutte le parti della gregge, e guardar di per sè tutto quello, che le abbisogna? Stender potrà le braccia, e colle proprie mani, qual fedele dispensatore de' misteri della fede, a tutte sovvenire? Quindi avvenuto è che i grandi Pontefici con sublime sapienza da Dio ispirata diverse congregazioni fondarono in Roma, che la colonna è della fede e 'l centro della Religione, nelle quali personaggi per pietà e dottrina chiarissimi tutte le quistioni, che la fede, i costumi, la disciplina riguardano, ed alla prima Sede sono indirizzate, seriamente esaminassero, e districate e spianate al giudizio ed alla decision suprema de' Pontefici sottoponessero. Così cogli occhi, colle braccia di costoro il Vicario di Cristo può la chiesa reggere, ed a ciascuna parte di quella esser presente, ed a tutte le bisogne dei fedeli quantunque sieno per lungo intervallo lontani prontamente accorrere e provvedere. Vedete ora, AA., come il nuovo Segretario soprantenda alla Congregazione de' Vescovi e Regolari, alla quale sono da tutto l'orbe cristiano apportate le più gravi e spinose quistioni: vedete come quasi di novello zelo acceso tutta la industria sua, la diligenza, la forza dello animo rivolga a quel laborioso ministero: come coll'esempio suo i subordinati sproni, riscaldi, avvivi, onde con avvedutezza insieme e celerità sieno i rilevanti affari espediti, e sottomessi al sovrano intendimento del Ponte-

fice. Tra se Pio VI ne gode, ed il valore del Segretario commenda altamente.

Ma qual veggo orrida e nera nuvola sorgere su l'orizzonte di uno de' più nobili e popolosi regni di Europa? Oh! come si avanza, e nel cammino vie maggiormente si oscura, e distendendosi va ingombrando tutti gli ampi paesi di Europa! Ecco già squarcia il seno, già scoppia, e piovon già orrendi fulmini di guerra desolatrice. Sono agitate e sconvolte le nazioni, scossi i troni: nè quello di Pietro è risparmiato. Pio VI, il sommo Pontefice, il Vicario di Gesù Cristo, posto giù ogni rispetto alla venerabile sua canizie, allo altissimo suo grado, strappato dalla pontifical sede è condotto prigioniero, e nella prigionia dagli anni rotto ed oppresso dai più duri disagi è rapito dalla morte, ed al Cielo sen vola a ricevere la corona della giustizia a lui dal giusto giudice preparata. La Sposa di Gesù Cristo vedova del capo visibile geme, e cospersa di lagrime al suo sposo richiede la promessa di non abbandonarla giammai sino alla consumazione dei secoli. Spunta adunque ancorchè passeggiero un raggio che la pace riconduce. In Venezia si raccolgono i porporati elettori; nè guari andò, che a Papa elessero Pio VII con unanime consentimento fra le lietissime acclamazioni di tutto il popolo cristiano, preso sino a quel dì dal timore del più funesto avvenire. Al voler di Dio il voler suo Pio umilmente sottomise, comechè tra 'l suo cuore presagiva, che burrasche più fiere sorger dovevano a turbar quella calma ingannatrice. Intanto riponendo tutta la sua fidanza in quel Dio che sotto l'ombra delle ali sue cuopre l'umile, e con un soffio della sua bocca abbatte e disperde qual polve vilissima l'orgoglioso, stende la mano al timone della navicella di Pietro. Immantinente però egli si avvide fargli duopo di valenti uomini per guidarla e condurla in

porto felicemente. Perlochè affisò lo sguardo su le persone della sua corte e quelle che a lui parve acconce essere a riordinare tutto ciò, che nello ardere della guerra la licenza sfrenata del soldato e la malvagità inverecconda del profano aveva guasto, gittato per terra e calpestato. Fra i primi, che il saggio Pontefice onorò della sacra porpora, fu Giuseppe Firrao, il cui maturo senno, avveduto consiglio, moltiplice esperienza facevangli certa fede, doversene in quelle malagevoli congiunture aspettare giovamento grandissimo. Nè andò fallita la espettazione di Pio: imperocchè il Cardinale persuaso era, che le insegne della somma dignità, delle quali era stato rivestito, non all'ozio già, nè agli agi ed alle delizie della vita lo invitavano, ma ad occupazioni continue, a cure maggiori, a più gravi fatiche lo astringevano. E ben co'fatti lo dimostrò; poichè quasi di nuovo zelo acceso tutta la lena dello spirito suo, tutta la forza dello ingegno rivolse alle grandi incumbenze, le quali allo alto suo grado si appartenevano. Nè noja, nè difficoltà, nè intoppo veruno rallentarlo poterono, o dal corso distornarlo, che da prima aveva intrapreso.

Dalle cose da me sin quì tocche quasi correndo, pure, AA., avete potuto chiaramente intendere quale e quanto laboriosa stata sia la vita dell'Eminentissimo Cardinale, di cui ora onoriamo la morte: vita decorsa in tanti e sì diversi pubblici ministeri, luminosi veramente, ma cinti sempre d'infiniti fastidi e di pungenti cure. Avete ancora potuto osservare con quanta giustizia, fede, prudenza, sieno sempre stati adempiuti: quanta lode ne abbia da Sommi Pontefici riportata, e quanta gloria dalle genti, presso le quali gli ebbe ad esercitare: laude e gloria che le sue virtù chiare renderono e care appo ogni ordine di persone.

Nulla di meno però l'età troppo già inoltrata pareva che agli orecchi suoi parlasse , e sentir gli facesse come poco a poco il vigor dello spirito e del corpo ogni dì scemando andasse e dechinando: e mestier fosse pure, che a stato di vita più tranquillo finalmente e riposato si riducesse. Alle voci della natura, che giuste gli sembrarono, resister non seppe il vecchio Cardinale. Dimandato adunque al santissimo Padre commiato, colla di lui benedizione a Napoli nella dolce sua patria si ricoverò a menare il resto dei giorni suoi nella quiete e nella pace. Ma pur vennegli questo riposo ben due volte interrotto per la morte di due Sommi Pontefici di santissima e gloriosa ricordanza, allorchè dovette carico di anni portarsi a Roma. Se non che un bel campo gli si aperse di novellamente dispiegare ne'due Conclavi la sua desterità nel maneggio delle più alte e dilicate faccende. Imperciocchè per tutti que' bei modi che la mente sua gli additava, non si rimase di dare opera acciocchè gli animi riunisse per innalzare al pontificato quel personaggio, che paresse per la pietà e sapienza e per tutte le altre cristiane virtù poter bene e gloriosamente reggere ed aggrandire l'ovile del sommo ed eterno Pastore.

Ma nella dimora che qui egli fece fra noi potemmo ammirare le private sue virtù, le quali se per lo più sono agli occhi del pubblico celate, e dalla moltitudine poco considerate; pure son più gradite agli occhi di Dio, e più dolci al cuor dell'uomo onesto, come nostre moderatrici nello stato felice della vita e confortatrici nello avverso. La religion sacrosanta, la quale sino dagli anni più teneri nell'insigne Collegio Clementino appresa aveva e cominciata ad amare, conservò sempre illesa nel cuore, e dei doveri, che quella verso Dio ed il prossimo prescrive, non mancò di essere umile osservatore. Fu egli sempre

della innocenza timida e debole scudo e schermo, e non ristette giammai e colla opera ed autorità di farla riuscire vincitrice della calunnia e della impostura. La nobiltà del lignaggio, la porpora, le cariche sostenute in luogo d'ispirargli nell'animo alcun lieve orgoglio lo rendettero anzi manieroso, cortese, umile verso tutti, ed anche verso le persone della ultima classe del popolo. Ardente era verso de' poverelli la compassione e l'amor suo, non fallace argomento di quello che verso Dio nudriva: larghissimi erano i soccorsi, coi quali cercava confortarli, e raddolcire il misero stato in cui languivano. Ammirabile oltre ogni modo fu la profonda rassegnazione, che il buon vecchio dimostrò, e la costanza colla quale soffrì i dolori della ultima penosa infermità. Sin dal principio si avvide, che i giorni della lunga sua vita al termine giungevano: ed ancorchè la forza del male ora scemava, ed ora cresceva, pur volle dar sesto alla sua coscienza, e co' più teneri sensi di pietà munirsi de' sagramenti, e del pane cibarsi degli Angeli per ben fornire l'ultimo cammino, che alla eternità lo conduceva. Oh! se lo aveste veduto come nel colmo del male gli occhi e le mani tremanti, e più il cuore volgendo spesso spesso al cielo, ajuto da Dio e misericordia implorava, non perchè i dolori del corpo gli alleggiasse, ma lo spirito suo nella pace accogliesse. E l'avreste veduto spesso spesso agli occhi di Dio offrire il sangue e la morte dell'antico Figliuol suo, prezzo infinito della nostra redenzione. E l'avreste finalmente veduto fra sì umili, pietosi e dolci sentimenti ora colla moribonda voce, or col cuor proferiti render placidamente l'anima al suo Creatore.

» Beato l'uomo, dice il Profeta, che sul fine della vita
» trovato si è senza macchia veruna, il quale non è cor-
» so appresso le ricchezze, e non ha ne' tesori la sua spe-

» ranza riposta ». Oh che è ben felice la condizione di questo uomo. Ma ohimè! che tosto soggiunge il Profeta: « Chi » è costui? ove rinvenirsi può egli mai? ci si additi: noi » lo innalzeremo fino alle stelle, poichè maraviglie ha » fatto nella sua vita ». Sorte così fortunata a pochi è toccata: anime a Dio consecrate, lontane dal commercio del mondo ed affatto separate, pur della umana polvere asperse ed oscurate talvolta si sono trovate. Alcuni ancora di quei vecchi penitenti, i quali ne' deserti della Tebaide la maggior parte degli anni loro vissero, con pallido e smorto viso, con occhi di lagrime aspersi videro con timore avvicinare la morte! Ripigliate adunque, Eminentissimo Pastore, e proseguite la interrotta liturgia: fate, che al cospetto d'Iddio ascendano le preci vostre e de' vostri consacerdoti, come l'incenso che sull'altare avete bruciato, onde il misericordioso Iddio lavi e terga l'anima del vostro porporato collega, dell'antico vostro amico, di alcun resto delle macchie contratte nel gran commercio del secolo e nel lunghissimo corso della sua vita, e prestamente lo accolga nella beata eternità. Ho detto.



INSCRIPTIONES

POSTEA REPERTAE ET ADDITAE



I.

IN FESTIVITATE

DIVI FRANCISCI SALESII

AD SANCTAE MARIAE IN CAELVM ASSVMPTAE

SACERDOTVM SS. MISSIONVM

AN. MDCCCXX

DIVO . FRANCISCO . SALESIO
ANTISTITI . GENEVENSIVM . SANCTISSIMO
QVI . CAELESTEM . PLANE . SAPIENTIAM
EX . PERLVCIDO . EVANGELII . FONTE . HAVSTAM
CVM . ADMIRABILI . ANIMI . MANSVETVDINE
INAVDITA . QVE . MORVM . SEMPER . LENITATE
ITA . EX . DOMINI . PRAESCRIPTO . CONJVNXIT
VT . INNVMERAS . FERE . OVES
OFFVSA . TETERRIMI . ERRORIS . CALIGINE
PASCVIS . PESTILENTIBVS . OBERRANTES
IN . CHRISTI . CAVLAM . ADDVXERIT
ALVMNI . CLERI . NEAPOLITANI
SOLEMNES . DE . MORE . HONORES
INSTAVRANDOS . CVRARVNT
NOMINI . SANCTITATI . QVE . EJVS
DICATISSIMI

46

II.

IN FESTO

BEATI ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

IN SODALITIO SANCTAE MONICAE

AD SANCTI JOANNIS AD CARBONARIAM

CELEBRATO

AN. MDCCCXX

TIBI . BEATE . ALPHONSE
NOVVM . CAELO . DECVS . ADDITE
VTI . PATRIAE . CIVIBVS . QVE . TVIS
INCOLVMITAS . PAX . CONCORDIA . FAVSTITAS
TE . APVD . DEVM . SEQVESTRO
SEMPER . AVGEATVR
SODALES
DIE . ANNIVERSARIA
VOTA . CONCIPIVNT

III.

IN FESTIVITATE

BEATI ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

S. AGATHAE GOTHORVM EPISCOPI

AD S. MARIAE REDEMPTIONIS CAPTIVORVM

AN. MDCCCXX

BEATO . ALPHONSO . LIGORIO
PONTIFICI . SANCTISSIMO
CVI . IN . HAC . AEDE

AD . HANC . VIRGINIS . EFFIGIEM
GENIBVS . MINORI . PRONO . QVE . OPEM
SIBI . DVBIA . IN . RE . IMPLORANTI
FVNDENTI . QVE . VIM . LACRYMARVM
TANTA . DIVINI . NVMINIS . CLARITAS
ADFVSA . EST . ANIMO
VT . EXTEMPLO . ENSE . ANTE . ARAM . POSITO
ET . ABJECTA . SPE . OMNIS . AMPLITVDINIS
DATO . QVE . MILITIAE . CLERICALI . NOMINE
AD . ALTISSIMVM . VIRTVTIS . GRADVM
INDEFESSVS . CONTENTO . CVRSV . CONSCENDERIT
CIVES . CIVI . BEATISSIMO
CELEBRITATE . ANNIVERSARIA
GRATVLANTVR

IV.

FRONTEM . TEMPLI . HVJVS
SQVALENTEM . ANTEHAC . ET . DEFORMEM
ANGELVS . DE . SIMONE . SACERDOS . DOMO . CALLIPOLI
LINGVAR. ORIENT. IN . GYMNASIO . NEAP. PROFESSOR
REFICIENDAM . ET . OPERE . TECTORIO
COLORIBVS . QVE . INDVCTIS . ORNANDAM
TVM . ADSCENSVM . ET . ADITVM . AD . IPSVM . TEMPLVM
GRADIBVS . HINC . DEPRESSIS . INDE . PRODVCTIS
ADDITIS . QVE . CANCELLIS . FERREIS
COMMODIOREM . REDDENDVM . ET . ELEGANTIOREM
TVRRIM . DENIQVE . CVM . CAMPANIS
VT . STATAE . PRECATIONES . NVNTIARENTVR
AEDIFICANDAM . DE . SVO . CVRAVIT
A. D. MDCCCXXIII

V.

IN FVNERE

BERNARDI DE TVRRE EP. STAB.

AD PVELLARVM COLLEGII DEL VICO DELLA LAVA

BERNARDO . DE . TVRRE
EPISCOPO . STABIENSIVM
QVEM
OMNIVM . FERME . DISCIPLINARVM
ET . VIRTVTVM . PRAESTANTIA
IN . PRIMIS . QVE . INCREDIBILE
RELIGIONIS . AMPLIFICANDAE . STVDIVM
ET . MAXIMA . IN . AERVMNOSOS
SEMPER . LARGITAS
INTER . CLARISSIMOS . PRIMAEVAE . ECCLESIAE . ANTISTITES
MERITO . RETVLERVNT
PVELLAE . HVJVS . COLLEGII
PATRIS . OPTIME . DE . SE . MERITI
ANTEHAC . LAETISSIMAE . BENEFICENTIA
NVNC . DESIDERIO . MOERENTISSIMAE
CVM . LACRYMIS . PARENTALIA
PERSOLVVNT

MONITUM AD LECTOREM

Quantam ego contulerim operam, ut, quod ejus fieri posset, in lucem prodiret volumen omnia quae Nicolai Ciampittii supersunt opuscula complectens, verba quibus significem plane non suppetunt. At illud non est silentio praetereundum, binos circiter annos me per forulos et bibliopolarum columnas scrutando, rimando, quaeritando; amicos, familiares, auditores ipsius auctoris usque in longinquas regiones per litteras rogando atque efflagitando, non laboribus parcens, neque impensis, tandem aliquando effecisse, ut in lucem quinque abhinc annis formis per quam nitidis volumen proferrem, mea profecto sententia locupletissimum. Nec poterunt certe literati homines quin acceptum mihi referant opus ingentis sane laboris, nec exiguae utilitatis humaniorum litterarum studiosis, quippe qui complura quae in vulgus sigillatim edita fuerant opuscula collegerim, quaeque domi adhuc abstrusa manebant, recognoverim ac digesserim: quae profecto oblivione vetustas, ut fere omnia, obruisset, et viri memoria, qui tam bene de litteraria re meritus est, paulatim obliterata interiisset. At ecquid non detegit aetas, aut quid temporis longinquitas efficere non potest? Dum in animo mecum ipse versabam alteram Ciampittii opusculorum editionem, multumque et diu cogitabam, qui

locupletiorem, expolitioremque in lucem proferrem, praeter spem accidit, ut Josephus de Robertis in Curia Tranensi III Vir stilitibus judicandis, mihi praesto fuerit, ante hoc tempus notus mihi tantum nomine, caeterum ad unguem factus homo. Hic enimvero, licet alias numquam me familiariter usus esset, quasi portendisset, quod futurum erat, me convenire occoepit, quandoque saepius per diem. Quid plura? Summam inire ab eo mihi contigit gratiam. Atque ut aliud ex alio in eum incidimus sermonem, ut complura de Ciampittio nostro collocuti simus; eique consilium patefecerim meum de altera tanti scriptoris operum editione. Quod ubi primum accepit, ingenti gaudio exiluit. Propediem me invisit, et praeter nonnullas inscriptiones ipsa auctoris manu scriptas, binas etiam epistolas ipsius Ciampittii in Regia studiorum universitate Professoris perhonorificas ad ipsum datas, ultro detulit. Hic a puero Ciampittium audivit, tantaque virum observantia prosecutus est, ut a senis latere, dum vixit, numquam divelli passus sit. Adde his Epithalamium, quod affirmare non dubitabo, veluti exemplar iis, qui hujuscemodi carmina lucubranda suscipiunt, esse proponendum. Haec omnia habe tibi, lector benevole, studiumque meum in his colligendis non frustra collatum benigno favore prosequere. Vale.

APPENDIX

EPISTOLA I.

Testor ego infrascriptus Regius in Gymnasio Neapolitano Eloquentiae Professor, Josephum de Robertis Oratoriarum, et Poeticarum Institutionum praelectionibus frequentem interfuisse, et multa edidisse specimina ingenii, etdiligentiae suae — Nam veteres scriptores e latino in italicum sermonem ex-tempore convertendo, et soluta, et ligata oratione scriptitando operam dedit non instrenuam. Qua de re inter condiscipulos eminere, et majora de se, quum aetas corroboraretur, spondere jam inde videbatur. In cujus veritatis fidem has litteras dedi, manuque mea subscripsi. Neapoli Kal. Martii MDCCCXVII — Nicolaus Can. Ciampitti Regius in Gymnasio Neap. Eloquentiae Professor — V. Can. Franc. Rossi — Adest Sigillum.

EPISTOLA II.

Testor ego subscriptus Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonicus, et Regius in Gymnasio Neapolitano Eloquentiae, Poesis, et Archeologiae Latinae Professor, optimum adolescentem Josephum de Robertis praelectionibus meis frequentem statis diebus interfuisse, et maximam in stadio decurrendo diligentiam semper adhibuisse, ut ceteris condiscipulis ad bonas litteras ad-

discendas exemplo fuerit, atque incitamento. Praeterea loca Auctorum classicorum ex latino in hetruscum sermonem, atque ex hetrusco in latinum, prout instituti ratio postulabat, scite, eleganterque convertisse. Ad haec non pauca per anni cursum tum prorsa, tum versa oratione, et quandoque ex tempore multa cum laude conscripsisse. Quae sana juvenilis ingenii specimina portendere videbantur, adolescentem firmata aetate plurimum utilitatis et ornamenti hominibus nostris, modo studium et cura non deferbuisset, fore allaturum. In quarum rerum testimonium has litteras manu mea subscriptas dedi. Neapoli pridie Calendas Decembris MDCCCXXIII Can. Nicolaus Ciampitti — Rector Cajetanus Parochus Giannattasio — Adest Sigillum.

IN FVNERE

FERDINANDI I

VTRIVSQVE SICILIAE REGIS

I.

FERDINANDO . I
VTRIVSQVE . SICILIAE . REGI
IVSTA . FVNERIS
PERSOLVVNTVR
QVISQVIS . ES . TEMPLVM . INGREDERE
ET . A . DEO . OPT. MAX.
MANIBVS . PRINCIPIS . AMANTISSIMI
PACEM . ET . REQVIETEM
EXORATO

II.

FERDINANDO . I
CAROLI . III . BORBONII . FIL.
QVI . CVM . ADOLESCENTVLVS
VTRIVSQVE . SICILIAE . REGNVM . FLORENTISSIMVM
GVBERNANDVM . SVSCEPISSET
TOT . AC . TANTA . SAPIENTIAE . IVSTITIAE . MVNIFICENTIAE .
DOCVMENTA . EDIDIT
VT . MERITO . SIT . MAXIMAM . POSTERITATIS
ADMIRATIONEM . EXCITATVRVS
HVIC . REGI . OPTIMO . PARENTIQVE
DE . SE . BENEMERENTISSIMO
SODALES
SANCTAE . MARIAE . PARADISI
SVPREMA . OFFICIA
PERSOLVVNT

III.

IN FVNERE

FRANCISCI I

FRANCISCO . I
VTRIVSQVE . SICILIAE . REGI
QVI . AVITVM . SOLIVM . CONSCENSVRVS
RELIGIONEM . PRVDENTIAM . JVSTITIAM
CLEMENTIAMQVE . SOCIAS . SIBI . COMITESQVE
AD . POPVLOS . BENE . ET . FELICITER . REGENDOS . ADSCIVIT
NEQVE . IN . TOTO . REGNI . SVI . CVRRICVLO
QVAMPIAM . EARVM . E . LATERE . DIVERTERE . VSQVAM
AVT . AVELLI . PASSVS . EST
HVIC . OPTIMO . PRINCIPI
SODALES . FVNEBRIA . CVM . LACRYMIS
PERSOLVENDA . CVRARVNT

IV.

IN FVNERE

PII VIII PONTIF. MAX.

PIO . VIII
OPTIMO . MAXIMOQVE . PONTIFICI
CVI
SVPREMVM . REGENDAE . ECCLESIAE . MVNVS
LICET . INTER . PERPETVAS . AEGRITVDINIS . VICES . OBITVM
NEQVE . VLTRA . XX . MENSIVM . SPATIVM . EXCVRRERIT
EGREGIA. TAMEN. ET . PRAECLARA . IN. REM. CHRISTIANAM . MERITA
IMMORTALEM . GLORIAE . SEGETEM . PEPERERE
HVIC . BEATISSIMO . CHRISTI . VICARIO
SODALES
LVBENTES . MOERENTESQVE . FVNERIS . JVSTA
PERSOLVVNT

V.

IN ÆDE

DIVÆ MARIÆ PARADISI

—

IN . HAC . AEDE
SODALES
SVB . DIVAE . MARIAE . PARADISI . REGINAE
TVTELAM . CONGREGATI
QVVM . CONSENTIENTIBVS . DOMVS
INSANABILIVM . GVBERNATORIBVS
A . FERDINANDO . I . REGE . POSTVLASSENT
VTI . STATIS . DIEBVS . AD . RELIGIONIS . OFFICIA
PERSOLVENDA . HVC . CONVENIRE . SIBI . JVS . ESSET
FACTA . INDE . PER . REGEM . POTESTATE
PIAS . SODALITATIS . EXERCITATIONES
CVM . DEO . BENE . JVVANTE
AVSPICATI . SINT . PRID. KAL. AVG. AN. CIↃIↃCCCXX
QVAM . IN . REM . OPERAM . PLVRIMAM
CONTVLERVNT
EQVES . EMMANVEL . VACCA . PASCHALIS . DE . ROBERTIS . DOCTOR . PHYSICVS
SEBASTIANVS . PENNA . JOSEPHVS . DE . ROBERTIS . ICTVS

VI.

IN TVMVLO

EMMANVELIS DE ROBERTIS

EMMANVELI . PASCHALIS . DE . ROBERTIS
ET . NICOLETTAE . DE . LVCCA . FILIO
SVMMO . MAXIMOQVE . INGENIO . JVVENI
QVI . AD . NON . VVLGAREM . LATIALIS . ET . GRAECAE . LINGVARVM
NOTITIAM . HAEBRAICAE . QVOQVE . STVDIVM . ADJECTVM . VOLVIT
TVM . MATHESEOS . ET . PHYSICES . VNIVERSAE . CVRRICVLO
INCREDIBILI . ALACRITATE . DECURSO
AD . REI . TANDEM . MEDICAE . DOCTRINAM . E . PVRISSIMIS
FONTIBVS . HAVRIENDAM . TANTA . ANIMI . VI . TANTOQVE . SVCCESSV
SE . SE . CONVERTIT . VT . BREVI . AETATE . PROVECTOS . ANTEIVERIT
PLVRIMOSQVE . AB . OMNIBVS . DEPOSITOS . AD . SANITATEM
ET . DVLCISSIMAM . VITALIS . AVRAE . VSVRAM . REVOCAVERIT
EA . RE . MORS . INDIGNATA . JVVENEM . AD . SCIENTIAE
GLORIAEQVE . CVLMEN . EVOLANTEM . IGNOTO
ACERBISSIMOQVE . MORBO . ABSVMSIT
FILIO . AMANTISSIMO . PARENTES
FRATRI . CARISSIMO . FRATRES
CVM . LACRYMIS . PP.
VIXIT . ANNOS . XXVII . OBIIT . AN. CIƆIƆCCCXXVII

IN AUSPICATISSIMIS NUPTIIS

MARIÆ RAPHAELIS CARACCIOLO

E RHODII DUCIBUS

—

ELEGIA

Parva suburbano, ut mos est, me Villula tecto
Defessum grato ceperat hospitio :
Villula colliculo se leniter attollenti
Imposita anteacto tempore dictus avis
Qui (1) Paradisulus est, nec falso nomine; namque
Valle mihi heic videor degere in Elysia
Raptanti flores, atque herbas inter olentes
Suavi ter, et nostra consita poma manu.
Ac jam sidereo se vesper agebat Olympo,
Fuderat et primas humida nox tenebras;
Quum parte ab laeva sensim discedere coelum,
Affundique meis plurima lux oculis
Visa est, et volucri in terras descendere curru
Praefulgens veluti sidere amica Venus.

(1) Paradisulus pone aedem Divae M. Angelorum ad Cruces.

Non vasti illa quidem spumantibus aequoris undis
Edita, ab ignava credita plebe Dea:
Luxuriae cultrix, furtis intenta, dolisque,
Et docta insanis perdere deliciis.
Caelestis mihi visa Venus, quae sede serena
Caeli orta est aura purior aetheria:
Egregias solers animas accendere dulci
Flamma, et jucundo jungere colla jugo:
Virtutum praeclara parens laudumque magistra,
Per quas multa homini vita parit decora.
Castus Hymen, et castus amor comitantur euntem
Per liquidum haud segnes aethera inire vias.
Gestat amor manibus taedas: at non solüenda
Gestat hymen sancti vincula connubii.
Quid Tu (1), Leucippe, cessas? Tibi pompa paratur
Isthaec: ingratas rumpe, age, rumpe moras.
Nonne vides, ut tota Tibi colluceat arte
Circum dispositis ampla domus facibus?
Ecce aram Pallas (Veneri nam Pallas amica
Caelesti) spargit sedula luteolis
Floribus, atque focis jam mascula thura ministrat,
Pallas erit stabili Pronuba conjugio.
Nosti, Leucippe, ut claro te sanguine avorum
Prognatam a teneris foverit unguiculis.
Illa te acu docuit phrygio depingere vestes,
Illa et transversum labiolis calamum

(1) Id nominis in Arcadia gerit Maria Raphael Caracciolo e Rhodii ducibus.

Inflare, in sylvis ut non jucundius Orpheus
Auritas quercus traxerit, ac tigridas.
Illa animum instituit variis adjungere linguis,
Reddere et italico dogmata sancta sono.
Quid quod Pastores inter divina canentem
Carmina miretur Te nemus Arcadiae?
Surge igitur, Leucippe: nunc Hymenaeus ad aram
Praesto, praesto Amor est, Pallas, et alma Venus.
Laetus adest sponsus, quo non praestantior alter
Exstitit, et quo non alter amabilior.
Rumpe, age, rumpe moras: faustis conjungite dextras
Alitibus: spondent omnia laetitiam.
Ecqui autem tenui quamvis caligine opertus
Rerum nunc ordo panditur ante oculos?
Prospicio (nec vana fides, nec falsus Apollo)
Mox e vobis, Par nobile, progeniem
Venturam, quae virtutes imitata parentum
Clara domi fuerit, strenua militiae:
Unde ingens vestrae succrescet gloria genti,
Succrescet nostrae gloria Parthenope.

SVB IMAGINE

DONATI LILII

Doctrina huic ingens, plenum os, haud ulla cupido
Laudis, et in miseros prodiga dextra fuit.

SVB IMAGINE

DOMINICI COTVMNII

Ecce tibi florente aetate Cotumnius. An non
Ore oculis ardens vis micat ingenii ?
Naturae latebras hinc ille irrumpere victor,
Et rapere abstrusas tam bene quivit opes.

INDEX

EORUM, QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR

ORATIONES.

COMMENTARII.

EPISTOLAE ET DEDICATIONES.

APPENDIX.

CARMINA.

INSCRIPTIONES.

PROSE ITALIANE.

APPENDIX.







